BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
27 — C
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
E
12

8. 47. C. 23

Digitized by Google

2.3.H

PROPVGNACVLVM FIDEI,

TOTI CHRISTIANÆ RELIGIONI
aduerſum mendacia, & deliramenta Saracenorum, Alchorani pręcipuè maxime vtile.

AVTHORE R. P. MAGISTRO F. RICOLDO, Florentino Ordinis Prædicatorum, Impreſſum denuo, & illuſtratum Opera R. P. F. Marci Antonij Seraſini Veneti Baccalaurei in Conuentu Sanctorum Ioannis, & Pauli eiuſdem Ordinis.


ADIECTA EST PANOPLIA CATHOLICORVM CONTRA Hæreticos, Authore Magiſtro Renato Benedicto Andegauo Doctore Pariſienſi ob ſimilitudinem Argumenti.

Cum Indice copioſo Rerum notabilium, & ſingulorum vtriuſque Libri Capitum.

AD PRINCIPEM ILLVSTRISSIMVM SCIPIONEM Cardinalem Burgheſium ampliſſimum.

CVM PRIVILEGIO.

BIBL.SEC.COLL.ROM.SOC.IESV



VENETIIS; M. DC. VIIII.

Apud Dominicum de Imbertis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVST.^{MO} AC REV.^{MO}
D. D. SCIPIONI
CARDINALI BVRGHESIO.

SANTISS. D. N. PAVLI V. NEPOTI.

Ordinis Prædicatorum Protectori optimo, & Principi Ampliſſimo.

F. Marcus Antonius Serafini Venetus Bacalaureus in Conuentu SS. Ioanni, & Pauli Venetiarum. S. P. D.

IACENT ſæpe ſæpius Ill.^{me} ac Ornatiſs. Princeps res eximiæ, atque præſtantes abditis, & obſcuris locis, nihilque utilitatis, aut ſplendoris hominum ſocietati afferre ſolent, Quid enim cuique aliquando profuit egregia prætioſæ margaritæ virtus, dum uel in profundo maris, vel in occultis terræ viſceribus ſepulta remanſit? at ubi in lucem prolata clarioribus ſolis radijs illuſtratur, tunc, & virtutis illius excellentia dignoſcitur, & tantum ſplendoris, ac ornamenti præſefert, vt tanquam nouum aliud cęleſte ſidus emicare videatur: Iacebant (Cardinalis Ampliſſime) ne dicam interierant, rerum namque interitus obliuio eſt, & temporis iniuria omnia conſumentis, ac corrodentis, ex hominum memoria receſſerant, ea, quæ tot laboribus, ac

vigilijs, longo temporis ſpatio ab Excellentiſſimis viris Magiſtro fratre Ricoldo Florentino ordinis prę dicatorum,& Magiſtro Renato Benedicto Andegauo Doctore Pariſino pro fidei Chriſtianæ defenſione, ac morum reformatione adinuenta fuerant, Quę cum mihi in manus incidiſſent, ea iterum in hominum memoriam reuocare, ac in lucem proferre, & Clariſſimis protectionis tuæ radijs Illuſtrare decreui vt iterum reuiuiſcerēt, Quibus vt ſub auſpicatiſſimo nominis tui patrocinio numeris omnibus abſoluta exire poſſent, paucnlis meis laboribus tabulam adieci, qua clare, diſtincte, & faciliter materiæ omnes, quę in his libellis pertractantur adinueniri poſſunt, Suſcipe igitur placida, ac ſerena fronte munuſculum hoc, exiguum quidem, ſi rem ipſam, per ſe ſpectemus, At ſi largientis animus attendatur, magnum profectò, & Eccleſię Catholicę vtiliſſimum, Quamplura namque in eo continentur, quę, & pro fidei chriſtianę defenſione, & morum reformatione plurimum fructus ſunt allatura. Ego vero (Ill.^me^ Princeps) pro tua hac benignitate aſſiduis præcibus ante diuinę miſericordię Thronum ſuppliciter deuolutus contendere non deſiſtam, vt Ill.^me^ Amplitudinem tuam virtutibus omnibus præditam, ac circumſeptam, quaſi ſtellam in cęleſti illius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Choro radiantem, literis, boniſque artibus, ac demum veræ pietati augendæ diutiſſime conſeruet incollumem. Vale Princeps Ampliſſime, diuque felix viue.

Dat. Venetijs. Die xij. Decembris. M. DC. VII.

AENEAS PICCOLOMINEVS AD CATHOLICVM LECTOREM.

TAM docte, & ſancte ſcripſit aduerſus Mahumetum, & peſtiferum Alchoranum eius Ricoldus, tamq; docte, & ſancte ſcripſit aduerſus tætriores, obſtinatioresq; catholicæ pietatis deſertores Renatus: vt alter nefarias Turcarum leges: alter impias Pſeudochriſtianorum prope omnium delirationes labefactarit. Si religioſas, bone lector, præſtantiſſimorum horum virorum lucubrationes perlegeris, incredibili profecto animi tui oblectatione multo plura, eos, multoq; maiora, & grauiora perficere cognoſces, quam ego audeam polliceri. Sin autem, vel antequam primoribus labris rem ipſam attingas, hoc vno id argumento facillime conſequere: quod perutilis hic, & glorioſus vtriuſque labor, qui aut temporis iniuria, aut

inuidiæ

Digitized by Google

inuidiæ lue, aut communis Hoſtis litura obrutus, ac fere etiam extinctus iacebat: pia eruditiſſimi, religioſiſſimiq; uiri R. P. Fr. Marci Antonij Serafini cura, ſtudio, & diligentia non modo eſt in priſtinum ſtatum reſtitutus: ſed etiam clariſſimis luminibus auctus, & exornatus. Tantò enim eſt præclarus hic Sacerdos ingenij acumine præditus, tanta bonarum artium, ſcientiarumq; omnium cognitione inſignis, tantaque probitate illuſtris, vt nec fallere, nec falli poſsit. Sed, quid multa? Tela hæc in cælo exædificata, quibus iucundiſſimam ſuam familiam ab impotentioribus, importunioribuſque hoſtibus acerrime tuetur Chriſtus, ampliſſimo, illuſtriſſimoque Principi Scipioni Burgheſio, cui aut diuina tantum, aut nihil non perfectiſſimum afferendum, a Marco Antonio Serafino conſecrantur. Hic enim Heros eſt Patria Romanus, genere Burgheſius, dignitate Cardinalis, auctoritate Pauli V. Pontificis Maximi Nepos, doctrina, & innocentia Chriſtianæ Reipublicæ decus. Quod, ſi plura hoc vno in homine deſideras: plura ſane, quam, quæ poſsint vno in homine eſſe deſideras. Vale igitur, optime Lector, & magnificentiſſimis his duobus muneribus perfruere.

Digitized by Google

AD LECTOREM SACRARVM LITERARVM STVDIOSVM.

EX cæcis ereptus tenebris, in quibus diu temporum iniuria delituerat; prodit in lucem tandem Magiſter F. Riccoldus Florentinus ſacri Ordinis Prædicatorum fortiſsimus Chriſti Athleta, qui pro ſalute, ac dignitate Eccleſiæ quantum elaborauerit, eique prodeſſe ſtuduerit, facile tu quidem humaniſsime lector ex hoc planè diuinorum Lucubrationum libro coniÿcies, Quem quidem nos iure optimo Religionis Arcem, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ Propugnaculum fidei munitiſsimum appellare poſſumus, Etenim huius iam præſidÿs ſeptus, ac munitus, acerrimus quiſque Religionis noſtræ defenſor ſtabit inuictus contra temere irruentes hoſtium acies, omnia in ſe coniecta tela depellet, refrenabit audatiam, furorem retundet, ac de perfidia impiorum triumphabit. Habes etiam in hoc volumine annexum opus illud mirabile, atque præclarum Magiſtri Renati Benedicti Andegaui Doct. Pariſ.

Digitized by Google

Quod quidem Panoplia Catholicorum ſiue Armatura fortis contra hæreticos merito nuncupatur. hoc quidem factum eſt propter ſimilitudinem argumenti; Nam Ambo pro defenſione catholicæ fidei obnixe laborant, vnus nãq; contra Saracenorum leges, & Alchoranum, Alius vero contra Hæreticos, mirabili, atque pulcherrimo ſtillo, & ordine, doctrina, & facilitate in ſcribendo procedunt. Accipe igitur lector optime horum integerimorum, ac præclariſſimorum Authorum diuino ſapientiæ lumine illuſtrati dogmatum Eccleſiaſticorum defenſiones, nouo Frontiſpitio, nouo titulo, cum prius fere abſque titulo eſſet hoc primum opus, nouoque indice, & capitum diſtinctionibus a nobis pro noſtra tenuitate auctas, & ornatas. In quibus euoluendis ſi diligenter verſaberis, præclare, (mihi crede,) ſtudijs tuis conſules, & multorum etiam ſaluti, cooperante Domino; proſpities. Vale.

Digitized by Google

TABVLA VNIVERSALISSIMA omnium eorum, quæ in toto libro contra Alchoranum continentur.

In Præfatione hæc ſunt.

TRibulationes Eccleſiæ, licet ſint plures, ad tres tantum reducuntur. Pag. 1
Prima tribulatio Eccleſiæ, eſt a paſſione Chriſti, vſque ad tempora Conſtantini, & eſt Hæreticorum. 1
Secunda tribulatio, eſt a Conſtantino, vſque poſt Beatum Gregorium. 2
Tertia tribulatio, eſt ab Heraclio, vſque ad tempora noſtra. 2
Auctor ſe transfert ad Valdacum, vbi eſt generale ſtudium Saracenorum, ibi linguam Arabicam didicit. 2

In primo capite iſta continentur.

FEces omnium aliorum Hæreticorum Diabolus ſimul in Mahumetum collegit. Pag. 5
Mahumetus cum Sabellio, negat Trinitatem. 5
Cum Arrio, & Eunomio, aſſerit Chriſtum eſſe puram creaturam. ibidem.
Ponit Chriſtum, hominem ſanctiſſimum. 6
Quod Diabolus in mundo per Arrium incepit; per Mahumetum compleuit. 6
Mahumetus, negat Chriſti paſſionem; & ob id, negat omnia ſacramenta. 6
Per Alchoranum, Demones ſaluabuntur. 6
Dicit Mahumetus quod Deus miſit pro eo Gabrielem. 6
Dicit, Spiritum ſanctum eſſe creaturam. 7

† 4 Dicit,

Dicit, quod Angeli facti ſunt Dæmones: quia noluerunt ad præceptum Dei adorare Adam. p. 7. & in capite octauo. p. 24
Dicit, quod vltima hominis beatitudo, eſt in comedendo, luxuriando, &c. p. 7. & in capite octauo. p. 26
Dicit, Circuncifionem tenendam eſſe. 7
Concedit pluralitatem vxorum, & concubinarum. 7
Dicit, occidendos eſſe omnes, qui non credunt ſuam legem niſi ſoluant tributum. 7
Concedit Sodomiam, tam cum viro: quam cum muliere. 7
Mandat, quod occidantur; qui aſſerunt contrarium, huic legi. 7
Comendat Pſalterium, Prophetas, & ſuper omnia Chriſti Euangelium. 7

In ſecundo Capite iſta ſunt.

Mahumetani valde deſiderant audire ea quæ ſunt fidei noſtræ, Præcipue uero de Trinitate, & Incarnatione; ſed tamen credere nolunt. Pag. 8
Mahumetani, conſtantiſſime ſupponunt eſſe Verbum Dei. 8
Non eſt diſputandum cum Saracenis de fide noſtra, ſed oſtendere fidem illorum friuolam eſſe. 8
Alchoranus, loquens de Deo, dicit; non dicatis tres, quia eſt ſolus Deus. 8
Nolunt intelligere diſtinctionem perſonarum; ſine diſtinctione Eſſentiæ. 8
Miſterium Incarnationis, Saraceni omnino negant. 9
Chriſtus, ante ſuam Reſurrectionem, noluit ſe Deum eſſe aperte manifeſtare, tamen poſt Reſurrectionem hoc fecit. 9
Saraceni negant miracula Apoſtolorum, & eorum dicta. 9

In tertio Capite iſta notantur.

Lex Dei eſt tanquam catena vna, fabricata ab vno artifice ita quod, anulus vnus alio coheret, lex autem Saracenorum non eſt ita, ſed eſt quedam peruerſio. Pag. 10
Mahumetus aſſerit, ſe eſſe generalem Prophetam. 10
Dicunt Saraceni, quòd Iudæi corruperunt legem Moyſi, & prophetarum, & Chriſtiani corruperunt Euangelium, & quod non remanſit de ueritate legis, & Euangelij, niſi quantum eſt in Alchorano.

Digitized by Google

rano. 10
Probat auctor dictum Saracenorum falſum eſſe, & hoc per ipſum Alchoranum. 10
Lex Moyſi, & Euangelium apud Saracenos dicitur Recordatio. 11
Quod in lege Moyſi,& Euangelica,nulla poſſit eſſe facta corruptio, nec a Iudæis, neque à Chriſtianis. 11
Omnes Mahumetani conſentiebant legem hanc ſanctiſſimam eſſe, hoc ſolo excepto, quod omnino rationem excedit, ſcilicet quod homo ſit verus Deus. 12
Calipha de Baldaco moritur Chriſtianus,& ad collum eius, crux inuenta fuit. 12
Quod Saraceni oſtendant uetus teſtamentum, & Euangelium non integrum, & corruptum in omnibus linguis; ſicuti chriſtiani oſtendunt integrum in omnibus linguis. 13

In quarto Capite omnia iſta continentur.

LEx Saracenorum non eſt conſona legi Dei, quoniam habet ſtilum metricum, &c. pag. 13
Dicunt Saraceni, quod Deus fecit Alchoranum, & reuelauit illum Mahumeto, qui erat homo idiota. 14
Non eſt verum,quod Deus fecerit Alchoranum. 14
Improperatum fuit Mahumeto a ſuis,nempe quod poetizabat,ſomniabat,& trepidabat. 14
Dicit Mahumetus quod Salomon congregauit magnum exercitum Angelorum,& hominum, (vide fabulam ridiculoſam). 14
Dicit Alchoranus,Lunam fractam fuiſſe in duas partes,& quod Mahumetus illam reintegrauit,& alia riſu digna proponit. 15
Vermis manifeſtauit mortem Salomonis. 15
Reddit rationem, quare Vinum illicitum ſit Saracenis ridiculoſe quidem. 15

In Capite quinto iſta ſunt.

PHiloſophi, poſuerunt fęlicitatem hominis eſſe in parte intellectiua non tamen perfecte hoc cognouerunt. 16
Chriſtus ponit felicitatem hominis, in uiſione Dei. 16
De neceſſitate ſalutis nil aliud habēt Saraceni,niſi quod dicant;Non eſt Deus niſi Deus,& Mahumetus eſt nuntius Dei. 16

Mahume-

Digitized by Google

Mahumetus ponit fælicitatem in quibuſdam ſenſibilibus ſcilicet in comeſſatione,in luxuria,& in hortis irriguis; &c. 1
Mahumetus, dicit quedam vera notabilia de vltimo fine Saracenorum. 17
Dicitur in Alchorano in capitulo Mariem quod interpretatur Maria,quod omnes Saraceni ibunt ad infernum. 17
Lex Dei,prohibet homicidium,rapinam,& concubinam; quæ omnia Alchoranus,aut præcipit,aut permittit. 17

In ſexto Capite hæc ſunt.

DIcit Mahumetus,ſi Alchoranus non eſſet a Deo,contrarietates multe inuenirentur in eo;tamen multę in eo reperiuntur. 18
Mahumetus fuit Idolatra. 18
Dicit Mahumetus ſe eſſe generalem prophetam. 18
Dicit Alchoranus, quod Iudæi,Chriſtiani, & Sabęi ſaluabuntur, & poſtea dicit quod nullus ſaluabitur niſi in lege Saracenorum. 18
Concedit ſodomiam tam cum Maſculo, quam cum fęmina; & ibidem dicit,quod ſodomite tempore Loth operati ſunt abominabile vitium. 19
Dicit Mahumetus ſe miſſum eſſe Arabibus, quia nuncium non habuerunt. 19

In ſeptimo Capite iſta notantur.

MOyſes,& alij prophete fecerunt magna,& inaudita miracula; & Chriſtus venit cum prodigijs,& ſignis maximis; Mahumetus autem nullum ſignum fecit. 20
Alchoranus, mandauit talia Saracenis, ad quæ mundus pronus eſt, & ſine miraculo currit. p.20.& p.2
Mahumetus non eſt miſſus in virtute armorum vt ipſe dicit. 21
Quomodo Saraceni dicuntur ſaluati,& qua ſalute. 21
Mahumeti ſententia ridiculoſa. 21
Dicit Mahumetus, quod Deus miſit pro eo Gabrielem, qui duxit beſtiam vnam, cuius nomen Elborac,quæ loquebatur, & ibat in vna hora itinere quinque millium Annorum. 21
Chriſtiana fides, quæ præcipit ardua, fundata eſt in miraculis vtilibus,& manifeſtis. 22
Conuincuntur Saraceni,negantes,& non credentes,quod miracula fecerit Chriſtus,& cęteri ſancti. 22

Circa Caput octauum.

QVod lex Saracenorum ſit omnino irrationabilis, ratione miniſtri,ratione ſui,operis, & finis. pag. 22

Eſt

Digitized by Google

Eſt omnino irrationabile, quod lex tam ſancta (vt aiunt Saraceni) ſit miniſtrata per tam ſceleratum hominem, raptorem, &c. 23
Mahumetus nunquam de peccatis ſuis grauiſſimis culpam ſuam dixit, neque pęnitentiam fecit, immo ſuper peccato blaſphemiam addidit. 23
Due vxores Mahumeti, inueniunt ipſum concubere cum quadam muliere dicta Maria; ipſumque valde repræhendunt, qui ſtatim erubuit. 23
Nullum peccatū in propheta eſt minus tollerabile, quā lubricitas. 24
Dicit Mahumetus, ſe neſcire finem ſuum, & Saracenorum, & an ſit in via ſalutis, vel perditionis. 24
Ait Mahumetus, quod non eſt in mundo qui Alchoranum intelligat. 24
Dicit Mahumetus, quod Deus mandauit Angelis vt adorarent Adā, & qui noluerunt, facti ſunt Dęmones: qui autem adorauerunt remanſerunt Angeli. p.24.& p.7
Præcipit Mahumetus, quod occidantur qui ſunt increduli ideſt qui non ſunt Saraceni. 25
Mandat Mahumetus, quod quando orare volunt, lauent manus, culum, & ventrem. 25
Saracenus poteſt repudiare vxorem ſuam, & reconciliare, quoties ei placuerit, vel diſplicuerit. 26
Poſt tertiam repudiationem non poteſt eam reconciliare, niſi prius cognoſcatur ab alio carnaliter bene rigido membro, & quod ſit ſine menſtruis. 26
Dicitur per totum Alchoranum, quod Beatitudo Saracenorum eſt habere hortos irriguos, vxores, concubinas, &c. p.26.& p.7
Ponitur ordo commeſſationum. 26
Tota intentio Alchorani, & Saracenorum eſt, quod beatitudo conſiſtit præcipue in actu gullæ, & luxuriæ. 26
Quod falſiſſima ſit poſitio Alchorani de vltimo fine beatitudinis poſito ab ipſo, & a Saracenis accepto, multis rationibus oſtenditur, &c. 26
Pluries dicitur in Alchorano, quod Deus iurat per vrbem fidelem, per ficetum, & oliuetum. 29

In nono Capite iſta notantur.

MVlta falſa Mahumetus de ſuo intermiſcet in Alchorano, adeo quod totum vere ſuſpectum, & falſum reputari debet; ad decem tamen principales falſitates reducuntur. 30

Primi

Digitized by Google

Primo, Mahumetus falſa dicit de ſeipſo. 30
Secundo falſa dicit de Chriſtianis. 30
Tertio, falſa dicit de Iudęis. 31
Quarto, falſa dicit de Apoſtolis. 31
Quinto, falſa dicit de Patriarchis. 31
Sexto, falſa dicit de Dęmonibus. 32
Septimo, falſa dicit de Angelis. 32
Octauo, falſa dicit de Beata Virgine. 32
Nono, falſa dicit de Chriſto. 33
Decimo, falſa dicit de Deo. 33
Multa abſona Saraceni trahunt de Alchorano. 35
Ponit cœlum creatum eſſe de fumo, fumus de vapore maris, &c. 35
Dicit quod Sol, & Luna erant æqualis luminis, & virtutis, & quod Angelus Gabriel volando ala ſua tetigit Lunam, quæ ſtatim obtenebrata fuit. 35
Dicit quod in Arca Noe, natus eſt Sus de ſtercore Elephantis, & Mus de ſtercore Porci, & Catus de fronte Leonis. 35
Cauſa, quare caro porcina illicita ſit Saracenis. 35
Dicit, quod Deus in fine mundi occidet omnem creaturam, etiam Angelos, & nihil remanebit viuum niſi Deus., & mors, quæ eſt quidam Angelus, qui dicitur Adriel, & quod Deus præcipiet Adrieli quod occidat ſe. 35
Mahumetus fecit librum, vbi ſunt duodecim millia verba, ex quibus triamillia tantum dicit eſſe vera. 35
Litterati, & ſapientes inter Saracenos, dictis Alchorani nullam adhibent fidem. 35

In Capite decimo iſta habentur:

Lex Saracenorum, eſt lex occiſionis, & mortis. 37
In toto Alchorano vniuerſaliter mandatur, quod occidantur contradicentes, & non credentes. 37
Mahumetus fuit Antichriſti precurſor. 37
Dicit Mahumetus patruo ſuo, quod ſi non fieret Saracenus, occideretur. 38
Quatuor ſunt partes tenentium Mahumeti errorem. 38
Prima eſt illorum qui per gladium intrauerunt. 38
Secunda eſt illorum qui decepti a Diabolo falſa credunt eſſe vera. 38
Tertia eſt illorũ qui à progenitorũ errore minime diſcedere voluẽt. 38
Quarta eſt illorum qui propter laxiuam vitam, & vxorum multitudinem, &c. Iſtam infelicem vitam valde diligunt. 38

Quili-

Quilibet Saracenus, magis eligit mori Christianus, q̃ Saracenus. 38
Magiſter Saracenorum, antequam exponat legem Saracenis, denudat enſem. 39
Chriſtiani, dum prædicant, non enſem, ſed Crucem eleuant. 39
Soli Saraceni nutriunt eſſaſſinas occiſores hominum. 39

In Capite vndecimo iſta ſunt.

QVæ ſunt a Deo, ordinata ſunt. 40
Lex vetus, & Euangelica procedunt ordine naturæ, temporis, & hiſtoriæ. 40
Alchoranus, ſine vllo ordine procedit. 40
Non eſt homo in mundo, qui poſſit de exiſtentibus in Alchorano reddere rationem, puta, de ordine Hiſtoriç, & capitulorum, nec etiam de ordine materiæ. 40
Mahumetus frequentiſſime loquitur vt ſominiator. 41
Ordo verborum in Alchorano grammaticaliter, & rethoricè eſt pulcherimus. 41

Circa Caput duodecimum.

ALchoranus, placet Dæmonibus. 42
Alchoranus, eſt cauſa omnium malorum. 42
Alchoranus, licet aliquando prohibeat rapinam, vel periurium, & alia; tamen ipſa prohibitio, eſt quedam permiſſio. 42
Alchoranus, nunquam mandat quod rapina reſtituatur. 43
Sufficit Saraceno poſt omne malum, & ſcelus perpetratum, quod dicat, non eſt Deus niſi Deus, & Mahumetus eſt nuntius Dei. 43
Dicitur in Alchorano, quod Deus non imputabit Saracenis defraudationem iuramenti. 43
Dicit Mahumetus, quod Deus diſponſauerat ſecum quod non ſeruaret, quod licite iurauerat. 43
Dicit, quod Deus non miſit Angelos in mundum, ſed Mahumetum hominem nuntium miſit, quia Angeli ire non poterant, ſecuri per mundum. 43
Mahumetus erat homo carnaliſſimus, & frequentiſſime intendebat operi luxuriæ. 43

In tertium declmo Capite.

PRincipalis author Alchorani non fuit homo, ſed Diabolus firmiter a ſapientibus creditur. 44
Diabolus aſſumpſit hominem ſceleſtiſſimum pro inſtrumento, ad ſubuertendum mundum vniuerſum 44
Origo Mahumeti cum ſua mala natura, & qualitatibus peſſimis. 45

Digitized by Google

Mahumetus habuit in ſuo conſortio viros hæreticos, & ſceleſtiſſimos. 45
Mahumetus, quædam compoſuit per modum legis, nec tamen populus tunc habuit Alchoranum. 45
Merbam compoſuit hunc Alchoranum, & alios combuſſit. 45
Quidam potens, ex Alchorano extraxit octuaginta quinque ſententias, & alias totidem alterius ſenſus addidit. 46
In capitulo Elharam dicitur quod nullus nouit expoſitionem Alchorani, niſi Deus. 46
Dicũt Saraceni, ꝙ Mahumetus ſcripſit hũc Alchoranũ ex ore Dei. 46
Doctores magni, & orientales ab occidentalibus; & iſti abinuicem maxime diſcordant circa ipſum Alchoranum. 46
Quidam Calipha de Baldacho, edifficat ſcolas ſolemniſſimas, in ipſo Baldacho, ſtudium Alchorani reformat. 46

In Capite quartodecimo iſta ſunt.

MAhumetus compoſuit fictam, atque ridiculoſam viſionẽ. 47
Poſt narrationem viſionis fictæ, ſexagintamillia, a lege ſua receſſerunt. 48
Petunt a Mahumeto qui legem ſuam ſeruabant, vt ipſis videntibus de die aſcenderet in cœlum, & quod faceret miracula. 48
Alchoranus, affirmat, Mahumetum nullum feciſſe miraculum. 48
Plures fuerunt quos gladius conſumpſit, quam qui gratis eum ſecuti ſunt. 48
Sola fictio viſionis prædictæ, ſufficere deberet ad confutandum quicquid fecit Mahumetus. 48
Aliquando ponit Mahumetus de ſe multa miracula, aliquando dicit, ſe nullum feciſſe miraculum. 48
Quomodo potuit ſuſtinere in cęlo tot ſplendores Angelorum, ſi quando Augelus ei apparebat (vt ipſe dicit) ſemper in terram cadebat? 48

In quinto decimo Capite hæc habentur.

DVbia, & quæſtiones ſex mouentur in ipſo Alchorano. 49
Prima quæſtio eſt, Quid ſibi vult hoc, nempe quod Alchoranus, aliquãdo loquitur de Deo in ſingulari, aliquãdo in plurali. 49
Semel Deus cũ ſit vnus, in tota Geneſi pluraliter de ſe loquitur. 50
Mahumetus in Alchorano inducit Deum de ſe loquentem pluraliter, ſed cauſam neſcit. 51

Queſtio ſecunda.

Alchoranus frequentiſſime mentionem facit de Spiritu ſancto, &

Digitized by Google

de Verbo Dei, & ideo quęritur a Saracenis, quis ſit iſte Spiritus ſanctus, & quid ſit hoc Verbum Dei. 51
Saraceni dicere nõ poſſunt ꝙ Spiritus ſanctus ſit aliqua creatura. 51

Quæſtio tertia.

Oſtenditur ſecundum Alchoranum, quod Chriſtus ſit filius Marię, & quod ſit Verbum Dei poſitũ in Maria per Spiritum ſanctũ. 52
Quæritur, an iſtud Verbum ſit accidentale, vel perſonale, & reale. 52
Mahumetus oſtendere volens, quod Verbum diuinum non ſit Filius Dei, nullam aliam rationem adducit, niſi, quia Deus non habet vxorem. 53
Dicit Mahumetus, ꝙ Virgo Maria potuit habere Filiũ ſine viro. 53
Dicit Mahumetus, quod Deus infudit Verbum ſuum, & ſpiritum in Maria. p. 53
Poſtquam Mahumetus benedixerat, quod Chriſtus ſit Verbum Dei non ſtetit in veritate ſed contradixit ſibi ipſi. 54
Contigit Mahumeto id quod de alijs ipſe ſcripſit, nempe quod quidam reprobant quod non intelligunt, ſic Mahumetus non intelligens miſterium Incarnationis, ideo reprobat ipſum. 54

Quæſtio quarta.

Quæritur quare Saraceni non habent ſcripturam ſacram, & Euangelium, cum pluries Mahumetus in Alchorano valde comendat ſacram ſcripturam, & Euangelium. 55
Docet Alchoranus Saracenos, ꝙ petant auctoritatẽ legis Moyſi. 55
Alchoranus ſibi malitioſe prouidit, ponendo quatuor remedia. 55

Quæſtio quinta.

Queritur, quid ſibi vult Mahumetus in Alchorano, quod totiens replicat de ſe ſcribens, credite in Deum, & nuntium: obdite Deo, & nuntio? &c. 56

Quæſtio ſexta.

Quæritur, quare, Saraceni non ſequuntur potius Chriſtum, quam pſalterium, cum ſit, quod Alchoranus multa magnifica dicit de Chriſto, & de Mahumeto multa vilia. 56
Dicit Alchoranus ꝙ Chriſtus fuit ſue matri per Angelũ nuntiatus, fortificatus fuit per Angelũ, & conceptus fuit, ex uirtute Dei. 56
Quod Mahumetus fuit orphanus errans. 56
Chriſtus nullum peccatum unquam commiſit, Mahumetus autem fuit Idolatra, homicida. &c. 57
Chriſtus multa, & inaudita miracula fecit: Mahumetus, ſecundum Alchoranum, nullum fecit miraculum. 57

Dicit

Dicit Mahumetus, quod in abſcondito, & de nocte ipſe miracula faciebat. 57
Mahumetus fuit doctor ignorans. 57
Dicit Alchoranus, quod Chriſtus non fuit mortuus, ſed Deus aſſumpſit eum,& quod Mahumetus omnino mortuus eſt. 57

In ſextodecimo Capite iſta ſunt.

EVangelium preeminet incomparabiliter Alchoranum. 58
Alchoranus non eſt lex Dei. 58
Dicit Mahumetus in Alchorano,quod in Euangelio eſt directio & lux,& ueritas manifeſta. 58
Lex,quæ omnino eſt neceſſaria ad ſalutem omnium,uoluit Deus,vt in omnibus locis,& linguis origialiter ſcriberetur. 59
Alchoranus dicit,ſe datum eſſe a Deo ſolum Arabice,& quod nemo poteſt illum intelligere, niſi ſciat linguam Arabicam. 59
Omnes qui ſaluari volunt,ſciant Chriſtum eſſe Saluatorem. 59
Euangelium, eſt perfectio, & complementum legis Moſaycæ, & Prophetarum. 59
Euangelium nõ habet ſtilum metricũ,ſed ſimplicem,& cõmunẽ. 59
Euangelium non eſt blanditoriũ,nec fabulã vllam in ſe continet. 59
Malorum peruerſitas,non impedit veritatem, & perfectionem ſanctiſſimæ legis. 61

In Decimoſeptimo Capite iſta notantur.

DIcunt Saraceni; quod non dicunt, quod Euangelium non ſit à Deo; ſed quod tam ardua,& tam perfecta contineat, quod mundus ea perficere non ualebat. 62
Dicunt Saraceni,quod Deus temperauit præcepta Euangelica,& dedit mundo Alchoranum,qui eſt facilis ad ſeruandum. 62
Dicunt etiam, quod Alchoranus ſuccedit loco Euangelij. 62
Non poteſt dici,quod Euangelium ſit datum ad tempus, ſcilicet,vſque ad Alchoranum. 62
Non poteſt dici,quod poſtquam Deus dedit Euangelium, Aduerterit, quod mundus ipſum ſeruare non poterat, illumque correxit, præceptaque temperauit. 62
Dicit Alchoranus,quod Saraceni non ſunt,niſi compelant Euangelium,& legem Moyſi. 62
Quanto lex aliqua eſt magis larga, tanto eſt minus mentoria. 62
Saraceni non obſeruant legem Alchorani. 63

FINIS.

Digitized by Google

TABVLA LOCORVM OMNIVM SACRAE Scripturæ, tam veteris, quam noui teſtamenti, in quibus hæretici iacula prauarum expoſitionum proijciunt, & ſenſum verum, atque Catholicum abolere ſiue deprauare obnixe conantur vt videre eſt incipiendo a libro Geneſis.

VIdit Deus cũcta quę fecerat, & erãt valde bona. p. 70
Creſcite, & multiplicamini, &c. ibidem
In 2. cap. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. ibidem
Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, adhærebit vxori ſuæ. ibidem
In 3. cap. in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 71
In 6. & 8. cap. Quod cuncta cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore: Quod etiam ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. ibidem
In 9. cap. Omne quod mouetur, & viuit ſit vobis in cibum. 72
Dicitur de Noe, & in cap. 10. de Lot, quod inebriatus eſt. p. 72
In 14. cap. Melchiſedech rex ſalem, proferens panem, & vinum. 72
In 15. cap. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiã. 73
In 19. cap. Dicit Loth. Habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt virũ; educam eas ad vos, & abutimini eis, ſicut vobis placuerit. 73
In 39. cap. Fuit Dominus cum Ioſeph, & miſertus eſt illius. 74
In 48. cap. inuocetur ſuper pueros iſtos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Iſaac, &c. 74

Ex libro Exodi.

IN 9. cap. Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. p. 76
In 10. cap. Ego indurau cor Pharaonis, &c. 76
In 20. cap. Ego ſum Dominus Deus tuus, Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo de ſuper, & quæ in terra deorſum, Non adorabis ea, neque coles. 77
In 23. cap. Non erit in te infecunda, nec ſterilis. 77
In 32. cap. Videns autem populus quod moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit: ſurge, fac nobis Deos qui nos præcedant. 77

Sedit populus manducare,& bibere,& ſurrexerunt ludere. p.80

Ex libro Numerorum.

IN 23.cap. *Dixit Dominus,& non faciet? locutut eſt,& non adimplebit? Ad Benedicendum adductus ſum (inquit Balaam) &c.* p. 80

Ex libro Deuteronomij.

IN 4.cap. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo,& in 12.cap. Quicqnid pracipio tibi,hoc tantum facito Domino:nec addas quicquam,nec minuas.* 81

Cuſtodite igitur ſolicite animas veſtras, non vidiſtis aliqnam ſimilitudiuem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis,ne forte decepti,faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ. 82

Vide ne errore deceptus colas, & adores ea, quæ creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus,quæ ſub cœlo ſunt. 83

Quia Deus dilexit patres tuos,& elegit ſemen eorum poſt eos. 83

Cuſtodite ſolicite animas veſtras,ne faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel fœminæ. 84

In 6.cap. Eritque noſtri miſericors,ſi cuſtodierimus, & fecerimus omnia præcepta eius. 85

Dominum Deum tuum timebis,& illi ſoli ſeruies. 85

In 7. cap. Elegit vos Dominus, & vobis iunctus eſt, non quia cunctas gentes numero vincebatis, ſed quia dilexit vos. 86

Non erit ſterilis apud te vtriuſque ſexus. 86

In 9. cap. Ne dicas in corde tuo, Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc poſſiderem. 87

In 23.cap. Non dabis fratri tuo ad vſuram,ſed alieno. 87

Ex libro quarto Regum

IN 8.cap. *Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas,& ſuccidit luces,confregitque ſerpentem quem fecerat Moyſes.* 88

In 22.cap. Dixit Domnius ad Ioſiam,colligam te ad patres tuos,vt nõ videant oculi tui mala,quæ introducturus ſum ſuper locũ iſtũ. 88

Ex libro Iob.

IN 14.cap. *Homo mortuus non intelliget ſi nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles.* 89

Ex libro Pſalmorum.

IN 1.Pſal. *Beatus vir,qui in lege Domini meditabitur Die ac nocte.* pag. 90

In 15. Pſal. Non derelinques animam meam in inferno. 90

In 18.Pſal.Delicta quis intelligit? 91
In 43.Pſal. Si expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nonne Deus requiret iſta? 91
In 50.Pſal.Cor contritum,& humiliatum Deus non deſpicies. 92
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. 93
In 74.Pſal. Confitebimur tibi Deus,& inuocabimus nomen tuum. 93
In 77.Pſal.Et recordatus eſt quia caro ſunt ſpiritus vadens, & non rediens. 94
In 115.Pſal.Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax. 94
In 118.Pſal. Declaratio ſermonum tuorum illuminat. 94
In 142.Pſal. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens 95
In 150. Laudate Dominum in ſanctis eius. 95

Ex libro Prouerbiorum.

IN 16.cap.Domini eſt gubernare linguam. 96

Ex libro Eccleſiaſtes.

IN 3.cap.Idem eſt interitus hominum,& iumentorum. 97
In 9.cap.Melior eſt canis viuus leone mortuo. 99

Ex libro Sapientiæ.

IN 8. cap. Sciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det,& hoc ipſum erat ſuma ſapiẽtia, ſcire cuius eſſet hoc donũ. 98
In 16.cap. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum,& paratum panem de cælo præſtitiſti eis ſine labore,&c. 99

Ex Iſaia.

IN 40.cap. Quis adiuuit ſpiritum Domini,aut quis conſiliarius eius fuit.,&c. p. 100
In 42. cap. Ego Dominus, hoc eſt nomen meum gloriam meam alteri non dabo. 100
In 43.cap.Ego ſum,ego ſum ipſe,qui deleo iniquitates tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor. 101
In 53.cap.Vere languores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe portauit. Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum. 101
In 63.cap. Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos, &c. 102
In 64.cap.Et facti ſumus vt immundi omnes nos,& quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ,noſtræ. 103
In 66.cap. Cęlum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum: Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi,&c. 103

Ex Ieremia.

In 9.cap. Non glorietur ſapiens in ſua ſapientia, nec fortis in ſua for-

titudine, ſed qui gloriatur, in hoc glorietur ſcire, & noſſe me, &c. pag. 104
In 10. cap. Scio Domine, quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos. 105
In 15. cap. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima ad populum iſtum. 105
In 17. cap. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor eius. 105

Ex Propheta Ezechiele.

IN 18. cap. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor. 106
In 28. cap. In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te. 107

Ex Oſea.

IN 1. cap. Vade ſume tibi vxorem fornicationum, & fac mihi filios fornicationis. 107
In 13. cap. Perditio tua ex te Iſrael, tantũmodo in me auxiliũ tuũ. 107

Ex Malachia.

IN 2. cap. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, Quia Angelus Domini exercituum eſt. 108

Ex Machabeis.

QVi ſcripſit Hiſtoriam Machabeorum circa finem ſecundi petit veniam ſibi concedi, ſi minus digne ſcripſerit. 109

Ex Mattheo.

IN 1. cap. Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. 109
In 4. cap. Non in ſolo pane viuit homo ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. 110
Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. 110
In 5. cap. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam (excepta fornicationis cauſa) facit eam mechari, & qui dimiſſam duxerit adulterat. 112
Nolite iurare omnino, ſe ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. 113
Ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium, &c. 113
In 6. cap. Tè faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera: vt tua eleemoſyna ſit in abſcondito. 113
Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem

trem

trem tuum in abſcondito. 114
Orantes nolite multum loqui. 114
Sic vos orabitis Pater noſter qui es in cælis, &c. 114
Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. 115
In 7.cap. Si ergo vos cum ſitis mali. Noſtis bona data dare filijs veſtris, &c. p 115
Non poteſt arbor mala, bonos fructus facere, &c. 115
A fructibus eorum cognoſcetis eos. 116
In 8.cap. Sicut crediſti fiat tibi. 116
Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 117
In 9.cap. Diſcite a me, quid eſt, miſericordiam uolo, & non ſacrificium, pag. 117
Fides tua te ſaluum fecit, & ſecundum fidem veſtrā fiat vobis. 119
In 10.cap. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, &c. 120
Vnus paſſer non cadet ſuper terram ſine patre veſtro, & veſtri capitis capilli omnes numerati ſunt. 121
Non veni pacem mittere, ſed gladium. 121
In 11.cap. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c. 122
In 13.cap. Sinite creſcere zizania vſque ad meſſem. 122
Qui habet aures audiendi audiat, item. Vobis datum eſt noſce myſteria regni Dei, &c. 123
In 15.cap. Populus hic labijs me honorat. 123
Omnis plantatio quam non plantauit pater meus celeſtis, eradicabitur, Item, ſine cauſa volunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. 123
Quod intrat in os non coinquinat hominem. 124
In 16.cap. Super hanc petram ego edificabo Eccleſiam meam. 125
In 17. cap. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipſum audite. 127
In 18 cap. Si peccauerit in te frater tuus vade corripe eum inter te, & ipſum ſolum. 127
In 19.cap. Vnus eſt bonus, Deus. ibid.
Si uis ad vitam ingredi ſerua mandata. 128
in 20. cap. Primi erunt nouiſſimi, & nouiſſimi primi: & quod ſinguli acceperunt ſingulos dennarios. 128
Principes gentium dominantur eorum; & qui maiores ſunt poteſtatem excercent inter eos 128
in 22.cap. Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? 128

In 23.cap. Nolite vocari Rabbi,& nolite vocari Magiſtri. 129
Decimatis mentam ,& anethum , & cyminum , & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis iudicium,miſericordiam,& fidem,Hæc oportuit facere,& illa non omittere. 129
In 24.cap.Tradent vos in tribulationem,& occident vos. 130
Cum ergo videritis abominationem deſolationis,&c. 130
Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus,aut illic nolite credere. 131
Sicut fulgur &c.item.videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli. 132
In 25.cap.Oportuit te committere pecuniam meam numularijs,& ego veniens recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura. 133
Ibunt hi in vitam æternam,alij vero in ſupplicium eternum. 133
In 26.cap.Pauperes ſemper habebitis vobiſcum,me autem non ſemper habebitis. 133
Accipite,& manducate,hoc eſt corpus meum. 134
Hoc facite in mei memoriam. 135
Bibite ex eo omnes. 135
Qui gladium acceperit,gladio peribit. 136
Spiritus promptus eſt caro autem infirma. 136
Accipite,& manducate. 136
In 28.cap.Docentes ſeruare mandata. 136
Prædicate Euangelium omni creaturę. 136
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. 137
Data eſt mibi omnis poteſtas in cęlo,& in terra;Euntes ergo docete omnes gentes. 137

In Euangelio diui Marci hæc ſunt.

IN 2.cap.Non poſſunt filij ſponſi ieiunare quandiu cum ipſis eſt ſponſus. Auferetur autem ab eis ſponſus,& tunc ieiunabant. 138
In 7.cap.In vanum colunt me,docētes doctrinas,et pręcepta hominum pag. 138
Nihil eſt extra hominem intro iens in eum, quod poſſit ipſum coinquinare. 139
In 11.cap. Et cum introiſſet in templum,cœpit eijcere vendentes, & ementes,&c. 140
In 16.cap. Qui crediderit,& baptizatus fuerit : ſaluus erit. 140

Ex Diuo Luca.

IN 1.cap. Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei. pag. 142

In

Digitized by Google

In 7.cap.Dixit dominus ad mulierem. Remittuntur tibi peccata. 142
In 17.cap.Cum feceritis omnia quę pręcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere fecimus. 143
In 19. cap. Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum uſuris vtique recepiſſem illam? 144
In 20. cap. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic, ſed, qui maior eſt in uobis, fiat ſicut minor, &c. 145
In 22.cap. Amodò non bibam de generatione vitis, &c. 146
Hoc facite in meam commemorationem. 147
In 23.cap. Dixit Chriſtus latroni, hodie mecum eris in paradiſo. 147
In 24.cap. Palpate, & videte quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videti habere, &c. 148

Ex Euangelio Sancti Ioannis.

IN 2.cap. Quid mihi, & tibi mulier. 149
In 3.cap. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum cœlorum. 150
Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt intrare in Regnum Dei 150
In 4.cap. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu & veritate adorare oprtet. 151
In 5. cap. Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, Et illę ſunt quæ teſtimonium perhibent de me, &c. pag. 151
In 6. cap. Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille, Item qui credit in me habet vitam æternam. 152
Nemo poteſt venire ad me niſi pater qui miſit me traxerit eum. pag. 153
Erunt homines docibiles Dei, ſeu docti a Deo. 153
Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis? 153
Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui viuificat. 155
In 8. cap Nemo te condemnauit mulier? Nemo Domine, nec ego te condemnabo. 156
In 9 cap. Deus peccatores non exaudit. 157
In 13. cap. In hoc cognoſcent quod diſcipuli mei eritis, ſi inuicem dilectionem habueritis. 157
In 14.cap. Ego ſum via, veritas, & vita. 157
In 15.cap. Omnia quicunque audiui a patre meo, nota feci vobis. 158

Digitized by Google

Chriſtus pro ſuis electis orauit. 158
In 19.cap.Conſumatum eſt. 158
In 20.cap.Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. 159

In Actibus Apoſtolorum.

IN 1.cap.Sicut vidiſtis eum aſcendentem in cœlum ita veniet. 160
In 2.cap.Non derelinques animam meam in inferno. 160
Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. 161
Hunc Chriſtum Deus ſuſcitauit à mortuis, ſolutis inferni doloribus. 161
Sacramentum Euchariſtiæ vocatur panis. 161
In 3.cap. Quem oportet cælum retinere quo ad venerint tempora refrigerij,&c. 161
In 4.cap.Non eſt aliud Nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri: & non eſt in alio ſalus quam in Chriſto. 163
Obedire oportet magis Deo quam hominibus. 164
Omnia autem erant Chriſtianis communia. 164
In 8.cap.Cum audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſolimis. Quod Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem. pag. 164
In 10.cap. Ait Petrus, Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum, & vox dixit ad eum: Quod Deus purificauit tu commune ne dixeris. 164
Petro venit obuiam cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit eum, Petrus vero eleuauit eum, dicens ſurge, nam, & ego ipſe homo ſum. 165
In 13.cap.Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis eternæ vitæ. ecce conuertimur ad gentes. 166
Dauid cum in generatione ſua adminiſtraſſet voluntati Dei Dormiuit,&c. 167
In 15.cap. Ego iudico, non inquietari eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum. 167
In 17.cap.Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis inhabitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo,&c. 167
In 20.cap. Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui (ſicut ipſi ſcitis) quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & ijs qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſte. 168

Ex

TABVLA

Ex Epiſtola ad Romanos.

IN 1.cap. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones Ignominiæ Item tradidit illos Deus in reprobum ſenſum vt faciant ea quæ non conueniunt, &c. 170

In 2.cap. Cum gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt: eiuſmodi legem non habent, ipſi ſibi ſunt lex, &c. pag. 171

In 3.cap. Eſt Deus verax, omnis autem homo mendax. 171

Cauſati ſumus omnes ſub peccato eſſe, omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. 171

Arbitramur hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. 172

In 4.cap. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. pag. 173

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. 174

In 5.cap. Gloriamur in ſpe glorię filiorum Dei, non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, &c. 175

In 6.cap. Gratia Dei vita æterna. 175

In 7. cap. Ego carnalis ſum venundatus ſub peccato, Quod enim operor non intelligo, Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum illud facio, &c. 176

In 8.cap. Certus ſum, quod neque mors, neque aliquid aliud me ſeparabit a Charitate Dei. 177

Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis. 177

In 9.cap. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt quia maior ſeruiet minori, &c. 178

In 10.cap. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. &c. 179

In 11.cap. Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa, & ſi radix ſancta, & rami, &c. 180

Si gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non eſt gratia. 181

In 12.cap. Non vos defendentes, chariſſimi: ſed date locum iræ, &c. 181

In 13.cap. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. pag. 181

In 14.cap. Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui manducat per offendiculum, &c. 182

Alius iudicat diem inter Diem, alius autem iudicat omnem Diem

vnuſ-

vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. 183
In 15. cap. Vnuſquiſque placeat proximo ſuo in bonum ad ædificatiõnem. 184
In 16.cap.Obſeruetis eos qui diſſenſiones, & offendicula prȩter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt. 184

In Epiſtola prima ad Corinthios.

IN 1.cap.Non glorietur omni caro in conſpectu Dei,ſed quemadmodum ſcriptum eſt; Qui gloriatur in Domino glorietur. 185
In 3.cap. Cum enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego ſum Apollo nonne homines eſtis? &c. 185
Fundamentum aliud nemo ponere poteſt præter id quod poſitum eſt, Quod eſt Chriſtus Ieſus. 186
In 6.cap.Empti enim eſtis prætio magno. 186
In 7.cap Propter fornicationem vnuſquiſque habeat vxorem ſuam,& vnaquæque virum ſuum habeat. 187
Qui non ſe continent, nubant; melius eſt enim nubere, quam vri. pag. 187
Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem; & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: Alioquin filij veſtri immundi eſſent, Nunc autem ſanctificati ſunt. 189
Prætio empti eſtis,nolite fieri ſerui hominum. 189
In 8.cap. Eſca nos non commendat Deo, neque enim ſi manducauerimus, abundabimus, neque ſi non manducauerimus, deficiemus. pag. 190
In 9.cap. Si Euangelizauero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit:Væ enim mihi ſi non Euangelizauero 190
Omnibus omnia factus ſum. 191
In 10.cap.Patres omnes noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt,& omnes eundem potum ſpiritualem biberunt,&c 192
Petra autem erat Chriſtus. 195
Panis quem frangimus (Item) de vno pane participamus. 195
In 11.cap.Conuenientibus vobis in vnum,iam non eſt Dominicam cœnam manducare,&c. 196
Oportet hæreſes eſſe. 197
Quotieſcunque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. 197
Vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum. 199
In 14.cap. Vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis: quomodo ſcietur id quod dicitur? &c. 200

Digitized by Google

Prophetę duo aut tres dicant,& cęteri diiudicent,&c. 201
in 15.cap.Gratia Dei ſum id quod ſum 201

In ſecunda Epiſtola ad Corinthios.

IN 3.cap. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis,ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. 203
Vbi ſpiritus Domini,ibi libertas 203
In 4.cap.Semper nos,qui viuimus in mortem tradimur propter Ieſum vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. 203
In 5,cap.Omnia ex Deo,qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum. 204
In 9.cap.Hilarem datorem diligit Deus. 205

Ex Epiſtola ad Galatas.

IN 1.cap. Sed licet nos aut Angelus de cælo Euangelizet vobis præter quam quod Euangelizauimus vobis,anathema ſit,&c. 205
In 2.cap. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat,&c. 206
In 4.cap.Timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis, dies obſeruatis,& menſes,& tempora,& annos. 207
In 5.cap.Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum ſpiritus autem aduerſus carnem,&c. 208
Si ſpiritu ducimini non eſtis ſub lege. 209
In 6.cap.Si quis ſe exiſtimat aliquid eſſe, eum nihil ſit: ipſe ſe ſeducit. pag. 209

Ex Epiſtola ad Epheſios.

IN 2.cap. Gratia eſtis ſaluati per fidem,& hoc (non ex vobis Dei enim donum eſt)non ex operibus,ut ne quis glorietur. 210
In 3.cap.In Chriſto Ieſu habemus fiduciam,& acceſſum in confidentia, per fidem eius. 211
In 5.cap.Implemini Spirituſancto,loquentes uobiſmetipſis in Pſalmis, Hymnis,& canticis ſpiritualibus,cantantes,& pſallentes in cordibus veſtris Domino. 211
Relinquet homo patrem,& matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una,&c. 212
In 6.cap.Aſſumite gladium ſpiritus,quod eſt uerbum Dei,&c. 212

Ex Epiſtola ad Philipenſes.

IN 2.cap.Deus eſt,qui operatur in vobis,& uelle, & perficere, pro bona ſua uoluntate. 213
In 3.cap.Noſtra conuerſatio in cælis eſt; vnde etiam ſaluatorem expetamus,&c. 213

Digitized by Google

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

IN 1.cap.Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ. 214
in 2 cap. Videte ne quis uos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditiones hominum. 215
Nemo uos iudicet in Cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, &c. pag. 215
Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi,&c. 216
in 3.cap. Quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera dei patris ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite non quæ ſuper terram. 217

Ex prima ad Theſſalonicenſes.

IN 2.cap. Memores facti eſtis fratres laboris noſtri, & factigationis, nocte, & die operantes ne quem ueſtum grauaremus, prædicauimus uobis Euangelium Dei. 219
in 4.cap. Nolumus uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, &c. 220
in 5.cap. Sine intermiſſione orate. 220
Abſtinete ab omni ſpecie mala. 221

Ex ſecunda ad Theſſalo.

IN 2.cap Myſterium iam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. 221

Ex prima ad Thimotheum.

IN 1.cap. Iuxto lex non eſt poſita. 222
Soli Deo honor, & gloria. 223
in 2.ca. Vnus eſt Deus, unus eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Ieſus. 223
Volo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira, & diſceptatione. 224
in 3.cap. oportet Epiſcopum unius uxoris eſſe uirum. 227
in 4.cap. Spiritus autem manifeſte dicit: quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendẽtes ſpiritus erroris, &c. 229
Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt. 231
in 5.cap. Volo ergo uiduas iuniores nubere, & matres familias eſſe filios procreare, &c. 231
Vida eligatur non minus ſexaginta annorum, &c. 231

Ex ſecunda ad Thimotheum.

IN 2.cap. Nolite contendere uerbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. 233
Cognouit Dominus qui ſunt eius. 234
in 3.cap. Omne qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patien-

Digitized by Google

patientur. 234

Ex Epiſtola ad Titum.

IN 3.cap. Hereticum hominem poſt vnam,& ſecundam correptionẽ deuita. 235

Ex Epiſtola ad Hebreos..

IN 4.cap.Habentes pontificem magnum qui penetrauit cælos ipſum Chriſtum Ieſum teneamus ſpei noſtræ confeſſionem, &c. 236

in 6.cap.Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati,guſtauerunt etiam donum cæleſte, &c. 239

in 7.cap.Iurauit Dominus,& non penitebit eum, &c. 240

Talis decebat vt eſſet nobis pontifex, ſanctus, Innocens, Impollutus, &c. 241

in 8. cap. Hoc eſt teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos dicit Dominus.Dabo leges meas,&c. 241

in 9.cap.Omnia pænè in ſanguine mundantur ſecundum legem,& ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. 242

in 10.cap.Hoſtias,& oblationes,& holocauſtomata pro peccato noluiſti,nec placiat ſunt tibi. 243

in 13. cap. Honorabile connubium in omnibus, & Thorus immaculatus. 246

Ex Epiſtola B.Iacobi.

IN 1.cap.Omne datum optimum,& omnedonum perfectum deſſurſum eſt,&c. 248

Religio munda,& immaculata apud Deum,& Patrem, hæc eſt,viſitare viduas &c. 248

In 3.cap.Nolite plures magiſtri fieri fratres mei,ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes. 249

in 5.cap.Ante omnia fratres mei,nolite iurare,neque per cęlum,neque per terram,neque aliud quodcunque iuramentum. 250

Ex prima Epiſtola B.Petri.

IN 2.cap.Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis,&c. 251

Chriſtus pertulit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum. 252

in 4.cap.Si exprobramini in nomine Chriſti,beati eritis,quoniam quod eſt honoris,gloriæ,& virtutis Dei ſuper vos requieſcit. 253

in 5.cap.Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut uos exaltet in tempore uiſitationis, &c. 253

Ex prima canonica B. Ioannis.

In 1.cap.Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. 254

Digitized by Google

Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. 255
in 2.cap. *Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud patrem Ieſum Chriſtum.* 255
Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. 256
in 5.cap. *Hæc eſt uictoria quæ uincit mundum fides noſtra, &c.* 257
Filioli cuſtodite uos a ſimulachris. 257

Ex Apocalypſi.

IN 1.cap. *Chriſtus dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* 258
Chriſtus fecit nos Reges, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo. 259
Ego ſum primus, & nouiſſimus, & uiuus, & fui mortuus, & ecce ſum uiuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis, & inferni. 261
in 14.cap. *Beati mortui qui in Domino moriuntur, Amodo enim dicit ſpiritus ut requieſcant a laboribus ſuis.* 263
Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſuo, &c. 263
in 19.cap. *Et cecidi ad pedes eius ſcilicet Angeli, ut adorent eum, & dixit mihi, uide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fatrum tuorum habentes, teſtimonium Ieſu, Deum adora.* 268
in 22.cap. *Conteſter enim omni audienti uerba prophetiæ libri huius, &c.* 268

FINIS.

Digitized by Google

TABVLA RERVM NOTABILIVM QVAE SPARSIM PER TOTVM opus continentur.

A

ACtiones Chriſti inſtruunt nos ad agendum, & ab actione nõ reuccant.pag.158
Actiones humanę abſque merito Chriſti non ſunt cõdigne ad futuram gloriam. 177
Adulteria nullo modo impunita remanere debent. 156
Ad ſolutionem peccatorum non ſufficit gemitus,& contritio ſed requiritur etiam pęnitentia.106
Ad vitam æternam conſequendam omnis conatuş hominis abſque Chriſto nullam habet efficaciam. 185
Ad participationē ſanguinis Chriſti diſpoſitione multa opus eſt. pag. 255
Affectum dominandi atque imperandi vult Chriſtus a ſuis abeſſe. pag. 145
Ambitionem, & affectum dominãdi Prohibet Chriſtus. 128
Animæ defunctorum mortalibus apparere poſſunt. 94
Apoſtolus damnat ſacrificia legis inutilia. 244.
Apoſtoli in uocatione,& prædicatione pares erant Petro,in regendo Eccleſiam inferiores fuerunt pag. 125
Apoſtolus non præcipit matrimonium omnibus. 187

B

BEata Virgo præbuit materiam ex qua corpus Chriſti a Spiritu

Digitized by Google

ritu ſancto formatum fuit. 110
Beati in Patria, vident, & ſciunt ſtatum noſtrum. 75
Beatus Petrus appellat omnes chriſtianos, Regale ſacerdotium. pag. 263
Beneficiati, quãdo, & quomodo tenere poſſunt beneficium ſine reſidentia. 78

C.

Cantandum eſt in Eccleſia, & corde, & voce, & vnum ſine altero vix perfectum cenſetur. pag. 211
carnali copula carere, abſurdum eſt affirmare Lethale eſſe. 188
caſtitas perpetua ſi eſſet pernicioſa, Eccleſia nunquam approbaſſet. 188
caſtitas perpetua neceſſaria eſt in miniſtris Eccleſiæ. 228
chathedra Romani Pontificis, non eſt ſedes Antichriſti. 221
chriſtianus (& ſi ſãctus) generat hominem impurum, non autem chriſtianum, & ſanctum. 180
Chriſtus dicitur panis, q̃a eſt cibus animæ, quam nutrit, non minus quam panis materialis corpus. pag. 196
Chriſtus non ſolum ſpiritualiter, ſed ſubſtantialiter, & in proprio corpore eſt nobiſcum licet inuiſibiliter. 162
Chriſtus in Euchariſtia præſens eſt perſonaliter. 160
Chriſtus cum hic viueret tam in anima quam in corpore paſſus eſt. 162
Chriſtus in hoſtia, eſt, & ſpiritualiter, & corporaliter. 148
Chriſtus nunquam docuit ſolam fidem ad ſalutem ſuficere, 152
Chriſtus conſecrauit corpus ſuum vere, & panem trãſubſtantiauit in illud. 147
Chriſtus fecit nos omnes ſacerdotes, interno, perſonali, & ſpirituali ſacerdotio. 259
Chriſtus totus, & integrus, perſonaliter eſt in cœlo viſibilis, in Euchariſtia vero inuiſibilis. 168
Chriſtus eſt panis non materialis & corruptibilis, ſed viuus. 196
Chriſtus non prohibet quod non puniantur heretici, immo præcipit vt occidantur. 122
Chriſtus definet eſſe in ſacramento, quando venerit ad iudicium. pag. 132
Chriſtus dum ad iudicium venerit ceſſabunt ſacramenta. 132
Chriſtiani curam habere debent de mortuis. 220
chriſtiani quando colunt ſanctos, & inuocant, nihil gloriæ Dei detrahunt. 85
chriſtiani curam habere debent de ſepulturis. 117
cibus ex ſua natura non coinquinat hominem, ſed tranſgreſſio præcepti. 190
cibi ſumptio quæ fit contra Dei ordinationem, & ſine gratiarum actione coinquinat hominem. pag. 124
ciborum nonnullorum prohibitio in omni tempore a Deo facta fuit. 182
concilia legitime congregata errare non poſſunt. 94
communio Euangelica a quibuſdam dicitur cœna, quia tempore cœnæ inſtituta fuit. 196
corporalis exercitatio quæ a pietate procedit valde vtilis eſt. 230

corpus

Digitized by Google

corpus Chriſti poteſt eſſe in pluribus locis. 214
corpus Chriſti non eſt eſca corporis, ſed animæ. 198
corpus Chriſti in Euchariſtia habet conditiones ſpiritus. 155
corpus Chriſti, eſt in Euchariſtia per tranſubſtantiationem panis in ipſum corpus. 142
corpus Chriſti accipitur, & manducatur vere, ſed non carnali modo. 155
corpus Chriſti corruptis ſpeciebus ſub quibus latet, integrum manet. 161
credere in Chriſtum, eſt credere vitam eius, ipſique confirmari. pag. 180

D

DAmnatus non debet Deum accuſare de ſua damnatione. pag. 179
Decimarum omnium bonorum ſolutio eſt de iure naturæ. 129
Decimas Abraham obtulit Melchiſedech. 73
Decimas omnium quæ Abraham poſſidebat dedit ſacerdoti Melchiſedech. 129
Deus odit iniquos, & iniquitatem, & vt eam deleret ſe humiliauit vſque ad mortem crucis. 119
Deus operatur in nobis velle, & perficere, non totaliter, & ſolus, ſed ipſi cooperamur. 213
Deus, quomodo aliquos in reprobum ſenſum tradat. 123
Deus non deeſt homini in neceſſarijs. 171
Deus quia infinitus eſt, & omnia continet, non poteſt circunſcribi nec diffiniri. 168
Deus omnibus offert media ſalutis neceſſaria. 178
Deus permiſit hominibus animalibus veſci, non autem imperauit. pag. 72
Deus non damnat artem mercandi ſed mercatorum peccata. 107
Deus dat poteſtatem procreandi ſibi ſimile. 70
Diabolus plus nocet electis, & Eccleſiæ Dei per reprobos quam per ſeipſum. 266
Diabolus, eſt ſimia Dei. 111
Diſpoſitio ſemper in nobis neceſſaria eſt, vt gratiam Dei recipiamus. 239
Doctores Theologi qui pro aliquo bono Eccleſiæ a ſuis gregibus abſunt non reprehenduntur. 79
Doctores Theologi, tacent, & dormiunt, qui dicuntur regentes nō legendo. 79
Doctrina quæ prouenit a miniſtris Dei, non eſt hominum ſed Dei. pag. 171
Doctrina catholica nunquam dixit panem eſſe corpus Chriſti, ſed ſubſtantia panis conuerti in ipſum corpus. 195
Donum linguarum ſimpliciter, eſt minus dono prophetiæ, cum interpretatione vero eſt maius. pag. 201

E

EBrietatem, ſcriptura condemnat. 72
Eccleſia Chriſti ordinata, habet vnum primum omnium, qui in ea poteſtatis plenitudinem habet. 207
Eccleſiaſtici tenentur orare pro populo. 220

Digitized by Google

Eccleſiaſtici ſunt mediatores inter Deum,& populum. 220
Eccleſia nullum cibum immundū eſſe cenſet, ſed cum gratiarum actione vult percipi. 165
Eccleſię de pauperario nō eſt refor matio ſed euerſio. 120
Eccleſiæ paſtores præcipientes aliqua à Chriſto dicuntur eſſe præcepta. 127
Eccefiaſticos Principes longe ſuperiores eſſe Principibus ſecularibus oſtenditur. 182
Eccleſiaſtici, Reges, Principes, & mecanici omnes quomodo tenentur laborare. 71
Eccleſia non eſſet vna, ſi in ipſa nō eſſet vnus miniſter, cui omnes chriſtiani obediunt. 127
Eleemoſinas in publico factas chriſtus non damnat ſed innanem gloriam deſſumptam ab eleemoſinis. 115
Electio in nobis, ſicut etiam reprobatio conditionem habet. pag. 179
Euangelij tempore nullum præceptum tollendum eſt. 222
Euangelium non tollit poſſeſſionem, proprietatem, poteſtatem ſiue ordinationem ciuilem, & honeſtam. 164
Euchariſtiæ ſacramentum cur dicatur panis. 162

F

FAcientibus quod in ſe eſt, ſemper Deus dat gratiam. 171
Fides ſola ſine operibus quomodo ſufficiat ad ſalutem. 172
Fides ſine operibus veteris legis ſemper ſufficit ad ſalutem non autem abſolute ſine operibus. pag. 173
Fides chriſtiana non eximit homines ab obedientia principum ſecularium in temporalibus. 182
Fides, quæ per charitatem operatur ſatis eſt ad ſalutem. 257
Fundamentum Eccleſiæ fuit Beatus Petrus, 186

G

GLoria duplex, Dei ſcilicet, & ſanctorum. 100
Gloria Dei ſoli Deo, gloria ſanctorum hominum ipſis tribuenda eſt. 223
Gratia præueniens requiritur ad iuſtificationem, ſubſequens uero ad conſeruandum. 234
Gratia ſine diſpoſitione non recipitur. 209
Gratia Dei eſt principium, & conſeruatio omnium bonorum noſtrorum. 202

H

HAEretici contra totam Eccleſiam multa abſona, & indigna proferunt. 264
Hæreuci fere ſemper negatiue arguunt. 136
Hæretici non poſſunt cogere nos ad confeſſionem impietatis ſuę. pag. 167
Hæretici pęnis corporalibus coercendi ſunt. 212
Hæreticos puniendos eſſe omni tempore, mandat Deus. 197
Hæreticos ad profeſſionem fidei ſeruandam nos cogere poſſumus. 166
Homines Baptizati ſine peccato eſſe poſſunt. 95

Homi-

Hominum actiones omnes ante Chriſtum,& ſine ipſo immunde erant,poſt vero munde poſſunt eſſe, & Deo accepte. 103
Homo ſine auxilio Deo bonum facere non poteſt, 96
Homo poſtquam lapſus eſt in peccatum, ab eo reſurgere non poteſt niſi Deus præueniat ipſum. pag. 105
Honorem debitum prælatis, & ſuperioribus non damnat Chriſtus, ſed faſtum, & ſuperbiam. pag. 129
Horas canonicas omittere non poſſunt Eccleſiaſtici ſine peccato. 220
Humanarum ſcientiarum tantum periti vel potius ignari, mittentes manum in aliorum meſſem deturpant deprauant,atque peruertunt omnia. 224

I

Imago,& Idolum inter chriſtianos multum diferunt inter ſe. pag. 84
Imagines erecte, religionis gratia non damnantur: ſed infidelium Idolatre. 257
Imago pro Idolo accepto apud Chriſtianos, ſumitur pro falſo Deo. p.82
Infantes Chriſtianorum Baptizati ſaluantur in fide alterius. 137
In ſacramento Euchariſtiæ recipitur Chriſtus fons gratiæ. 195
In veteri teſtamento vigebat peccatum, in nouo autem dominatur gratia expulſo peccato. 105
Iuſtificatio prima chriſtianorum, quæ ex impijs efficiuntur pij, eſt ſolius gratiæ Dei. 210
Iuſtificatio non fit per fidem tantum ſed,& per opera ſimul. 73
Iuſtificatur homo per ipſa opera bona. 173

L

Lex Moſayca eſt mutata,& non reiecta. 244
Libertini habent paſſionem Chri- vt velamen ſuæ nequitiæ. 258
Libertas chriſtiana eſt non peccandi,& non eſt velamen, peccatorum. 118
Liberum arbitrium indiget gratia Dei vt bene operetur. 99

M

Manducatio corporis Chriſti non debet dici cœna. 196
Matrimonium laudatur, ſacerdotem uero habere vxorem valde inconueniens eſt. 228
Matrimonium non omnes contrahere poſſunt. 187
Matrimonium Deus cunctis non præcipit. 70
Militiæ neruus,eſt pecunia. 129
Miniſtri verbi Dei gladium, nec in manu,nec in ore,nec in corde habere debent. 121
Miſſa eſt ſacrificium propiciatorium. 256
Miſſa inſtituta eſt,vt per eam fiat recordatio paſſionis Chriſti. 256
Miſſum a Deo ſpernentes, Deum ſpernunt. 126
Myſteria religionis chriſtianæ ſemper deriſa ſunt. 161
Muliere bona, & pudica quid melius? ſtulta,& impudica quid nequius? 227

Digitized by Google

N

NOn excuſantur a peccato, qui ſanctos non orant. 103
Non eſt perfecte iuſtus, qui peccatores ſufferre non poteſt. 131
Non omnis ludus ſimpliciter condemnatur. 80
Non ita de facili eſt vouendum, nec etiam ad votum recipi. pag. 187
Non ita facile eſt Deo vouendum. pag. 99
Nouiſſima tempora dicuntur tempora Euangelij. 230
Nuptiæ, & cibi non damnantur, quando cum gratiarum actione ſumuntur. 230

O

OPera bona ſunt neceſſaria ad ſalutem. 173
Opus bonum, gloriam, & mercedem meretur. 191
Oramus ſanctos non vt nobis concedant, ſed vt nobis a Deo impetrent quod petimus. 89
Oratio vocalis quæ ex puro corde non procedit à Chriſto reprehenditur. 123
Orationem hypocriticam, quæ ſolum fit ad oſtentationem damnat Chriſtus. 114
Orationes longas Chriſtus non damnat. 114

P

PApa in lege Euangelica eſt ſicut Moyſes in veteri. 207
Peccatum non eſt homini eſſentiale, & naturale. 115
Peccatum omne chriſtiani vitare poſſunt, & ſancte viuere 209
Peccata, aliquando Deus ſine miniſtris remittit aliquando vero per miniſtros. 101
Peccata ante, & poſt Babtiſmum non eodem modo remittuntur. pag. 102
Petrus, & Papa eius ſucceſſor, dicitur, & eſt caput Eccleſiæ. pag. 214
Petrus, & ſi alibi prædicauit, non tamen alibi quam Romæ Eccleſiam fundauit. 130.
Poteſtas, & adminiſtratio data eſt Petro non propter ipſum, ſed propter Eccleſiam. 126
Poteſtas remittendi peccata quo ad culpam, vel quo ad pęnam dicitur clauis. 265
Præcepta prælatorum Eccleſiæ, & Principum, quæ non ſunt contra Dei verbum reicienda non ſunt. pag. 164
Præcepta, & externa documenta non damnat Apoſtolus. 242
Prædeſtinatio Dei nulli imponit neceſſitatem nec aufert libertatem. 179
Prælati, debent dicere ſe ſuorum ſubditorum ſeruos 145
Principes chriſtiani, cogere debent eos qui promiſerunt ſeruare Religionem catholicam. 121
Principatum Chriſtus non tollit quem in Eccleſia Apoſtolis conceſſit. 128
Procreati omnino ex peccato, amplexabuntur quodlibet genus vitiorum. 157
Pro imperfectis Chriſtianis, qui nimium terrenis adhæſerunt eſt Purgatorium. 263
Prohibet adorationem Idolatriam crea-

creaturarum, non tamen vſus earum in Dei cultu. 83
Propter bona opera Deus hominibus benefacit. 86
Purgatorium non eſt pro illis qui ſanctè vixerunt. 263
Purgatorium nullum erit poſt iudicium. 133
Purgatorium ponitur pro abluenda peccata poſt babtiſmum perpetrata, 145

Q

QVibus medijs Deus dat gratiam. 209
Qui damnantur nõ imputent Deo ſuam damnationem, ſed ſibi. pag. 178
Qui dicunt hominem Chriſtianum non poſſe eſſe ſine peccato, aperte imminuunt Chriſti meritum. pag. 263
Qui non cognoſcunt Papam Chriſti Vicarium ipſique non obediunt ſunt extra Eccleſiam. pag. 207
Quomodo Beati videant, & intelligant ea quæ hic fiunt. 88
Quomodo liceat aliquando iurare pag. 113

R

REdempti ſumus prætio magno ſcilicet ſanguine Chriſti, non vt nihil operemur, ſed vt per eum ſanctè viuamus. pag. 186
Reges, magiſtratus, & alios ſuperiores, poſſunt præcepta tradere quibus chriſtiani tenentur ſeruare. 189
Requiritur neceſſario, ad ſalutem conformitas cum Chriſto patiente. 84
Reprehenduntur valde mulieres, & mariti. 226

S

SAcerdotes veri, & officioſi omni iure, magis quam Reges honorandi ſunt. 166
Sacerdotes Epiſcopi, & reliqui prætati Eccleſiæ non vſurpant officium Chriſti, quia ab ipſo inſtituti ſunt Vicarij, & miniſtri. pag. 238
Sacerdotes quare ſumant corpus Chriſti ſub vtraque ſpecie, Laici vero ſub vna tantum. 154
Sacerdotes non ſunt conſiderandi vt homines tantum, ſed vt miniſtri Spiritus ſancti. 108
Sacerdotum vocatio eſt longe dignior vocatione Principum mundi. 182
Sacra ſcriptura non reprehendit legitimum vſum templi, ſed abuſum. 104
Sacra ſcriptura reformat naturam noſtram per peccatum leſam, & obſcuratam. 171
Sacramenta, non amittunt efficaciam propter peccata miniſtrantium. 159
Sacramenta extra Eccleſiam accepta non ſunt ſaluraria. 263
Sacrificio interno ſolo, Deus contentus non fuit, ſed etiam externum voluit 260
Sacrificium gratum Deo, eſt ſpiritus contribulatus. 259
Sacramentarius primus fuit Iudas pag. 156
Sancti quomodo orandi ſunt. 289
Sancti

Sancti dum mortales erant iuuare nos poterant. multo magis poſſunt dum ſunt in cœlis. 98
Sancti inuocandi, & orandi ſunt vt mediatores. 93
Scriptura ſacra expoſitione indiget. 95
Scripturæ ſacræ conſuetudo eſt, appellere res non ſemper vt ſunt ſed vt apparent ſenſibus. 196
Scindunt, & diuidunt corpus Chriſti, qui tollunt ſanctorum glorioſorum orationes. 92
Si multi Sacerdotes ſunt incontinentes non eſt mirum, &c. 228
Si non tollatur a miniſtris Eccleſiæ carnalis laſciuia, nunquam omnia tranquilla habebimus. pag. 228
Si vnquam difficile fuit nunc difficillimum eſt mulieres ſaluari. pag. 226
Solus Deus orandus, & inuocandus eſt, vt donator. 93
Spetialia, & quædam miraculoſa Dei facta, non tollunt generalem adminiſtrationem circa creaturas. 80
Statum politicum non mutat fides. 182

T

Tollere liberum arbitrium hominis, eſt dicere, hominem non eſſe hominem. 153
Transgreſſio præcepti coninquinat hominem, non autem quod in os intrat. 139

V

Vicarium Chriſti non agnoſcentes omnino Chriſtum ignorant. 126
Vicarij Chriſti vt homines errare poſſunt, non autem cum ipſa Eccleſia in his quæ ſunt fidei. pag. 206
Virginitatem ſeruare in perpetuũ non eſt impoſſibile. 188
Viri infideles, & adulteri ſæpe puniuntur per vxores laſciuas, & prolem adulterinam. 113
Viſibilibus ſignis, occultauit Deus ſecreta ſua propter fidei exercitationem. 163
Vita æterna eſt, & ex gratia, & ex operibus. 176
Vocatio Euangelica non liberat a conditione politica. 190
Vouere eſt voluntatis, & libertatis, reddere eſt neceſſitatis. 205
Vſura tolit Charitatem Dei, & proximi. 144
Vxorati in Eccleſia orientali in ſacerdotes ordinabantur, non autem ſacerdotes vxores ducebant pag. 228
Vxorem ſuam vir dimittere poteſt quo, ad Thorum tantum. pag. 112

FINIS.

Digitized by Google

Copia. *Gl'Eccell. Sig. Capi dell'Illuſtriſs. Conſ. de X. infraſcritti hauuta fede dalli Sig. Riformatori del ſtudio di Padoua per relatione delli doi a ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitor, & del Cir. Secretario del Senato Zuanne Marauegia con giuramento, che nel libreto in quarto intitulato Improbatio Alcorani Magiſtri Ricoldi fratris ordinis Prædicatorum, non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono licentia, che poſſi eſſer ſtampato in queſta Città.*

Dat die 13. Iulij. 1607.

D. Iſeppo Moreſini.
D. Marco Triuiſan. } *Capi dell'Ill. Conſ. di X.*
D. Z. Antonio Loredan.

Illuſt. Conſ. X. Sec.
Leonardus Otthobonus.

1607. à 19. Nouembre.
Reg. nell'Off. Contra la Biaſtemma.
à carte 181.

Gio. Battiſta Breatto.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO AVTHORIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVOT ſunt dies ſerui tui? quando facies de perſequentibus me iudicium. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Omnia mandata tua veritas iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me. Pſal. 118. Verba ſunt Eccleſiæ militantis quę ſuſpirat, & ingemiſcit grauata diuerſis afflictionibus, à quibus diuino auxilio liberari confidit. Et licet innumeras paſſiones, & tribulationes Eccleſia patiatur, omnes tamen ad tres generaliter reducuntur. Primo nanque paſſa eſt rabiem manifeſte perſecutionis à tyrannis paganis, & hoc precipue à paſſione Chriſti vſque ad tempora Conſtantini. Videlicet trecentis decem annis, quo tempore Romani, qui tenebant monarchiá mundi, & alij pagani per mundum innumeros ſanctos Dei martyres occiderunt, & pro illo tempore Dauid Eccleſiæ compatiens dicit. Quot ſunt dies ſerui tui quando facies de perſequentibus me iudicium. Sed clamante ad Deum ſanctorum ſanguine, corruſcantibus etiam miraculis ſubito facta eſt mutatio dexterę excelſi, & qui

erãt chriſtianorum perſecutores, facti ſunt Eccleſiarum fundatores,
& belli triumphales duces. Sed ſtatim ſurrexit perſecutio ſecunda
hæreticorum. Statim enim apparuit draco truculentiſſimus de
cauerna frendens, & fremens, & inſibillans diuerſos errores. Arrij,
Sabellij, Macedonij, & aliorum hęreticorum, & pro illo tempore
maxime dicebat Dauid. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes ſed
non vt lex tua. Sed datum eſt tunc, & additum Eccleſiæ lumen
doctrinæ, & multiplicati ſunt doctores qui ſacram ſcripturam
aperuerunt. ſ. Hilarius, Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius. In-
ſurrexerunt etiam ſancti patres in deſerto cum ſimplicitate, & perfe-
ctione vitæ, vt os draconis etiam fragili filo canabino, & ſtuppeo li-
garetur, & efficacia ſcripturarum obſtructum eſt os loquentium ini-
qua. Sed ſtatim poſt, tertia peſtis inualuit, ſcilicet periculum in fal-
ſis fratribus. Vnde ſtatim poſt tempora B. Gregorij tribulatio
inualuit hominum mente corruptorum, in hippocryſi loquentium
mendacium, & ortæ ſunt tot fictiones, & tot falſitates vitæ, doctri-
næ, iuſticiæque, quod vix inuenitur aliquis tyrannus, & malefactor
qui non inueniat excuſatores, & blanditores, & vix etiam inuenitur
aliquis ita perfectus, quod non ſint contra eum latratores, & detra-
ctores, & iſta peſtis contra Eccleſiam, durabit uſque in ſenectam, &
ſenium eius, vt non ſit ei ſpes, niſi in auxilio diuino, & permanen
106 tia veritatis. Vnde & pro iſto tempore Dauid dicit. Omnia manda
ta tua veritas, iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me. Quaſi dicat. Etſi
veritas ad tempus proſternitur in terra oportet tamen quod quam
citius reſurgat, & efficaciter cognoſcatur, & maxime adiuuante
Diuino auxilio. In hoc igitur tertio ſtatu, ſcilicet poſt tempora
Beati Gregorij tempore Heraclij ſurrexit contra Eccleſiam
Dei, & contra veritatem quidam draco diabolicus, homo lu-
bricus, & obſcenis actibus deditus nomine Mahumetus, qui con-
ſilio illius, & auxilio qui mendax eſt, & pater eius, legem men-
daciſſimam, & nephariam compoſuit, quaſi ex ore Dei; quam legem
apellauit Alchoranum, quaſi collectarium pręceptorum Dei. hic
Mahumetus ſuper alios, qui vnquã fuerunt, perſecutus eſt Eccleſiam
Dei. Non enim vno modo ſed omnibus tribus generaliter effera-
tur, Vnde modo per tyrrannidem ſequiendo, modo per legem ſe-
ducendo, modo per hypocriſim ſimplices ſubuertendo, iam magnã
partem totius orbis ſeduxit permiſſione Dei, qui terribilis eſt in con
ſilijs ſuper filios hominum. Ego igitur frater Ricoldus minimus in
ordine fratrum Prædicatorum de tanta damnatione condolens cogi-
apellauit
Digitized by Google

taui uias antiquas, & conuerti pedes meos in teſtimonia Dei. Vnde cum tranſiſſem maria, & deſerta, & perueniſſem ad famoſiſſimam ciuitatem ſaracenorum Valdacum, ubi generale ipſorum, & ſolemne habetur ſtudium, ibi pariter linguam, & litteram Arrabicam didici, & legem eorũ diligentiſſime relegens, & ſtudioſe in ſcholis, & cũ magiſtris ipſorum frequenter conferens; magis ac magis per experientiam apprehendi peruerſitatem prediċtæ legis, & cum incepiſſem in latinum transferre, tot inueni fabulas, falſitates, & blaſphemias; & eadem per omnia in locis creberrimis repetita quod tunc attędiatus dimiſi. Et in attritione de prędiċtis blaſphemijs ſcripſi quaſdam epiſtolas ad Eccleſiam triumphantem per modum querelæ amaricati animi. Nunc autem eſt mea intentio de ſumma ueritate confiſus confutare principales obſcœnitates tam perfidæ legis, & dare occaſionem alijs fratribus, per quem modum poſſint facilius reuocare ad Deum ſectatores tantæ perfidiæ. Quod ut conuenientius fiat, totum opus per capitula certa diſtinxi.

Digitized by Google

PROPVGNACVLVM FIDEI INSIGNE OMNINO MIRABILE.

Atq; vtile toti Chriſtianæ Religioni contra mendacia, & Figmenta Saracenorum: præcipue verò contra ipſum Alchoranum.

Adiecta eſt etiam Panoplia Catholicorum, quæ dicitur armatura fortis, contra Hæreticos.

Diſtinctio Capitulorum.

1 *Capitulum continet principales errores legis Saracenorum.*

2 *Quis modus ſeruandus eſt cum ipſis Saracenis in diſputando.*

3 *Eſt oſtendere quod lex illa non eſt lex Dei, quia non atteſtatur ei, nec lex noua, nec vetus, ex quo Saraceni tenentur recipere auctoritatem veteris teſtamenti, & Euangelij.*

4 *Quod non habet ſtilum, neque modum legibus Dei alijs conſonum.*

5 *Quia non concordat in ſententia cum aliquo alio.*

6 *Quia in multis contradicit etiam ſibi ipſi.*

7 *Quia non atteſtatur ei aliquod miraculum.*

8 *Quia non eſt rationabilis.*

9 *Quia continet falſitates apertas.*

10 *Quia violenta eſt deuenientibus ad ipſam legem.*

11 *Quia*

Digitized by Google

11 *Quia inordinata.*
12 *Quia mala.*
13 *De inſtitutione Alchorani, & quis fuit auctor, & inuentor illius legis.*
14 *De fictione improbabiliſſimæ viſionis.*
15 *Continet ſex quæſtiones communes ſuper Alchoranum.*
16 *De pręeminentia Euangelij ad Alchoranum.*
17 *Reſponſio Saracenorum ad prędicta.*

In hoc primo capitulo ſignantur principales errores legis Saracenorum.

PRimo igitur oportet ſcire qui ſunt principales errores, quos lex ſaracenorum ponit, in quibus maxime legi Dei contrariatur. Et ſciendum quod omnium antiquorum hęreticorum feces quas diabolus in alios ſparſim ſeminauerat, ſimul in Mahumetum reuomuit. Ipſe namque Mahumetus cũ Sabellio negat Trinitatem; ponit enim in Diuinis quendam binarium qui eſt numerus infamis, & alteritatis principium, ponit enim ipſam diuinam eſſentiam, & eius animam quaſi alteram, & diuerſam, vnde Deum pluraliter loquentem introducit in Alchorano, & ſic videtur ipſa, & ipſe Chriſtus alterius eſſentiæ à Deo, & Deo minor, & ei ſubditus, & in hoc conuenit cum Arrio, & Eunomio, qui ponebant Chriſtum puram creaturam licet excellentiſſimam. Et uidetur hęc poſitio à Platonicorum dictis exorta, qui ponebant ſummum Deum patrem, & creatorem omnium rerum, à quo primitus effluxiſſe dicebant quãdam mentem, in qua eſſent formæ omnium rerum, ſuperior omnibus alijs rebus, quam paternum intellectum nominabant, poſt hanc animam mundi deinde alias creaturas. Quod ergo in ſcripturis ſacris de Dei filio dicitur, hoc de mente intelligebant, & pręcipuè quia ſacra ſcriptura Dei filium Dei ſapientiam nominabat, & verbum Dei, Cui etiam opinioni conſonat opinio Auicennæ, qui ſupra animam primi cœli ponit intelligentiam primam mouentem

primum cœlum,ſupra quam vlterius Deum in ſummo ponebat. Sic igitur Arriani de Dei filio ſuſpicati ſunt, quod eſſet quædam creatura ſupereminens omnibus alijs creaturis,qua mediante Deus omnia creaſſet. Mahumetus itaque ponit Chriſtum hominem ſanctiſſimũ, & virtuoſiſſimum ſuper omnes alios homines,& expreſſe videtur in eo aliquid ponere vltra hominem, nominat enim ipſum verbum Dei, ſpiritum Dei, & animam Dei, quod tamen in veritate dicatur Deus omnino deridet. Ad quod confirmandum duo pręcipue inducit, vnum quia ipſe Chriſtus hoc de ſe nunquam aſſeruit, nec dixit:aliud quia ipſe videtur dixiſſe contrarium. Vnde dicit Mahumetus Chriſtiani dicunt Chriſtum eſſe Deum; & ipſe Chriſtus dixit iudęis. Adorate Deum meum,& Deum veſtrum, dominum meũ, & dominum veſtrũ. Hęc igitur prolixius expoſui,vt manifeſte ſciatur,quod illud, quod diabolus in mundo incepit per Arrium, ſed conſumare non potuit, poſtea tepeſcente in Eccleſia feruore, & creſcente malitia per Mahumetum compleuit, deinde tamen ad plenum conſumabit malitiam per Antichriſtum, qui ſuadebit mundo quod Chriſtus, nec eſt Deus, nec verus Deus fuerit, nec filius Dei, nec bonus homo. Summa uerò intentio Mahumeti eſt quod Chriſtus nec eſt verus Deus, nec Dei filius, ſed homo quidam ſapiens, & ſanctus& propheta maximus, ſine patre, & de virgine natus,& in hoc conuenit cum Carpocrate heretico. Aſſerit etiam Mahumetus quod Deus non poteſt habere filium, quia non habet vxorem, & in hoc conuenit cum Carpocrate hæretico. Addidit etiam quod ſi Deus haberet filium, totus mundus eſſet in periculo, quia eſſet inter eos ſchiſma, & in hoc conuenit cum Cerdonio hęretico, & cum Iudæis. Aſſerit etiam quod Iudęi non occiderunt Chriſtum, nec crucifixerunt, ſed quendam ei ſimilem. Addidit etiam quod Deus tranſtulit Chriſtum ad ſe, ſed apparebit circa finem mundi,& occidet Antichriſtum, & poſtea Deus faciet eum mori. Et quia negat Chriſti paſſionem,negat omnia ſacramenta Eccleſiæ,quæ ex paſſione Chriſti efficaciam habent, & in hoc conuenit cum Donatiſtis hęreticis. Dicit etiam quod demones poſſunt ſaluari per Alchoranum, & quod ipſo audito Alchorano, multi ex eis facti ſunt ſaraceni,& in hoc aliqualiter imitatur Origenem,qui dixit quod adhuc dęmones ſaluabuntur. Dicit etiam quod quando Deus miſit pro eo Gabrielem quod ipſe iuit ad eum; & Deus impoſuit ei manus, & ſenſit tantam frigiditatem tactus à Deo inter humeros, quod peruenit frigiditas vſque ad medullam ſpinæ dorſi, & in hoc conuenit

cum

cum Antropomorphitis, qui ponunt Deum corporeum. Dicit etiam Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & in hoc conuenit cum Macedonio. Dicit etiam quod angeli facti ſunt demones quia noluerunt ad pręceptum Dei adorare Adam: in hoc autem omnino neminem imitatur. Ponit etiam Mahumetus quod ultima hominis beatitudo eſt in comedendo, & luxuriando in veſtibus precioſis, & in hortis irriguis, & in hoc conuenit cum Cherinto, & cum quibuſdam antiquis paganis. Dicit etiam circuncißionem eſſe tenendam, & in hoc conuenit cum Ebione hęretico. Concedit pluralitatem vxorum, & concubinarum, & ancillarum, quotquot quiſque ceperit in bello, & poteſt nutrire; accipere etiam indifferenter vxores aliorũ, & in hoc videtur conuenire cum Nicolaitis hęreticis. Dicit etiam occidendos omnes, qui non credunt ſuam legem, niſi ſoluant tributum. Videtur etiam concedere ſodomiam tam cum viro, quam cũ muliere in capitulo de Vacca, licet ipſi pallient quibuſdam honeſtis expoſitionibus, hæc autem fuit tota ſua intentio, vt reſecaret quicquid erat arduum in credendo, & quicquid erat difficile in operando, & concedere omnia, ad quæ mundani homines proni erant, & maxime Arabes, ſcilicet gulam, luxuriam, & rapinam. De virtutibus autem puta de humilitate, vel paciencia, vel de pace, vel abſtinentia, vel de charitate Dei, vel proximi, vel de vltimo fine, nihil notabile dixit, & quia de omnibus iſtis poterat eius falſitas, & malicia depræhendi, tam per vetus, quam per nouum teſtamentum, quam per dicta philoſophorum, qui de virtutibus, & vltimo fine hominis tractauerunt, ipſe mandauit quod nihil omnino crederent, quod eſſet contrarium huic legi, ſed aſſerens contrarium occideretur. Ipſe tamen multum commendat pſalterium, & alios prophetas, & Iob, & legem Moyſi, ſed ſuper omnia alia commendat Euangelium Chriſti, & dicit quod Chriſtus de ipſo prophetauit in Euangelio dicens. Annuncio vobis de nuncio Dei qui poſt me veniet, & nomẽ eius Mahumetus: hoc autem nomen aſſeruit eſſe ſcriptum ab ęterno in throno Dei in ſuperiori parte ad dexteram, Ad hæc autem omnia credenda, non oſtendit miraculum, ſed nudauit enſem, & ait ſe miſſum fuiſſe à Deo non in virtute miraculorum, ſed in uirtute armorum, hęc autem quæ prędicta ſunt, ſunt tantum principales errores, qui continentur in Alchorano, qui eſt lex ſaracenorum. falſitates autem quę ibi continentur, ſunt quaſi infinitæ. De quibus poſtea agetur in capitulo nono.

Digitized by Google

Secundum Capitulum continet, quis modus ſit ſeruandus cum ſaracenis in diſputatione.

SEcundo notandum eſt, quis modus ſit tenendus cum eis, Et ſciendum quod ipſi ſunt valde curioſi audire ea, quæ ſunt fidei noſtræ, & maximè de Trinitate, & de Incarnatione. Et quia hęc ſuperant rationem, & excedunt intellectum, illa nec credere volunt, nec intelligere poſſunt. Nam in Eſaia ſecundum aliam litteram legitur. Niſi credideritis, non intelligetis. Sunt etiam contraria Alchorano, quod ipſi conſtantiſſime ſupponunt, eſſe verbum Dei, & ideò illa non recipiunt, ſed derident. Nam ſicut dicitur in Prouerbijs. Nō recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quę verſantur in corde ſuo, & ideo non ſunt eis proponenda, ne ſpergantur margaritę ante porcos, ſed inſiſtendum eſt primo, & principaliter eſſe vanam legem eorum. Non enim ſunt inſerendæ virtutes, niſi prius vitia extirpentur. Eſt etiam via facilior eligenda in omnibus, eſt autem facilius oſtendere fidem ipſorum eſſe fidem friuolam, quam probare noſtram fidem eſſe veram, quia fides eſt de non viſis, & donum Dei. Vnde noſtra habet exiſtentiam ſine apparentia, illa vero habet ſolam apparentiam ſine exiſtentia, & licet non habeamus rationes ad probandam Trinitatem, & alia quæ ſunt fidei, quia tunc fides non eſſet fides, nec eſſet meritoria, habemus tamen auctoritatem Euangelij, cui Alchoranus dat teſtimonium, & habemus miracula, ipſi autem nec miracula, nec auctoritates habēt, Nam etſi Alchoranus eorum dicat de Deo, non dicatis tres, ſtatim reddit rationem dicens. Quia eſt ſolus Deus, cuius cōtrarium nos nō dicimus, ſed affirmamus cum eis unū eſſe Deum, quem dicimus nō ſolum vnum ſed ſimpliciſſimum. Nec damus ei conſortem, neque participem, ſicut & ipſi, animam mundi, vel verbum, vel ſpiritum, vel diuinum quendam intellectum, vt ſuperius patet, nec eſt æquanda Diuina maieſtas humano intellectui, vt quia illi non poſſunt intelligere diſtinctionem perſonarum, ſine diſtinctione eſſentiæ, quod ideo non ſit, nec etiam ipſi habent contra hæc rationes efficaces, quas de facili non poſſimus ſoluere, & hoc ſufficit ad deffenſionem fidei. Magis autem quęrendum eſt ab eis quid ſibi voluit Alchoranus eorum, qui Deum introduxit totiens pluraliter de ſe loquentem, cum

ſit

ſit vnus, & ſimplex, & hoc non niſi, vt cogantur fateri pluralitatem perſonarum. De myſterio autem Incarnationis, quod ipſi omnino negant, & nos per auctoritatem Euangelij habemus, quęrendum eſt ab eis, vnde ſciunt quod Deus non eſt incarnatus. Aut enim quod Deus non potuit illud facere, & hoc eſt falſum, quia cum ſit omnipotens, omnia poteſt, quæ contradictionem non implicat, aut neſciuit hoc facere, & ſic idem quod prius, Aut noluit, ſed quis conſiliarius eius fuit? ſciuit ergo, & potuit, ſicut potuiſſet maiorem ſolem facere, vel minorem. Et tunc inſtat eis probare, quod non fecerit, & iſtud eſt eis impoſſibile probare, quod non ſit incarnatus. Eſt autē hec probatio Mahumeti quia dicit quod Chriſtus non dixit ſe eſſe Deum, hoc autem eſt falſum vt patet in Euangelio. Nam licet ipſe ante Reſurrectionem hoc de ſe expreſſe non dixerit, ſatis tamen innuit quando dixit. Ego principium, qui & loquor vobis, & Petrum hoc expreſſe dicentem commendauit dicens. Beatus es Simon Bariona &c. Ipſe autē noluit ante Reſurrectionem hoc dicere, quia occultus venerat vincere prudentia, & humilitate, & non potentia illum, qui hominem aſtucia deceperat. Vnde per eandem rationē Chriſtus ante Reſurrectionem non dixit expreſſe, Ego ſum Deus: per quā nec piſcator expreſſe dicit piſcibus, ſub eſca eſt hamus. Poſt Reſurrectionem vero hoc manifeſte oſtendit dando Spiritum ſanctum, & auctoritatem remittendi peccata. Vnde dixit accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata &c. Vnde & Thomas hoc expreſſe confeſſus eſt dicens, dominus meus, & Deus meus, de hoc require infra in 9. capitulo. Sed dato quod ipſe non dixiſſet expreſſe quia ipſe dixit de ſe humilia, & oſtendit magnifica, ſufficit quod hoc expreſſiſſime dixerunt diſcipuli eius, qui, & hoc dicentes fecerunt eadem miracula, quæ ipſe fecerat. Sed quia ipſi ſaraceni iam negant tam miracula Apoſtolorum, quam dicta ipſorum pro eo quod ſunt contraria Alchorano, inſiſtendum eſt ad confutationem tam perfidę legis, & oſtendendum, quod non ſit lex Dei, & quod ſaraceni tenentur recipere auctoritatem Euangelij, & veteris teſtamenti, hoc autem oſtendere poſſumus per ipſum Alchoranum, vt Goliad proprio gladio iuguletur.

Capitulum Tertium oſtendit quod lex Saracenorum non eſt lex Dei, quia non atteſtatur ei lex noua, nec vetus, & quod Saraceni tenentur recipere auctoritatem veteris teſtamenti, & Euangelij.

TErtio ſciendum eſt, quod Alchoranus non eſt lex Dei, non enim atteſtatur ei nec vetus teſtamentum, nec Euangelium quę ambo Alchoranus teſtatur quod ſint, uere lex Dei, ſed ipſe Mahumetus ſeipſum commendat, ipſe de ſeipſo teſtimonium perhibet. Nos autem inuenimus legem Dei eſſe quandam cathenam continuam, ab eodem artifice fabricatam, vt vnus anulus alteri cohereat, & correſpondeat, & vnus propheta de alio prophetat, & mentionem facit, & omnes alij prophetauerunt de Chriſto. Si ergo lex ſaracenorum eſſet lex Dei, & vocatio ad legem illam non eſſet peruerſio, ſed conuerſio, vt ipſi dicunt, quomodo omnes alios prophetas latuiſſet quod nullus de eo dixiſſet aliquid? Nos tamen non inuenimus quod Moiſes, uel aliquis prophetarum, uel ipſe Chriſtus aliquid dixerit de Mahumeto, uel de ſua lege, niſi quando dixit de pſeudoprophetis cauendis. Dixit etiam Chriſtus quod lex, & prophetæ vſque ad Ioannem, vt mundus ſciret quod generaliter propheta non erat venturus alius. Mahumetus autem dixit ſe eſſe generalem prophetam, & quod ipſe ſit propheta neſcimus. Scimus tamen (proh dolor) quod nunquam fuit talis ſeductor in mundo, quem tot homines, & tot populi in tam breui tempore ſequerentur. Ad hoc autem reſpondent ſaraceni dicentes, quod Moiſes, & alij prophetæ prophetauerunt de Mahumeto, & quod etiam Chriſtus de eo prophetauit expreſſius omnibus, quia dixit etiam eius nomen vnde dixit filijs Iſrael. Euangelizo vobis de legato Dei qui veniet poſt me, & nomen eius Mahumetus, ſed dicunt quod Iudęi corruperunt legem Moiſi, & prophetę, & Chriſtiani corruperunt Euangelium, & quod non remanſit de veritate legis, & euangelij, niſi quantum eſt in Alchorano. Sed quod hoc non poſſit ſtare, probo primo per Alchoranum eorum, nam dicitur in capitulo de Iona. Si fueritis in dubio de hoc, quod reuelauimus vobis, petatis ab illis, qui legerunt librum priuſquam nos. Illi autem qui legerunt librũ

priuſquam ſaraceni ſunt Iudęi, & Chriſtiani, qui receperunt Pentateucum, & Euangelium ſicut expoſuit Mahumetus, ergo Mahumetus ſaracenis dicit, quod petant à Chriſtianis, & Iudęis de dubijs, ſed quomodo mitteret eos Mahumetus ad mendacia teſtimonia, ſi eſt propheta veridicus, vt dicunt? Non erant igitur viciati libri Iudæorum, & Chriſtianorum tempore Mahumeti, nec poſſunt dicere quod poſtea fuerunt uiciati, nam dicitur in capitulo elaghar, quod interpretatur baptiſmus. Nos inquit in perſona Dei deſcendere fecimus recordationem Dei & nos eandem cuſtodiemus; lex autem Moiſi. & Euangelium apud eos dicitur recordatio, igitur Deus ſemper apud fideles teſtimonium ſuæ ſcripturę conſeruauit ante Mahumetum, & conſeruabit poſtea. Præterea in capitulo Elmayde, quod interpretatur mēſa, dicitur quod iudex etiam Abaccine. dixit Mahumeto, quando iudæi quærebant ab eo iuſtitiam, & iudicium, & reſpondit. Si venerint ad te, iudica inter eos iuſte, quia Deus diligit iuſticiam facientes. Et quomodo peterent ipſi a te iuſticiam, cum ſit apud eos vetus teſtamentum, in quo eſt Dei iuſticia. Pręterea talis corruptio, & mutatio ſcripturæ non potuit eſſe generalis, & manifeſta, quia aliæ nationes ſciuiſſent, nec particularis, & occulta, quia ſic aliqui codices integri, & incorrupti remanſiſſent, ſcilicet in omni lingua, & in omni prouincia inueniuntur lex, & Eeuangeliũ eodē modo ſcripta. Pręterea quatuor euāgelia non ſunt ſcripta nec eodē tpe, neq; eodē loco, nec eodē idiomate, nec ab eodē ſcriptore, ſed Mattheus in Hębreo in Iudea, Ioānes in Greco in Aſia, Lucas in Greco in Achaia Marcus in Latino in Italia, & eorũ trāſlatio facta eſt in Latinum per Hieronymũ, & alios ante tēpora Mahumeti. Et remanſerunt exemplaria in omnibus linguis, ergo non poterant per aliquos falſarios viciari, quia manifeſte ſciretur. Pretereą nihil eſt in fide Chriſtiana ita maxime arduum, ſicut eſt Incarnatio Dei, ſcilicet quod homo ille ſit Deus, & iſtud fuit maxime difficile ſuadere mundo. Vnde & Arriani, & alij pagani propter hoc perſecuti ſunt Chriſtianos trecentis annis continuis, & generaliter diſtulerunt recipere fidem, & Euangelium illorum, quia dicebant, quod ille homo erat Deus. Non quia non recepiſſent plures homines, & mulieres Deos, & Deas, ſed quia Chriſtus fuit dictus Deus abſque licentia Romanorum, quoniam ipſi prohibuerũt, quod nullus diceretur Deus ſine auctoritate Senatus; & etiam, quia iſte Deus non patiebatur conſortem. Nam ſi iſtum Deum reciperent, cogebantur omnes alios Deos relinquere, quod etiam erat contra pacta prouinciarum, & leges, & conſuetudines Romanorum.

Digitized by Google

manorum. Quomodo igitur Chriſtiani in damnationem ſuam, & detrimentum fidei,& prouocationem Romanorum, & principum mundanorum, hoc maxime arduum,& minus ſuaſibile, in ſuis ſcri pturis, & Euangelijs addidiſſent? Omnes enim conſentiebant hanc legem eſſe ſanctiſſimam, & rationabiliſſimam hoc ſolo excepto, qnod rationē omnino excedit,ſcilicet quod homo ille ſit verus Deus, & homo. Magis igitur Chriſtiani,ſi aliquid de Euangelio mutaſſent,quod erat arduum,& minus ſuaſibile,à principio ſubtraxiſſent, vt plures ad fidem accederent,& addidiſſent aliquid ſuaſibile,quam econtrario, Præterea quomodo Chriſtiani cum Iudęis. potuerunt conuenire,a quibus odio tam antiquo,diuiduntur,vt corrumperent ſcripturas,& maximè hoc addendo in quo non conueniunt, neque enim Iudęi dicunt Chriſtum eſſe Deum, neque bonum hominem, Vnde quãtum ad hoc magis conueniunt Chriſtiani cum Saracenis, qui dicunt Chriſtum ad minus fuiſſe hominem ſanctiſſimum. Præterea Chriſtiani ante aduentum Mahumeti, fuerunt diuiſi in diuerſiſſimas ſectas,& precipuè orientales in Iacobinos,& Neſtorianos. Neſtoriani autem maximè conueniunt cum ſaracenis,& Mahumetus mãdauit eos ſingulariter honorari, & quomodo cōueniſſent Neſtoriani cum Iacobinis ad viciandum Euangelium? qui tanto odio diuiduntur,quod abinuicem occiduntur, & tamen legi, & inueni apud vtroſque Euangelium omnino idem,ſicut & apud nos. Pręterea nomen Mahumeti quare Chriſtiani ſubtraxiſſent de Euangelio? cũ ipſe tantum commendauerit Chriſtum, & matrem ſuam, & Euangelium, vt diceret in Alchorano quod in Euangelio Chriſti eſt directio, & perfectio, & non ſubtraxerunt inde nomen diaboli, nec nomen Pilati,qui Chriſtum flagellauit, nec nomen Iudæ qui eum prodidit. Pręterea quare appoſuiſſent Chriſtiani in Euangelio quod Chriſtus ſit uere mortuus, & crucifixus cum non videatur ei proprie conuenire cum ſit vere Deus vt in Euangelio habetur? & quomodo videtur conſequens,quod duo tam diuerſa poſuiſſent de ſuo ſcilicet quod ſit vere Deus,& vere mortuus? Pręterea dato quod potuiſſent in omnibus libris ponere, ſed quis potuit omnibus ſuadere, & in cordibus gentium ſcribere quod hoc accideret? & tamen hoc ſuaſum eſt toti mundo,vt ſuſciperent illud principes,& tyranni philoſophi,& ſapientiſſimi homines ab indoctis, & pauperibus hominibus vt etiam Calipha de baldacho moreretur Chriſtianus, & fuit inuenta crux ad collum eius, vt teſtaretur facto quia ipſe dominus Saracenorum mortuus eſt vere Chriſtianus,& ideo iudicauerũt

cum

cum Saraceni quod ſequeſtratus ſepeliretur ab alijs caliphis, & hoc ſepulchrum vidi in Baldacho oculata fide. Omnibus igitur modis conſtat, & auctoritate Alchorani, & rationibus validis, & apertis quod Euangelium eſt inuariabile, & non uitiatum, neque corruptum. Cum igitur Mahumetus commendet Euangelium ſuper omnes alios libros, & poſt illud vetus teſtamentum, coguntur ſaraceni recipere auctoritatem Euangelij, & ueteris teſtamenti. Præterea in Alchorano in capitulo. Elmeyde quod interpretatur menſa, dicitur quod familia libri nihil omnino, niſi compleant legem, & Euãgelium familia vero libri ſunt ſaraceni, ſicut ibidem oſtendit, vnde dicit, niſi compleant legem, & Euangelium, & quod reuelatum eſt ibi, illud autem quod reuelatum eſt, accipit ut Alchoranũ, quod reuelatum eſt ſolis ſaracenis, vt ipſi dicunt. Idem hoc oſtenditur in multis locis in Alchorano, ſcilicet quod familia, & libri ſunt ſaraceni ſecundum intentionem Mahumeti. Dicitur enim in capitulo elmẽſa quod interpretatur mulieres circa finem ſaracenis, quod non vacilent in lege ſua, vnde ibi ſcribitur. O familia libri nolite vacillare in lege veſtra, & non dicatis de Deo niſi veritatem, &c. omnia quæ ibi hæc idem, ſcilicet quod familia, & libri ſunt ſaraceni oſtenderunt expreſsè in capitulo lem in fine libri; Si autem voluerint dicere quod lex vetus & Euangelium eſt corruptum oſtendant integrum, & incorruptũ, & accipiemus, & maxime ſi vniformè oſtenderint in omnibus linguis ſicut nos oſtendimus eis. Patet igitur quod Alchoranus non eſt lex Dei, quia lex vetus, & Euangelium quæ Mahumetus teſtatur quod ſit lex Dei, non atteſtantur ei, ſed contrariantur.

Quartum Capitulum oſtendit quod lex ſaracenorum non habet ſtilum, ſiue modum conſonum legi Dei.

QVARTO ſciendum eſt, quod Alchoranus non eſt lex Dei, quia non habet ſtilum, nec modum conſonum legi Dei, eſt enim metrica, vel rithmica ſtilo, blanditoria in verbis, & fabuloſa in ſententijs, Quod autem ſit rithmica in ſtilo, per totum librum patet legenti bus in eo, nec tamẽ poſſum cõuenienter ponere exemplum, quia rithmus, & verſus in Arabico non eſſet ſi per omnia, & fideliter transferretur in latinum. Saraceni tamen, & Arabes,

Digitized by Google

in hoc maximè gloriantur, quod ſermo legis eorum, & ſtilus, eſt rithmicus, & dicunt quod in hoc patet, quod Deus fecit illum librum, & reuelauit Mahumeto de verbo ad verbum quia Mahumetus, qui fuit homo idiota, neſciuiſſet inuenire talem ſtilum, & tales ſentẽtias: ſed contrarium manifeſte apparet. Videmus enim in ſacra ſcriptura per quam conſtat, quod Deus, qui locutus eſt Moyſi, & Iob, & alijs prophetis ſanctis, nunquam locutus eſt eis per rithmos, vel verſus, lex etiam Moyſi, & Euangelium dicit Mahumetus, quod à Deo ſunt, & quod Deus dedit librum Moyſi, & Chriſto, & tamen non eſt rithmicus, vel metricus, & alij prophetæ qui audierunt vocem Dei, nullus eorum dixit quod Deus loqueretur metrice, quod etiam ſapientes, & periti homines dedignantur. Vnde improperatum fuit Mahumeto, ſicut habetur in capitulo elebra, quod interpretatur prophetare, quod dixerunt ei immo poetizas, immo ſomnias, immo trepidas? &c. Talia improperabant ei videntes non ſolum quia non erat ſtilus Dei, Sed nec etiam propheticus. Vlterius etiam eſt lex blanditoria in verbis vltra quam dici, vel credi poſſet contra illud, non in doctis humanæ ſapientię verbis &c. Dicit enim quod Deus eſt magnus, & excelſus, & ſapiens, & ſpecioſus, & quod ſua ſunt omnia, quę ſunt in cęlo, & in terra, & intermedia & quod iudicabit iuſte, & ad omne verbum repetit, laudetur ipſe, & hæc omnino ſine cauſa repetit centũ vicibus, & amplius, & poſt hæc dicit, non eſt Deus, niſi Deus, & credite in Deum, & in nuncium eius, dicens ſe nuncium Dei antonomaſticè, & dicunt quod omnia iſta ſunt immediate ex ore Dei, & quod Mahumetus iſta dicere neſciuiſſet ſed nunquid conſuetudo Dei eſt quod ipſe de ſe, quaſi de alio loquẽs dicat hominibus quod Deus eſt magnus, & excelſus, & alia huiuſmodi, quę tędium eſt repetere. Sed quicquid ſit de ſtilo, & verbis, certum eſt, & omnibus legentibus manifeſtum, quod lex illa eſt fabuloſa in ſententijs, & licet poſſet uerè dici, quod pro magna ſui parte lex illa fabuloſa ſit, tamen de multis pauca quædã, magis notabilia referã. Dicitur enim in capitulo de Nemeli, quod interpretatur formica, quod Salomon congregauit magnũ exercitum angelorum, hominum, & animalium, & quando ibant inuenerunt fluuiũ formicarum, & tũc dixit formica, ò vos formicæ introite in habitacula ueſtra, ne interimat uos Salomõ, & milites eius, & ſubriſit formica, & poſt pauca quãdo reſignabãtur oẽs aues in exercitu inuentum eſt quod deerat vpupa, & dixit Salomõ, quid eſt quod hic non video vpupam? puniam eam, & decollabo eam, vel aſſignabit rationem, quare defuit, & ſtetit vpupa non multum longe, & ait,

Digitized by Google

didici,quod vos neſcitis, & veni ad vos de Sabea cum veris rumoribus,inueni ſiquidem mulierem regnantẽ inter eos,& comperi, ẽt populum ſuum colere ſolem, abſque Deo, &c. item in capitulo del camalude quod interpretatur luna, dicitur appropinquabit hora, & fracta eſt luna,quod exponentes doctores eorum dicunt, quod Mahumetus ſtabat cum ſocijs ſuis,& cum videret lunam appropinquã-tem coniunctioni dixerunt ei; oſtende nobis aliquod prodigium, & tunc ipſe innuit lunæ duobus digitis; ideſt indice, & medio, & tunc fracta eſt in duas partes, & una medietas cecidit ſuper montem Clibais qui imminet ciuitati Mechæ ex vna parte,& alia medietas ſuper alium qui mons rubeus apellatur ſitus ex alia parte ciuitatis, & cum ſic fracta eſſet luna,venit,& intrauit in manicam camiſiæ Mahúmeti, & ipſe integrauit eam. Item in capitulo ſeba dicitur;quod vermis indicauit mortem Salomonis, vbi dicit gloſa, quod Salomon dum ſtaret innixus ſuper baculum ſuum, ſubito tãtus dolor eum arripuit, nec tamen corruit diuino miraculo,dęmones autem qui ei ſeruiebãt videntes eum ſtare,credebant eum viuentem, & natus eſt quidam vermis de terra, & corroſit baculum,cui innitebatur, & tunc fracto baculo corruit Salomon, & tunc concorruerunt dęmones, & tunc ſciuerunt eum eſſe mortuum,& ex tunc ceperunt nocere hominibus quo ad poſſe.Item ipſe Mahometus in libro narrationum reddit rationem quare vinum ſit illicitum, dicit enim quod Deus miſit duos angelos, vt bene regerent, & iuſte iudicarent, & fuerunt iſti angeli Arot, & Marot,cunque veniſſet mulier quæ habebat cauſam,inuitauit eos ad prandium, & dedit eis vinum quod Deus eis mandauerat ne biberent,& inebriati requirunt eam de luxuria, & ipſa conſenſit hoc pacto quod vnus docuiſſet eã aſcendere in cœlum, & alius deſcendere,& aſcendit in cœlum,cum autem eam Deus videret audita cauſa,& modo,fecit eam luciferum; vt eſſet ita pulchra inter ſidera, ſicut erat in terra inter mulieres:data autem optione angelis qui prę uaricauerũt,vbi vellent puniri,hic vel in futuro?cum eligerent in prę ſenti puniri ſuſpendit eos per pedes in puteo Babilonis cum cathena ferrea vſque ad diem iudicij,hæc,& his ſimilia multa continentur in predicta lege, per quæ quilibet ſapiens poteſt aduertere fictionem, & quod nullo modo ſit lex Dei. Non enim legis Dei conſuetudo eſt loqui hominibus per tales fabulas.

Quintum Capitulum, in quo oſtenditur, quod Alchoranus non eſt lex Dei, quia non concordat in ſententia cum lege Dei, nec cum aliqua, alia.

QVINTO ſciendum eſt, quod quicquid ſit de ſtilo, & modo, manifeſtè patet quod non ſit lex Dei ipſe Alchoranus, quia non concordat in ſententia cum lege Dei, nec etiam cum philoſophis, qui de virtutibus, & vltimo fine hominis tractauerunt. Poſuerunt enim philoſophi, quod ipſa fœlicitas hominis eſſet in parte intellectiua, & quod intellectus qui eſt ſuprema potentia in homine, applicaretur ad ſummum intelligibile, & quod fœlicitas eſſet præmium virtutis, & quod virtus erat circa arduum, & alia huiuſmodi quæ vera ſunt. Sed ipſi non intellexerunt perfectè, Chriſtus autem hæc eadem in ſuo Euangelio oſtendit dicens, quod arcta via eſt, quæ ducit ad vitã, & quod pauci ſunt, qui vadunt per eam, & lata eſt via, quæ ducit ad mortem, &c. Et in hoc conſonat ſententia Ariſtotelis qui dicit, quòd difficile eſt operari ſecundum virtutem ſicut attingere centrum in circulo quòd pauci faciunt, Chriſtus etiam poſuit hominis fœlicitatem in viſione Dei dicẽs, hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. Hęc eadem ſunt notiſſima in veteri teſtamento. Nam Abrahæ factæ ſunt promiſſiones, cui ſpecialiter promiſit Deus quod daret ei ſeipſum abſque eo quod promiſit ei terram promiſſionis, & benedictionẽ ſeminis. Moiſes etiam, cui Deus tot magna contulerat, & qui Deum in ſubiecta creatura videbat, conſiderans dignè quod hoc non ſibi ſufficiebat, inſtantiſſimè petijt videre faciem Dei, & gloriam, &c. Mahumetus autem de virtutibus nihil tractauit, ſed de bellis, & de rapina, viam latam ſibi conuenientem accepit, & ſuis ſequacibus filijs perditionis, & mortis. Vnde de neceſſitate ſalutis non eſt eis niſi quod ſaracenus dicat. Non eſt Deus niſi Deus, & Mahumetus eſt nuncius Dei, De fine autem vltimo cum nullo concordat, niſi cum quibuſdam antiquis brutalibus, qui non diſcernebant inter ſenſum, & intellectum, & ideo fœlicitatem ponit in quibuſdam ſenſibilibus, ſcilicet in cõmeſſatione, in luxuria, & hortis irriguis, & veſtibus pretioſis, de quibus infra videbimus in capitulo 6. Nec poteſt dicere quod iſta ponat per ſimilitudinẽ, ſicut etiam in Euangelio fit mentio

de menſa,

Digitized by Google

de menſa, & cibo & huiuſmodi in æterna uita. Oſtenditur enim ex Euangelio quod per ſimilitudinem ponuntur, quia ibi de vera felicitate aliquid aperte dicitur. Sed in Alchorano nihil omnino aperte dicit de vera beatitudine, ſicut homo qui eam non aprehendit. Sed ad litteram talem beatitudinem ſibi depinxit, qualem homo lubricus, & carnaliſſimus appetebat; & licet veram felicitatem non apprehenderit, nec promiſerit hominibus, tamen de vltimo fine Saracenorum cogente Spiritu ſancto aliqua vera notabilia dixit. Ait enim ipſe Mahumetus Saracenis. Vos diuidemini poſt me in ſeptuaginta, & tres diuiſiones quarũ vna ſalua, reſiduum autem totum igni deputabitur; hæc ſententia eſt apud eos ita autentica, quod eam non reſpicit neque ſapiens neque ſtultus. Alia vero ſententia de hoc habetur in Alchorano in capitulo marien, quod interpretatur Maria, quod omnes Saraceni ibunt ad infernum, hanc ſententiam credo eſſe veriſſimam, licet ab ore mẽdaciſſimi fuerit prolata, & in hoc concordauit propheta mendax cum veritate prima quam dixit, quod lata eſt via quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui vadunt per eam. Et manifeſte conſtat ex prædictis quod via Saracenorum eſt lata, & multi ſunt Saraceni qui vadũt per eam, & ipſi vadunt ad infernum. Non enim ex ore veritatis tantummodo, ſed etiam ex ore prophetæ ipſorum. Præterea. patet ergo quod Alchoranus non concordat legi Dei in pręceptis, & prohibitionibus. lex enim Dei prohibit homicidium, rapinam, concubinam, quæ omnia Alchoranus, aut præcipit, aut permittit. Plura uero horum habentur in capitulo Elmir quod interpretatur lex. Idem patet in capitulo Elimimini. Vbi permittit concubitum tam cum vxoribus, quam cum illis quas in bello ceperunt, vbi ſolum prohibetur, quod non compellant eas perdere caſtitatem, ſed ſi ſunt in concordia, ſecure concubant, &c. quæ ibi. Præterea non concordat ei in iudicijs. Lex enim Moyſi, & Euangelium dicit, quod nemo condemnetur ad teſtimonium vnius, ſed in ore duorum, vel trium, &c. Lex autem Mahumeti in multis locis dicit contrarium, &c. conſtat igitur hanc legem Alchorani non eſſe legem Dei, nec etiam à Deo, niſi permiſſiuè, ſicut, & alia mala, diſcordat enim à lege, & intentione Dei, quæ eſt ſalus omnium.

Digitized by Google

Sextum Capitulum, in quo oſtendit, quod lex Saracenorum contradicit ſibijpſi.

SExto conſiderandum eſt quod lex Alchorani, non ſolum deſidet à lege Dei, ſed etiam non conuenit ſibijpſi. Et hæc eſt ſententia, & conſideratio Mahumeti. Dicit enim in capitulo Elnaſa quod interprętatur mulieres. Si iſte Alchoranus non eſſet à Deo vtique inuenirentur in eo contrarietates multæ. Conſtat autem quod multę contrarietates in eo, & contradictiones inueniuntur. Nam ipſe in pluribus locis dicit; quod Deus non dirigit errantem, & tamen ipſe docet orare, vt dirigantur, & educantur de tenebris ad lucem, & de inuio ad directionem. Ipſe etiam dixit ſe fuiſſe orphanum, & errantem. Conſtat enim quod fuit idolatra, & tamen dicit quod Deus fecit talem prophetam. Et quando Deus miſit pro eo, ipſe aſcendit, vſque ad ſeptimum cœlum, & impetrauit veniã cuidam angelo qui erat maior mundo multis mille vicibus, quem inuenit flentem peccata ſua. Item dicit ſe eſſe generalem prophetam. Et tamen dicit, quod Alchoranus datus eſt ei Arabicè, & quod neſcit aliam linguã, niſi arabicã item dicit in capitulo Elbachara, quod interpratatur vacca, quod Iudæi, & Chriſtiani, & Sabei ſaluabuntur, & in capitulo Amran, dicit poſtea, quod nullus ſaluabitur niſi in lege ſaracenorum, item ipſe mandat eis, quod non alterquētur cum hominibus alterius ſectæ verbis aſperis, ſed uerbis manſuetis, non enim pertinet ad hominem dirigere, ſed ad Deum ſolũ, & vnuſquiſque habet de ſe ſolo rationem reddere, & non de alio, & poſtea mandat in pluribus locis, quod occidantur, & expolientur, qui non credunt, donec credant, uel ſoluant tributum. Præterea ipſe dicit in capitulo liber, quod illi qui recipiunt ſine Deo Dominum alium, tñ non eſt aliquis patronus, & procurator eorum, ſed Deus reſeruat ſibi, eſt igitur notabilis contradictio, quia ex una parte auctoritate Dei toties mãdat quod occidãtur increduli, & ex alia parte Deus mandat quod ẽt pro tanto ſcelere, nullus eſt procurator ad puniẽdũ, ſed ſoli Deo reſeruatur. Item ipſe in capitulo roalatimitrin in fine iactat ſe, quod ipſe non eſt de compellentibus, ſed qũo nõ eſt de cõpellẽtibus, qui mãdat quod non credentes occidantur, expolientur. Quę

enim

enim eſt maior compulſio quam occioſio. Item in capitulo de bacca concedit ſodomiam, tam cum maſculo, quam cum fœmina. Dicit enim Saracenis quod non polluant ſe cum infidelibus niſi credant. Et de mulieribus dicit. Mulieres veſtre, aratura veſtra, arate eas vt vultis. Et tamen in eodem capitulo prius dicit, quod illi ſodomite tempore Lot operati ſunt abhominabile uicium, & priſtinis nationibus intactum. Amplius ipſe dicit, quod Noe, Abraham, Iſaac, & Iacob, & filij eorum fuerunt Saraceni, & tamen ipſe dicit quod mandatum eſt ei quod ipſe eſſet prior Saracenus. Sed quomodo illi fuerunt Saraceni, ſi Mahumetus fuit prior Saracenus? Præterea conſtat quod non fuerunt Saraceni quantum ad ritum, niſi poſtquam fuit data lex Saracenorum, lex autem Saracenorum eſt Alchoranus quod quidem fuit datum poſt legem Moyſi, & Euangelium, ſicut habetur, in Alchorano, immo adhuc non ſunt ſeptingenti anni quod fuit Mahumetus, Noe vero, Abrahã, Iſaac, & Iacob fuerũt ante legẽ Moyſi & ante Euãgeliũ. Itẽ ipſe dicit quod Deus prohibuit auguriũ, & tamen dicit in capit. Alaaras, auguriemini ſi aliter non poteſtis in ſtiſſura dactili, & qui hoc non fecerit anathema ſit. Item ipſe dicit ſe eſſe miſſum Arabibus, quia nuncium non habuerant, dicit etiã quod Alchoranus, datus eſt ſolum in lingua Arabica. Dicit etiam ſe neſcire aliam linguam niſi Arabicam. Vnde cum adheſiſſet Mahumeto quidã Bacheira Iacobinus, & Salom perſa, & Abdallà de perſide, & filius Selbeam Iudæus, & quidam dicerent quod ipſi inſtruebant eum. Ecce cecidit in faciem ſuam, & contractæ ſunt manus eius, & pedes, & ſocij cooperauerunt eum veſtibus ſuis, & ad ſe rediens dixit. Deus miſit corripere uos de ſermone quem dixiſtis, quod tales me docerent. Legitque eis vnam ſententiam quæ eſt in fine lectionis Eluael quod interpræłatur palma, quæ ſic dicit. Scimus quod ipſi dicent quod inſtruet eum homo. Lingua autem quæ loquuntur ei Perſica, hæc autem Arabica eſt patenter, & ex hoc dicit. Quomodo poteſt eſſe quod illi inſtruant me, quorum vnus perſicus eſt, & alter hębreus, qui dixerunt ei. Poteſt eſſe quod lingua ſua tibi loquentur, & exponent. In lingua tua omnia ratifices, hanc inuenit reſponſionem. Sed qui non poterat inſtrui ab hæbreo & perſa qui ſunt propinqui, quomodo poterat alios remote lingue inſtruere? Ipſe tamen poſt dicit ſe eſſe miſſum ad uniuerſitatem gentium. Vnde in capitulo prophetarum dicit, quod dixit ei. Non miſimus te niſi ad vniuerſitatem gentium. Sed quomodo ibit ad omnes gentes in ſeptuaginta linguis, qui neſcit ſuum recitare ſermonem niſi in lingua Arabi-

ca? Eſt igitur manifeſta contrarietas,& apertum mendacium, quod ſit miſſus ſolis Arabibus,& omnibus gentibus. Non eſt igitur lex Dei in qua tot contrarietates inueniuntur.

Septimum Capitulum oſtendit quod lex prædicta non eſt lex Dei, quia non atteſtatur ei aliquod miraculum.

SEptimo eſt conſiderandum, quod Alchoranus non eſt lex Dei, nec Mahumetus eſt nuncius Dei, quia non atteſtatur ei aliquod miraculum. Quando enim miſit Deus Moyſen ad Pharaonem, oſtendit magna miracula. Hælias, Heliſeus,& alij Prophetæ fecerunt magna,& inaudita miracula. Et præcipue omnes illi qui nouitatis aliquid attulerunt mundo, Chriſtus autem venit proprie, cum prodigijs,& ſignis maximis, ſicut etiam Mahumetus in Alchorano dicit. Si autem dicant Saraceni quod plura,& magna miracula fecerit ipſe Mahumetus,ſicut quod reintegrauit lunam fractam,& fons aquę de digitis ſuis emanauit,hęc Friuola ſunt, & contra Alchoranum eorum. Prohibet enim Mahumetus quod nihil de eo credant niſi quod ſcriptum eſt in Alchorano. De omnibus inquit prophetis: multi mentiti ſunt quod ne de me verũ teneatur,quod Alchorano fulcitur tenete,qui cum miraculum non faceret, oſtendere volens cauſam, dominum loquentem introducit dicens,Dixit dominus ad me. Ideo te miracula facere non permitto, ne tibi contingat ſicut in alijs prophetis,in miraculis timeo. Suo igitur teſtimonio conuincitur nullũ feciſſe ſignum. Ipſe etiam Mahumetus in Alchorano frequenter recitat quod cum homines ei dicerent oſtende ſigna quæ fecit Moyſes,& Chriſtus,& alij prophetæ,dicebat quod Moyſes venit cum ſignis, & nuncij cæteri, & maxime Chriſtus qui venit cum maximis prodigijs, & mundus non credidit eis. Sed dicebant quod erant maleficia, ideo non permittit me Deus facere miracula,nõ enim crederent,ſed veni in virtute armorũm,ſed hoc conuincitur expreſſum eſſe mendacium quomodo enim non crederent ei ſi faceret miracula qui crediderunt ei ſine omni miraculo? Talia enim mandauit eis ad quę mundus pronus eſt, & currit ſine omni miraculo,& mandauit ſcilicet quod occiderent, & raperent,& mulieres plurimas impregnarẽt, & quod dentem pro dente, &

te, &

te,& oculum pro oculo traderent. Ad hæc autem omniam ita proni ſunt mundani homines, vt uix & cum magnis vltionibus,& iudiciarijs pœnis, ab iſtis valeant coherceri, quod autem inducit pro ſigno quod ſit à Deo miſſus in virtute, armorum expreſſam continet falſitatem. Non enim ſemper fuit victor ſicut Moyſes,& Ieſus naue, & hęlias, quos angelus Domini ſemper protexit, & victores fecit. Mahumetus autem vincebat aliquando, & vincebatur, ſicut & alij tirrani. Nam dentes eius in bello contriti, & facies elliſa. Ex quo etiam patet quod non eſt miraculum,illud quod pro ſigno inducunt, ſcilicet quod magna ſubito pars mundi ei adheſit. Talem enim legem conſtituit, & talia mandata dedit, ad quæ homines proni ſunt etiam ſine mandato vel miraculo ut ſuperius patuit, dixit etiam. Iuſſit mihi Deus tenere gentes gladio, donec teſtificentur, quod non eſt Deus,niſi Deus, & quod ego ſum nuncius eius, quod ſi hoc confeſſi fuerint,ſanguinem & pecuniam ſuam ſaluauerunt, & inde Sara ceni dicuntur ſaluati. Nam quicunque recipiebant mandata Mahumeti, ipſe & ſui ſaluabant eos ideſt non occidebant, nec expoliabant. Vnde & Saraceni, non Saraceni vocantur, ſed Miſſalemin, quod interpretatur ſaluati, ipſi autem vere credunt ſe eſſe ſaluatos, & derident Chriſtianos qui nolunt dici Miſſalemin ideſt ſaluati ut ipſi,ſed Chriſtiani. Cum autem plurima Mahumeto talem ſaluationem acciperent ex prædicta cauſa. Poſtea fecit præconizari. Quicunque dixerit non eſt Deus niſi Deus: intrabit paradiſum etiam ſi fornicatus fuerit, & ſi latrocinatus. Venit autem ad Mahumetum quidam dictus Ebidorba. & quęſiuit ſi hoc eſſet verum. & reſpondit quod ſic. & addidit,etiam ſi cum præcedentibus biberit vinum,& etiam ſi occiderit. & adiecit Mahumetus,etiam ſi torſerit naſum ebidorba. ad hæc autem omnia confirmanda non oſtendebat miraculũ ſed nudabat gladium. Item habetur expreſſius in capitulo prophetarum cap. 1.3.4. vbi ſic legitur. dixerũt de Mahumeto. Auſcultaſti ſomnia,ſeu blaſphemias concinnaſti,vel certè prophetizas. Venias ad nos ſaltem cum miraculo vno. quemadmodum miſſi ſunt & priores. Reſpondit. Deſtruxit,inquit,Deus ciuitates ante eos qui nõ crediderunt & quia qui pręceſſerunt vos non crediderunt: nec etiam vos miraculis crederetis niſi per gladium &c. Aſſerebat tamen quod Deus mittebat pro eo Gabrielem: qui ducebat ad eum quandam beſtiam maiorem aſino: & minorem mulo: nomine elborach quæ loquebatur, & quæ ibat in una hora ſpacio & itinere quinquaginta millium annorum; & omnia iſta faciebat de nocte,& quędam

B 3 alia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

alia deliramenta de quibus poſtea dicetur ; fides autem Chriſtiana quæ præcipit ardua: tota eſt fundata in miraculis vtilibus & manifeſtis : quæ non ſolum Chriſtus fecit ſed etiam Apoſtoli poſt eum, & etiam doctores qui Euangelium & Apoſtolorum dicta expoſuerunt & vſque ad iſta tempora durauerunt miracula ; de effugatione demonum : curatione languidorum : & ſuſcitatione mortuorum, hæc miracula faciunt & fecerunt Chriſtiani qui dicunt Chriſtum Crucifixum, eſſe ſolum & verum Deum. quod ſi dixerint Saraceni quia iſta non credunt nec facta ſunt: oſtendimus eis miraculum maius . Conſtat enim quod totus mundus collebat Idola & maximæ Romani qui tenebant monarchiam mundi : hij receperunt fidem Chriſtianam : & non ſolum acceptauerunt ceperunt crucifixum eſſe verum Deum ; ſed etiam ſpreuerunt omnes alios Deos qui tanto tempore in Idolis dabant eis reſponſa ; hæc imponebant eis aliqua grauia; cũ fides Chriſtiana tam ardua & inſolita mundo imponat ; vt contemnere mundum, contemnere ſe ipſum, diligere inimicos : orare pro perſequentibus; bene facere malefacientibus ; aliena non appetere: propria largiri ; hæc omnia mundus acceptauit & ritum priſtinum dimiſit ; aut igitur propter ſufficientia miracula, aut ſine miraculo : maius autem miraculum fuit ſi ſine miraculo & per homines ſimplices & impotentes procurari potuit, & hæc fecerunt Chriſtiani, non alios occidendo ſed mortem ab alijs equanimiter tolerando. Conſtat igitur modis omnibus fidem Chriſtianorum ſtupendis miraculis eſſe fundatam . legem etiam Mahumeti nullo fulciri miraculo, nec indiguit. Maxime quantum ad carnales homines & mundanos: alij vero, ſcilicet intelligentes litterati & virtuoſi viri, & nullatenus adhibent fidem .

Octauum Capitulum oſtendit quod Alchoranus non eſt lex Dei, quia irrationabilis .

OCtauo conſiderandum eſt, quod etiam ſine omni miraculo lex Mahumeti poſſet acceptari à mundo , & affirmari quod eſſet lex Dei : dummodo eſſet rationabilis, eſt autem omnino irrationabilis , & ratione miniſtri, & ratione ſui, & ratione operis , & ratione finis . Primo igitur patet quod eſt irrationabilis ratione

tione

Digitized by Google

tione miniſtri eſt enim omnino irrationabile quod lex tam ſancta (ſicut ipſi aſſerunt, quod Alchoranus ſit rectè ſermo Dei) ſit miniſtrata per tam ſceleratum hominem, raptorem, adulterum, inceſtuoſum, homicidã, & alijs peccatis obnexium, quæ omnibus uitam ipſius ſcientibus patent. Et reſpondent Saraceni quod Dauid cómiſit homicidium, pariter, & adulterium, & Moyſes fuit homicida, & tamen vterque ipſorum legitimus Dei propheta fuit, quamuis aliquando peccatores fuerint, ſic & Mahumetus potuit eſſe verus Dei propheta, quamuis aliquando fuerit peccator; ſed hæc reſponſio nó valet, nã Moyſes, & Dauid fecerunt pęnitentiam de peccato; & hoc inuenitur. Dauid enim dixit ſuam culpam, & ſe grauiter afflixit, & veniam meruit; vnde poſtquam dixit peccaui: Dixit ei ſatam ex ore Dei, & Dominus tranſtulit peccatum tuum. Sed de Mahumeto non inuenitur quod dixerit ſuam culpam, vel quod fecerit pęnitentiam, quam potius addidit ſuper peccato blaſphemiam, confirmando illud per legem iniquam. Nam ſicut certum eſt omnibus Saracenis; Mahumetus diligebat quamdam dictam Mariam Iacobinam quam præſentauerat ei Rex Iacobinorum, duæ autem ex vxoribus Mahumeti ſcilicet vna dicta Aieſſe filia Hebeberer nobiliſſima inter eas; & Haaſſa filia Homar moriebantur zelotipia; quæ cum die quadam intrarent ad eum, inuenerunt dictum Mahumetum concubentem cum dicta Maria, & dixerunt ei, decet ne ſic facere propheta qui erubuit, & iurauit ſe de cetero nó cognoſciturum eam; ſicque placatæ ſunt ad iuramentum eius. cumque modicum tempus pertranſiſet non potuit abſtinere ab ea; & fecit de hoc legem quaſi ex ore Dei reuelantis ſibi, & tunc induxit ſententiam in Alchorano in capi. Elmiarrem quod interpretatur vetatio, vel anathema, quæ dicit ſic. O propheta quid petis quod Deus conceſſit tibi? Placare vxores tuas expoſtulas? Iam legem poſuit uobis Deus vt ſoluatis iuramenta veſtra, ſic deiurauit, & iterum cognouit illam, & dixit quod Deus diſpẽſauerat cum eo in iuramento; & ſuper hoc teſtes ſunt Michael, & Gabriel, & dixit illi vna ex vxoribus. O Mahumete, Deus feſtinauit in tuo deſiderio. Voluit per hoc dicere; forſitam Deus in ſcelere tuo ſe appropinquauit inceſtui, & addidit. Numquid præcepit tibi huiuſmodi facere; cum etiam in te ipſo hoc verbotenus deteſteris? forſitam quærit Deus te placare pro huiuſmodi appropinquare tibi. Ipſe uero duabus uxoribus totum legit quod ſequitur in capitulo uetationis, & ait quaſi ex perſona Dei. Penitemini coram Deo quia declinauerunt corda veſtra, quaſi dicat de hoc quod calumniate ſunt eũ

de inceſtu; ſequiturque continuo. Si forte Deus vos repudiauerit, detque pro uobis vxores meliores vobis Saracenas, fideles, locupletes, pęnitentes, adorantes, laudantes, agiles, ac virgines; quod audientes dixerunt penitemus. Simile fecit quando accepit vxorem zeid nutricij ſui, dixit ſententiam quæ eſt in capitulo Elliazeb; quod Deus dixit ei. Tu celas in anima tua quod Deus propalat. & formidas homines, ſed iuſtum eſt quod Deum formides, cum enim reſpuit eam Zeith: maritauimus eam tibi ò Mahumete; & dixit ei Zeith. Nunquid duxiſti eam nuncie Dei? reſpondit, ueh tibi; Deus maritauit eam mihi; quæ poſtea iactabat ſe quod Deus maritauerat eā, illas, & alias parentes earū. Ecce, paliauit minus per maius; Nam ſicut idem Mahumetus dicit, nullum eſt maius peccatum, quam imponere Deo mendacium. Præterea ſi aliquod peccatum eſſet tolerabile in propheta, minus videtur eſſe tollerabile, quod ſit lubricus, & immundus: cum Spiritus ſanctus in actu venereo non tangat corda prophetarum: ſicut dicit Hieronimus; & Philoſophus dicit quod in actu illo impoſſibile eſt hominem intelligere. Eſt ergo omnino irrationabile, vt miniſter, & Propheta, legis tantæ ſalutis (vt dicunt Saraceni) ſit homo carnaliſſimus, & immundus, qui etiam de hoc ſe iactat, quod tanta ſit ei vis, & facultas libidinis data in agendo, quanta quadraginta hominibus, cum tamen eum, Deus priuauerit fęcunditate filiorum; nam vnam ſolam filiam legitur habuiſſe. Non eſt igitur lex iſta rationabilis ex parte miniſtri; tum quia ſceleratus, & carnalis, tum etiam quia iniuſtus, & incertus. Nam ipſe teſtatur in Alchorano quod neſcit quid erit de ipſo; vel de Saracenis, & etiam neſcit vtrum ipſe, vel ipſi ſint in via ſalutis vel non. Nec etiam rationabilis eſt lex ipſa ex parte ſui, tum quia ſicut ipſe expreſſe dicit, non eſt in mundo qui Alchoranum intelligat; & quomodo mandauit Deus quod ſeruetur; ſi non dedit quod intelligatur? Non eſt etiā rationabilis ex parte documentorum quæ continet: nam ſicut dicit in multis locis quod Deus mandauit Angelis, quod adorarent Adā & qui noluerunt, facti ſunt demones; qui autem adorauerunt, remāſerunt Angeli; & quomodo Deus mandaſſet Idolatriam, & vt alijs dediſſent honorem, qui ſoli Deo debetur. Item non eſt rationabilis ex parte documentorum; nam illud, quod eſt in lege illa maxime, & ſolum neceſſarium (ſicut ipſi dicunt) quod pronuntient; non eſt Deus niſi Deus, & Mahumetus eſt nuntius eius. Addunt etiam quod Deus eſt magnus; ſed quæ annuntiatio eſt iſta? non enim aliquis ratione vtens, dicit quod Deus ſit paruus. Præterea iſta expoſi-
tio

tio. non eſt Deus niſi Deus; eſt vera per ſe & a nullo ei contradicitur, ſiue ſit vnus Deus, ſiue etiam eſſent plures Dij, eſt enim vera talis explicatio de omnibus; quia non eſt Angelus niſi Angelus; non eſt homo niſi homo; non eſt aſinus niſi aſinus; quia bos, & canis non eſt aſinus: iſta verò, & Mahumetus eſt nuntius Dei, eſt ualde dubitabilis; quæ eſt igitur ratio coniunctionis vnius propoſitionis per ſe notæ, & alterius per ſe ignote? aut quæ virtus ſiue vtilitas hoc confiteri, vt quicunque confitentur hoc, dē neceſſitate ſaluentur. Præterea, Mahumetus in lege ſua dicit, quod homines omnes erant vnum, & vna ſecta, & vnus ritus, ſed Deus diuerſificauit eos mittendo diuerſos prophetas, ſed hoc nec apparentiam habet, quia Deus, qui eſt maxime vnus, & maximè diligit vnitatem, & ſalutem hominum, non diuerſificaſſet eos per tam diuerſas ſectas, & errores, & perditiones; ſed hoc fecit inuidia diaboli, & malitia hominū ex permiſſione Dei, vt quia noluerunt credere veritati, permittat eos ſubijci diuerſis erroribus. Præterea. Mahumetus mandat in prædicta lege quaſi ex ore Dei quod occidantur increduli, ideſt qui non ſunt Saraceni; cum tamen dicat de ipſis, quod nunquam poſſunt dirigi niſi à Deo, & Deus non eos dirigat; Sed inconueniens eſt quod occidantur pro eo quod nullo modo poſſunt alliud; cum etiam ſi poſſent alliud non deberent cogi; quia Deo nō placet coacta ſeruitia: Hoc autem ſcilicet quod occidantur niſi credant, vel quod aliquo modo credere compellantur, etiam ipſe Mahumetus (qui præcepit) irrationabile iudicat, & inconueniens; Dicit enim in capitulo de Iona. ſi uellet Deus, omnes homines crederent qui ſunt in terra, & tu cogis eos vt credant; & nemo poteſt eſſe fidelis niſi ei largiatur a Deo. De hoc etiam latius proſequemur infra in cap. 10. Eſt etiam irrationabilis, lex ipſa de his de quibus tractat; facit enim ſpetiale capitulum de formica, & aliud de fumo, & aliud capitulum de aranea; ſed quare Deus talia mandaſſet hominibus de formica, & fumo? Præterea, lex illa eſt irrationalis de lotione quam mandat; Præcipit enim quod quando uolunt orare lauent manus, & culum, & ventrem, & plantas pedum, & faciem, & brachia vſque ad cubitum; ſi autem non inueniant acquam intingant manus ſuas in puluerem, & poſtea fricando manus pulueroſas per faciem, puluerizent faciem ſuam. Hæc quidem lotio irrationabilis eſt, & magis eſſet rationabile quod lauaretur cor, iuxta illud, Ieremiæ decimo. laua à malitia cor tuum, Puluerizare autem faciem quid rationis poteſt habere? immo quanto lotio eſt rationabilis, tanto puluerizatio & fedatio eſt incōueniens, & irrationabilis. Maxime

autem

autem videtur lex ipſa irrationabilis de modo repudiandi vxorem. Poteſt enim Saracenus repudiare, & reconciliare vxorem quotiens ei placuerit, vel diſplicuerit, ita tamen quod poſt tertiam repudiationem non poteſt eam reconciliare niſi unus alius carnaliter cognoſcat eam, & ſi cognoſceret eam menſtruoſam, oportet vt cognoſcat ſine menſtruis, quod ſi etiam cognouit eam veretro non bene erecto oportet vlterius quod cognoſcat eam bene rigido membro. Vnde quando illi volunt facere talem reconciliationem, dant prætium vni ceco, vel alteri perſonæ vili, vt illam mulierem cognoſcat, & poſtea hoc publicè teſtetur, & dicat quod eam vult repudiare, quod ſi fecerit, primus poteſt eam ſibi reconciliare; aliquando autem tantum ſibi complaceant ſecundi quod nollunt ſeparari, & tunc primus (amiſſo pretio, & vxore ſua) ſpe fruſtratur. O lex non tam hominibus quam beſtijs ratione carentibus attribuenda, non Deo qui diſponit omnia rationabiliter. Maximæ autem irrationabilis eſt lex ipſa ex parte finis, & præmij quod promittit, dicit enim per totum Alchoranum quod beatitudo Saracenorum eſt habere hortos irriguos & vxores, & concubinas, multas puellas verecundas, & pulcras, veſtes purpureas ciphos aureos, & argenteos diſcurentes per menſas, comeſtibilia optima, hæc maximè connumerantur in capitulo arrahamen quod interpretatur miſerator. In libro autem de doctrina Mahumeti, qui eſt magnę auctoritatis expoſuit ordinem commeſtionum, & dicit quod primum ferculum quod præponetur ibi, eſt iecur piſcis albebuch. cibus ſume delectabilis, & poſtea ſuccedent fructus arborum, & infra in eodem cum quererent ab eo ſi luxuriabuntur, reſpondit quod non eſſet beatitudo ſi aliqua delectatio deeſſet ibi, immo cuncta eſſent fruſtra niſi & voluptas luxuriæ ſequeretur. In hoc autem eſt tota intentio Alchorani, & totius ſectæ Saracenorum quod beatitudo conſiſtit præcipue in actu gulæ, & luxuriæ, & iſta non dicit quaſi per ſimilitudinem vel exemplum, ſicut, & in Sacra ſcriptura fit mentio de cibo & menſa in vita beata; nam de vera beatitudine & de viſione Dei, & perfectione animæ nullam omnino mentionem fecit Mahumetus, quia nec deſiderauit, neque apprehendit eam, ſed ſola quæ deſiderauit promiſit; in hoc enim apertiſſimè oſtendit ſe eſſe contrarium Chriſto, & omnibus prophetis, & omnibus Philoſophis, & omnibus ratione vtentibus, qui omnes comuniter concordant, quod vltima hominis felicitas ſcit in cognitione Dei, iuxta illud, quod dicit Ioannes 17. hæc eſt uita ęterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum &c. & Ariſtot. dicit in 10. ethicorum,

&in

Digitized by Google

& in 12. metaphiſi. quod vita,quæ eſt ſecundum intellectum eſt optima. Igitur guloſa,& luxurioſa eſt peſſima vita, quia impedit bonũ intellectus,ſed quia ipſi Saraceni non recipiunt auctoritatem ſacræ ſcripturæ, nec etiam Philoſophorum propter rationes ſupradictas in capitulo primo,recurrẽdum eſt ad rationem, quam ipſi licet irrationabiles totaliter negare non poſſunt. Fiat igitur ratio auctoritas, ſine qua nihil valet auctoritas, & oſtendetur quod neque in actu gulæ neque in actu luxuriæ eſt felicitas hominis nec iſta etiam erunt ibi, conſtat enim quod cibos ad hoc ſumimus vt corruptio, quæ poſſet accidere ex conſumptione naturalis humidi euitetur, & etiã ad augumentum, ſed iſta duo non erunt ibi, nam omnes in debita quantitate reſurgent, nec amplius poſſunt mori, nec aliquo modo deficere, Nam ſicut dicit Mahumetus in ſua doctrina,poſtquam omnia mortua fuerint, Deus occidet mortem, & poſtea reſurgent immortalis,& integri,ergo cibi ſumptio non erit neceſſaria aliquo modo,& eodem modo vſus venereorum;quia nec nunc eſt neceſſarius, niſi vt conſeruetur in ſpetie, quod non poteſt conſeruari in indiuiduo. Adhuc homines reſurgentes in perpetuum viuent, ergo ſi cibo ſemper vterentur in infinitum augebuntur eorum corpora, aut erũt ibi egeſtiones,& aliæ fęditates, vt tantum reſoluatur quantum conuertitur,quorum vtrumque eſt inconueniens. Ad hoc reſpondet Mahumetus in libro de ſua doctrina dicens, quod non erit ibi egeſtio ſordium,ſed purgatio per ſudorem, & ponit exemplum de puero in vtero matris, qui vt dicit nutritur & non egerit, ſed exemplũ, & ratio eius nihil ſoluit,ſicut patet inſpicienti, nam quędam ſunt de perfectione imperfecti,quæ in re perfecta eſſent imperfectio magna. Amplius ſi vſus venereorum eſſet ibi, niſi eſſet fruſtra; ſequeretur etiam quod erit hominum generatio ſicut & nunc. Multi ergo homines erunt poſt reſuretionem,qui ante reſurrectionem non fuerũt, fruſtra igitur tantum differtur reſurrectio mortuorum, vt omnes ſimul vitam accipiant,qui eandem habent naturam. Præterea ſi beatitudo eſt in luxuriando,in habendo multas vxores,illi qui poſt reſurrectionem generabuntur,non poterunt eſſe beati, niſi accipiant multas vxores,non poterunt autem accipere nec miſeras, nec felices,ergo oportebit quod expectent quouſque naſcantur aliæ plures, & ſic oportebit quod naſcantur multæ feminæ, & pauci viri, & ſic breui tempore erit regnum feminarum. Præterea ſi poſt reſurrectionem erit hominum generatio,aut igitur illi,qui generabuntur iterum corrumpentur, aut incorruptibiles erunt, & immortales. Si autem non

erunt

erunt corruptibiles,ſequerentur inconuenientia, tum quia erit multitudo infinita, tum quia quorum erit ſimilis generatio, non erit ſimilis generationis terminus,Homines enim per generationem,quæ eſt ex ſemine nunc quidem conſequuntur corruptibilem vitam tunc autem immortalem. Preterea,omne generabile eſt corruptibile,cum generatio,& corruptio ſint contraria,& circa idem, ſic autem homines, qui tunc naſcentur corruptibiles erunt, & morientur,& ſi iterato non reſurgunt, ſequetur quod eorum animæ perpetuo remanebunt à corporibus ſeparate,quod eſt inconueniens,cum ſint eiuſdem ſpetiei cum animabus hominum reſurgentium, ſi autem, & ipſi reſurgent debuit etiam eorum reſurrectio ab alijs expectari, vt ſimul omnibus qui naturam participant beneficium conferatur reſurrectionis. Preterea Mahumetus vnam tantum ponit diem reſurrectionis,& unam reſurrectionem .ſ. in fine mundi in die iudicij; de reſurrectione autem illorum nullam omnino mentionem facit. Preterea non videtur aliqua ratio eſſe quare aliqui expectentur ad ſimul reſurgendum ſi non omnes expectentur. Siquis autem dicat quod reſurgentibus erit vſus ciborum, & venereorum non propter conſernationem, vel augmentum corporis, nec propter conſeruationem ſpetiei, vel multiplicationem hominum, ſed ſolum propter delectationem, quæ in illis actibus exiſtit ne aliqua delectatio hominibus in vltima remuneratione deſit(ſicut expreſſe dicit Mahumetus in libro de ſua doctrina) patet quidem multipliciter hoc inconuenienter dici,primo quidem quia vita reſurgētium ordinatior erit,quā vita preſens, in hac ſiquidem vita inordinatum eſt, & vitioſum eſt, ſiquis cibis,& venerijs vtitur proter ſolam delectationem, & non propter neceſſitatem ſuſtentandi corporis, vel prolis procreandæ,& hoc rationabiliter;nam delectationes,quæ ſunt impræmiſſis actionibus nō ſunt fines actionum, ſed magis e contra; Natura enim ad hoc ordinauit delectationes in iſtis actibus, ne animalia propter laborem ab iſtis actibus neceſſarijs naturæ deſiſterent,quod contingeret niſi delectatione prouocarentur; eſt igitur ordo prepoſterus, & indicens ſi iſte actiones propter ſolas delectationes exerceantur. Nullo igitur modo hoc in reſurgentibus erit,quorum vita ordinatiſſima ponitur; non erit igitur in futura felicitate vſus talium actionum; multo igitur minus in talibus eſt futura feliciras,alias enim quid prohibeat animalia bruta eſſe felicia, quæ in prædictis actionibus nobiſcum communicant? Preterea ſi in iſtis actionibus erit vltima hominis felicitas (vt Mahumetus videtur expreſſe dicere) quid ergo oportet nunc abſtinere

ſtinere

Digitized by Google

ſtinere ab iſtis,& non magis die ac nocte luxuriari,& comedere vt & hic etiam felices ſimus,ſed apud omnes homines,etiam apud Saracenos reputatur virtuoſius abſtinere ab his & ipſi etiam habent viros contemplatiuos,& continentes,quos maximè laudant:ſed quia ſtultitia eſt cum homine, qui omnino ratione caret multum rationabiliter loqui:liceat nobis ſtultizare cum his, & dicere; ſi in his actibus eſt ultima fęlicitas hominis, quid faciet anima ſeparata ante reſſurrectionem,quæ nec comedere,nec luxuriari poterit? nec etiam Angeli poterunt vnquam eſſe fęlices, quia iſtis omnino carent. Præterea ſi in habendo multas vxores,& infinitas concubinas,& adoleſcentulas eſt vltima felicitas,mulieres numquam poterunt eſſe felices niſi hahabeant multos viros. Sed rurſus quomodo poteſt eſſe beatus cuius vxor multos habet viros? erit igitur,aut mulier felix,& viri infelices, aut vir felix,& mulieres,& adoleſcentule eius miſere; ſed quomodo poteſt eſſe beatus cuius tota familia eſt miſera, & infelix. Rationabilius eſt dicendum quod omnes tam viri,quam mulieres eorum erũt infelices,& miſeri. Hæc quaſi per digreſſionem hic dicta ſufficiant ad oſtendendũ quod lex iſta eſt irrationabilis ex parte finis, & præmij quod promittit, eſt etiam irrationabilis ex parte multorum aliorum,quę in lege illa continentur ſicut ibi frequenter inducitur,quod Deus iurat per vrbem fidelem,& quod Deus iurat perficetum, & oliuetum, ſicut expreſſe patet in capitulo eltym quod interpretatur, ficus; Homines autem per maiorem ſui iurant, vt per Deum uel per ſanctos,Deus autem quia maiorem non habet per quem poſſit iurare, conſueuit iurare per ſemetipſum, ſicut dixit ad Abraham,vt habetur in Gen. quod autem iuret per ficetum, & oliuetum friuolum videtur, & omnino irrationabile.

Capitulum Nonum oſtendit quod lex Saracenorum non eſt lex Dei,quia continet falſitates apertas.

NONO conſiderare oportet quod lex iſta non ſit lex Dei, quia continet falſitates apertas; Deus enim eſt prima, & ſumma veritas, à quo non poteſt dici aliqua falſitas. In Alchorano autem dicitur in cap. Ione.dic quis diligit veritatem,& reſpondit dic, Deus diligit veritatem, & qui diligit veritatem eſt veri-

tas,

tas, & conuenit immitari eum;& poſt. Certe non conuenit legi Dei vt dicatur aliquid ſine Deo, ſed falſum, & mendacium dicitur ſine Deo, nā ſicut dicit Auguſtinus, ſi in Euāgelio inueniretur vna ſola fal ſitas, eadem ratione totum Euangelium ſuſpectum haberetur, & reputaretur falſum; Alchoranus autem multa continet uera quæ habentur in Euangelio, & lege, & prophetis, ſed ipſe Mahumetus de ſuo tot manifeſte falſa interſit, quod totum vere ſuſpectum, & falſum reputari debet, & opus illius, qui mendax eſt & pater eius; Reducuntur autem principales falſitates eius ad decem genera. Dicit enim falſa de ſe ipſo; de Chriſtianis, de Iudæis, de Apoſtolis, de Patriarchis, de Demonibus, de Angelis; de Virgine Maria, de Chriſto, & de Deo: De ſe quidem dicit quod eſt finis, & ſigillum, & ſilentium omnium prophetarum, & mandat quod occidatur quicunque poſt ipſum aſſeruerit ſe eſſe prophetam. Sed nunquid abbreuiata eſt manus Domine quod non poſſit poſt eum alteri dare ſpiritum prophetiæ; & quidem non ſolum Chriſtiani, & Iudæi, ſed etiam Saraceni dicunt apud eos multos fuiſſe poſt eum, qui habuerunt ſpiritum prophetiæ, & etiam receperunt in baldaco Prophetam quendam, qui vocabatur ſolem, quod interpretatur ſcala. quem tartari occiderunt, & cum eo Saracenorum multitudinem non paruam: De ſe etiam dicit, & iactat ſe quaſi ex perſona Dei quod ſi congregarentur omnes homines, & omnes Angeli, vel ſpiritus, non poſſent facere talem Alchoranum qualis eſt iſte; aut enim ipſe intelligit quod non poſſunt facere etiam cum adiutorio Dei, & tunc eſt manifeſta blaſphemia, aut intelligit quod non poſſunt facre ſine Dei adiutorio, & tunc vana aſſertio eſt, quia hoc eſt per ſe notum falſiſſimum. De Chriſtianis autem dicit quod ipſi dant deo participem, quod manifeſte falſum eſt, dicunt enim Chriſtiani per totum mundum quod Deus eſt vnus, & ſimpliciſſimus. Præterea, dicit in capitulo. Deltembe. quod interpretatur pœnitentia, quod Chriſtiani deificant epiſcopos ſuos, & pontifices, & religioſos, quod falſum eſt, hoc autem dicit Mahumetus ignarus linguæ; nam Chriſtiani, Chaldei, & omnes orientales Chriſtiani vocant Epiſcopos, & Religioſos (cauſa honoris) Raban, quod interpretatur magiſter, vel maior meus, in lingua vero Arabica Rab. eſt nomen Dei quod interpretatur dominus abſolute, & de ſolo Deo intelligitur. ſic etiam apud nos quando dicimus theos. Credit igitur Mahumetus quod Chriſtiani uocarent eos Deos. Præterea ipſe dicit de Chriſtianis quod deificant Mariam, & inducit in capitulo Elmeyde; quod interpretatur menſa quaſi Chri-

ſtus

ſtus ſe excuſet apud Deum, quod non dixit mundo, quod mater ſua eſſet Deus, & certe neque hoc Chriſtiani dicunt, ſcilicet quod beata Maria ſit Deus, vel dea, ſed dicunt quod fuit puriſſima mulier, nam Euangelium eam non deam vocat, uel angelam ſed mulierem. Præterea ipſe inducit in capitulo elmeyde. quod interpretatur menſa de Chriſtianis, & etiam de Iudęis quod ipſi non ſunt filij Dei, nec amici Dei, quod probat per hoc quod affliguntur (vt dicit) pro peccatis, ſed iſta eſt manifeſte falſa; nam multe tribulationes iuſtorum; & ſicut apoſtolus dicit ad hębreos, flagellat Deus omnem filium quem recipit; alias tamen, & iuſti & impij flagellantur à Deo, nam & ipſi Saraceni grauiſſime flagellati ſunt à Tartaris, qui legē non habent. De Iudæis autem dicit prædictus Mahumetus in cap. del tembe, quod interpretatur, præmia, quod ipſi deificant, eleazar, & dicunt quod ipſe eſt dominus ideſt filius Dei, hoc autem eſt manifeſte falſum, quia Iudęi nullum hominem deificant, nec Dei filium dicunt. Præterea in cap. eluaſa. quod interpretatur mulieres dicit quod ipſi Iudæi dicūt, quod occiderunt Chriſtum Ieſum filium Mariæ nuntium Dei, ſcilicet malum hominem, & aſſerunt ſe occidiſſe eum propter peccatum blaſphemiæ. De Apoſtolis autem dicit in capite, amram, quod fuit pater Moyſi, quod ipſi proteſtati ſunt, & dixerunt Chriſto quod ipſi erant Saraceni, & immitatores legati, vel nuntij ideſt Mahumeti, hoc expreſſe eſt falſum; nam Chriſtus, & Apoſtoli fuerunt ante Mahumetū ſexcentis annis; Mahumetus autem ſurrexit tempore Eraclij, qui incepit regnare anno domini ſexenteſimo decimo, vnde nondum ſunt ſeptingenti anni quod Mahumetus fuit, & ſunt mille ducenti, & amplius quod fuerunt Chriſtus, & Apoſtoli: & quomodo potuerunt Chriſtus, & Apoſtoli eſſe Saraceni, & immitatores Mahumeti? cui, ex parte Dei præceptum eſt (ſicut ipſe in Alchorano dicit in capite altannar) quod ſit Saracenus primus, Saraceniſmus ergo incepit a Mahumeto, Apoſtoli ergo neque immitatores potuerunt eſſe illius, quem præceſſerunt ſexcentis annis, vel ſi ipſi fuiſſent Saraceni ipſe non potuit eſſe primus; De Patriarchis autem idem aſſerit Mahumetus, dicit enim in pluribus locis in Alchorano quod Abraham, Iſaac, & Iacob, & filij eorum fuerunt Saraceni, idem autem dicit de Noe. ſ. quod fuit Saracenus, & quod propterea venit diluuium in mundo quia ipſe prædicabat hominibus quod fierent Saraceni, & ipſi renuerunt, iſtud autem aperte falſum eſt; quomodo enim Noe potuit eſſe Saracenus, qui pręceſſit Mahumetum per duo millia & quingentos annos? cum ipſe Mahumetus dicat ſe fuiſſe primum Saracenum

Digitized by Google

racenũ de mũdo, Nec poſſunt dicere Saraceni quod Abrahã,& Noe fuerũt Saraceni, quia de ipſis nati ſunt Saraceni; hæc .n. expoſitio eſt cõtra Alchoranũ vbi dicit quod Abraham nõ fuit Chriſtianus,& nõ fuit Iudæus,ſed Saracenus purus;conſtat .n. quod ſicut de Abraham nati ſunt ipſi Saraceni; ita de eo, & de Noe nati ſunt Iudei, & Chriſtiani;dicunt ẽt Saraceni quod Deus promiſit Mahumeto quod nullus intraret paradiſum ante ipſum ; & poſt hoc aſſumpſit eum Dominus & duxit in paradiſum,& vidit viros,& mulieres plures,& ait, quid eſt domine ? & dominus ad eum non mireris quia iſti ſunt immitatores tui , conſtat autem quod non potuerunt eſſe immitatores Mahumeti , niſi per Alchoranum , quod tamen non fuit reuelatum ante tempora Mahumeti ſicut in pluribus locis Alchorani dicitur , & maxime in principio eius dicitur, huius autem fictionis falſitatem quilibet ſapiens poteſt aduertere , & ideo non inſiſto : de Demonibus autem ; eſt in Alchorano ſpeciale capitulum vbi expreſſedicitur quod demones in magna multitudine audierunt Alchoranum & lætati ſunt;& teſtati ſunt quod per ipſum poterant ſaluari,& dixerunt ſe eſſe Saracenos , & ſaluati ſunt: hoc autem quãtam falſitatem contineat non opus eſt oſtẽdere aliquo argumento. De Angelis autẽ dicit in pluribus locis quod adorauerunt Adam,& quod omnes adorauerunt niſi Diabolus. Pręterea dicit idem Mahumetus quod quãdo ipſe iuit ad Deum cum Gabriele , vidit vnum Angelum in Cœlo, qui erat maior toto mundo multis mille vicibus , qui flebat peccata ſua , & ipſe impetrauit ei veniam præcibus ſuis,& multa alia falſiſſima , quæ latius proſequemur in fine operis cum dicemus viſionem maxime fictionis,quam de ſe aſſerit. Pręterea videtur de Angelis expreſſe dicere quod ſint corporei , dicit enim in cap. gad. & in pluribus alijs locis, quod Angeli fuerunt creati de igne, & homo de ſceno: dicit etiam in alijs locis quot ſint dimenſione magni, ſicut infra patebit. De virgine autem Maria dicit expræſſe in capitulo Amram, quod ipſa fuit filia, Amram; Amrã vero fuit Pater Moyſi,& Aaron; in cap. etiam mariem :quod interpratatur Maria expreſſe dicit quod Maria mater Chriſti fuit ſoror Aaron , & quod Moyſes , & Aaron habuerunt quandam ſororem quæ dicta fuit Maria , & fuerunt tres filij, Amram ſicut patet primo Parali. 6. cap. ſed inter iſtam Mariam , & Beatam Mariam Virginem matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti fluxerunt anni mille quingenti, & prima Maria mortua fuit in deſerto, quando Moyſes ducebat filios Iſrael per deſertum ad terram promiſſionis , & nondum erat edificata Roma,quæ poſtea fuit

fundata

Digitized by Google

fundata tempore Ezechiæ regis Iudæ, qui fuit poſt per ſeptingentos annos, & amplius. Ieſus autem Chriſtus fuit poſt Ezechiam Regem natus de Virgine Maria tempore Octauiani Imperatoris poſt ſeptingentos annos & amplius ab Ezechia, quo tempore Romani habebant monarchiam mundi,& mittebant reges in Iudeam,vnde,& cõteſtati ſunt Iudæi quod non habebant regem niſi Ceſarem. Nota igitur quod ſicut dicit Auguſtinus libro 18. de Ciuitate Dei Roma fuit edifficata tempore Achaz, vel ſecũdum alios tempore Ezechię, habebat autem populus Iſrael in terra promiſſionis ſeptingentos decem, & octo annos ex quibus viginti, & ſeptem pertinent ad Ieſum naue: ad tempus autem iudicum trecenti viginti & nouem anni,ex quo vero reges ibi eſſe ceperunt trecenti ſexaginta duo anni ſicut dicit Paulus diaconus in hiſtorijs Romanorum; permiſit igitur Spiritus ſanctus Mahumetus tam manifeſte mẽtiri,taliter quod omnis homo aduerteret falſitatem. De Chriſto vero dicit idem Mahumetus quod ipſe nec Deus eſt, nec filius Dei, & quod ipſe Chriſtus hoc de ſe non dixit,ſed apud Deum ſe humiliter excuſauit quod hoc mundo non dixerat: iſtud autem eſt manifeſte falſum,nam expreſſe ſcriptum eſt in Euangelio Io. quod ipſe dixit ſe eſſe filium Dei, & tunc Iudæi voluerunt eum lapidare quaſi de blaſphemia dixit etiam ſe eſſe principium quod proprie conuenit ſoli Deo, & ait quod ſi verba eius nolent credere operibus crederent. Oſtenſũ eſt autẽ ſupra in tertio capitulo quod Saraceni non poſſunt dicere quod Euangelium ſit viciatum,& etiam, quod ipſum Euangelium, quod eſt apud nos tenentur recipere, & vetus teſtamentum. Ipſe etiam Mahumetus capitulo Elhabeat: petit ſibi oſtendi auctoritatem libri qui ſcriptus eſt ante Alchoranũ. Præterea dixit de Chriſto, quod ipſe nec crucifixus fuit nec mortuus,ſed Deus in fine mundi faciet eum mori,& alia infinita falſa, quorum contraria expreſſe in Euangelijs,& ſcripturis alijs continẽtur, quæ longum eſſet proſequi, de Deo vero ſimpliciter aſſerit quod nullo modo poteſt habere filium,quia non habet vxorẽ, & hoc pro efficaci argumento frequentiſſime repetit;hoc autem argumentum ſimile eſt,ac ſi diceret quod Deus non eſt ſubſtantia,quia non habet accidens,vel Deus non viuit quia non comedit nec reſpirat,fatua autem,& fantaſtica eſt talis immaginatio,& hominis intellectu, & ratione carens; non enim Chriſtiani dant Deo filium tamquam ex muliere,ſed ſicut eſt calor ab igne,ſplendor à ſole,& verbũ à dicente;quæ omnia naſci verè, & generari dicuntur,& non ex vxore filius enim eſt verbum, & ſplendor æterni Patris, coheternus, &

 conſub-

conſubſtantialis,& coequalis ei. Sicut enim calor, & ſplendor non ſeparatur ab igne, ignis tamen non communicat nobis ſuum ſplendorem abſque calore vt lumen candelæ, alij vero calores abſque ſplẽdore ſicut in ferro bene calefacto, & nõ candenti ſic, & filius Dei potuit incarnari abſque eo quod Pater, vel Spiritus ſanctus incarnaretur; licet indiuiſa ſint opera Trinitatis. Item etiam filius Dei, qui eſt verbum Dei, qui eſt ſplendor patris potuit in creatura ſenſibili ſcribi vt ab hominibus legeretur, & ſenſibiliter eius opera videretur, & eſſe carne vnitum, & carta ideſt caro ſcripta potuit laniari, Verbũ autẽ domini manet in æternum, ſicut etiam Rex, qui mitteret verbũ ſuum, & mandatum ſuum per regnum in carta ſcriptum, poſſet quidem carta comburi, ſed verbum regis non combureretur. Dicunt igitur Chriſtiani Chriſtum qui eſt verbum Dei eſſe filium Dei, & quaſi hoc idem dicit Mahumetus de eo licet neſciens, & non intelligens; dicit enim in Alchorano in cap. Elnaſa: quod interpretatur mulieres quod Ieſus filius Mariæ eſt verbum Dei, & ſpiritus ex Deo quare ergo non dicebat Mahumetus, quod Deus non poteſt habere Verbum nec Spiritum quia non habet vxorem? quærendum eſt igitur a Saracenis quod quærant a Mahumeto (cum dicit quod Chriſtus eſt Verbũ, & Spiritus ex Deo, vtrum dicat de Spiritu, & Verbo accidentali vel eſſentiali ideſt increato, vel creato? ſi de accidentali ſiue creato, ſic nõ ſolum Verbum, & Spiritus Chriſti eſt a Deo, ſed verba etiam aliorum prophetarum, & aliorum bonorum hominum, & in hoc non eſt magna comendatio de Chriſto, quem Mahumetus intendit ſingulariter, & ſuper omnes alios comẽdare; nec propter talẽ verbum, & talem ſpiritum Deus de ſe plurariter loqueretur, ſicut in toto Alchorano inducitur; ſi vero dicat de Verbo Dei, & Spiritu increato, & eſſentiali, vtique nobiſcum ſentiunt tam de incarnatione ſua, quam de miſterio Trinitatis. Præterea dicit Mahumetus de Deo in capite Elmimini; quod ſi haberet filium totus mundus eſſet in periculo; eſſet enim inter eos ſciſma, & hæc ſuppoſitio eſt falſiſſima: ſupponit enim, quod Deus non poſſet habere, filium, niſi malum, & contumacem, & inobediẽtem, & nos quidem dicimus quod Filius Dei eſt Verbũ, & ars Patris, per quem omnia operatur, verbũ autem conceptum, & ars operatoris, etiam in homine nunquam diſcrepat ab intellectu concipiẽte, niſi forte Mahumetus blaſphemando dicat quod Deus à ſemetipſo diſcordat in ſuo intellectu, & ſua conceptio contradicit ei. Præterea Mahumetus dicit in cap. Elchzab. quod Deus & Angeli eius orant pro Mahumeto, & pro alijs

Sarace-

Digitized by Google

Saracenis:ſed dimittamus de Angelis. Deus autem quando pro ipſis orat; quem orat, Angelos,vel homines? aut ſeipſum; ſed hoc eſt falſum quod ſeipſum oret; Maxime autem ſecundum Mahumetum, qui negat incarnationem verbi, neque in diuinis ponit diſtinctionē aliquarum perſonarum; ponit etiam multa aliqua falſa,& impoſſibilia ſicut in cap. Elhaſtiar. dicit quaſi ex parte Dei. Si miſiſſem hunc Alchoranum ſuper vnum montem;videres eum cōciſum pro deuotione,& timore Dei; & in capitulo Elheymar, quod interpretatur luna dicit quod luna fuit fracta,& multa alia quæ longum eſſet ennumerare; Vnde,& manifeſtum poteſt eſſe omnibus ſapientibus,quod lex illa non eſt a Deo, quæ tot, & tam patentes continet falſitates; Præterea inueniuntur quædam abſona; quæ Saraceni pro certo aſſerunt, & trahunt de Alchorano per expoſitiones; habent autem expreſſe in lib. narrationum Mahumeti,& de multis hæc pauca referam. Vnum dicit quod cœlum creatum fuit de fumo, & fumus de vapore maris,& mare de monte quodam,qui vocatur caf.qui cingit totum orbem, & ſuſtinet cœlum. Dicit etiam quod ſol, & luna erant equalis luminis, & virtutis, & non erat diſtinctio inter diem, & noctem, quadam autem vice volabat Gabriel,& accidit vt ala ſua tangeret lunam,quæ obtenebrata eſt ſicut modo cernimus. Præterea dicit quod natus eſt ſus de ſtercore elephantis, & mus de ſtercore porci, & catus de fronte leonis, quod narrat in hunc modum, nam cum eſſet Noe in arca cum filijs,& animalibus; quando ibant ad ſecreta naturæ;inclinabatur archa,& maxime quādo ibat elephans,& cum uehementer timerent,conſuluit Noe Deum,qui ait. Vade, & inclina culum eius ad foramen ſtercorarie,& fecit ſic, & ſtercorizauit, & natus eſt ſus grandis ſatis,cum autem roſtro foſſorio grofolaret feces,vt ſolet,natus eſt mus,& cepit rodere tabulas arce,& tunc maximæ timuerunt, & conſulto domino Noe percuſſit leonem in fronte, & egreſſus eſt Catus per nares eius,& hæc eſt cauſa(vt dicit)quare caro porci eſt illicita. Dicit iterum in eodem, quod Deus in fine mundi occidet omnem creaturam etiam Angelos, & Archangelos, & nihil remanebit viuum niſi Deus, & mors quæ eſt quidam Angelus,qui dicitur Adriel,& tunc præcipiet Deus Adrieli,quod occidat ſeipſum; quo facto Dominus inſultabit voce grandi, & dicet. Vbi ſunt ſatrapæ mundi,& principes,& poſt hæc reſſuſſitabit omnia &c. Ipſe etiam Mahumetus fecit librum vbi ſcripſit duodecim milia verba ſtupenda, & cum admirantes quererent vtrum omnia illa eſſent uera,reſpondit,quod ſolum triamilia ueritatem habebant,alia uero

omnia falſa erant: cum igitur in prædicto libro aliquid falſitatis deprehenditur, dicunt Saraceni quod hoc dixit Mahumetus ſcilicet quod non erant omnia vera, & iſtud eſt de illis, reſiduum verò totũ ſemper in ſuo robore perſeuerat. Ita etiam credo quod faciunt Saraceni de Alchorano, quod licet in eo multa falſa, & mendacia depræhendantur, tamen propter quędam vera quæ continet quaſi Verbũ Dei ab eis colitur: & ſuperius dictum eſt quod ſi in Euangelio vnũ ſolum verbum inueniretur (quod quidem abſit de Euangelio vt dicit Auguſtinus) cauſa iuſta eſſet quod totum Euangelium friuolum reputaretur, & vanum. Ego autem pro certo comperi, quod maxime literati, & ſapientes inter Saracenos, dictis Alchorani non adhibent fidem, ſed fictionem doctrinæ aduertunt, cuius quidem ſignum eſt, quod ipſi cum alijs ſapientibus renuunt publice diſputare (ſicut experimento ego probaui) & ipſum Alchoranum nollunt adduci in publicum, dolent enim vehementiſſime cum ab alijs legitur, & nullo modo volunt, quod in linguas alias, & litteras transferatur; ſcimus enim, quod verum aurum, nec limam timet, nec paragonem, nec etiam ignem; & ideo Chriſtiani quia de veritate confidunt, quæ fortiſſima eſt, & manet in æternum libenter cum alijs nationibus de Euangelio conferunt; gaudentque cum ab alijs nationibus legitur, & deſiderant, quod omnibus publicetur, & in linguas alias transferatur, & non ſolum Scripturis, ſed etiam picturis, & celaturis publice Chriſti paſſionem oſtendunt, quod ab alijs nationibus ludibrium, & ignominia reputatur.

Deci-

Digitized by Google

Decimum Capitulum in quo oſtenditur, quod lex Saracenorum non eſt lex Dei, quia violenta, & de venientibus ad ipſam legem.

DECIMO conſiderare debemus quod Alchoranus non ſit lex Dei, quia eſt violenta; & vt breuiter dicamus lex iſta poteſt dici lex occiſionis, & mortis non, ſolum quia ducit ad mortem eternam; ſed etiam quia cogit homines per mortem, & occiſionem corporalem, quod hoc credant, quod in ea dicitur, in Alchorano enim in capitulo albechirà; quod interpretatur vacat, dicitur quod in lege Dei non eſt compulſio, & quod iam diffinitum eſt etiam ab initio; non eſt autem maior compulſio, quam per occiſionemi, ergo lex illa quæ per occiſionem compelit non eſt lex Dei, Ipſi autem Saraceni uocant eam anthonomatice. diuelleſſalem, quod interpretatur lex ſaluationis; cũ propriè (vt dictũ eſt) deberet dici lex damnationis, & ociſionis, & hæc ſola uia fuit accomoda tali legi, & tali legislatori, vt timore mortis corporalis cõſentirẽt legi mortis æternæ, ſicut e contrario Chriſtiani contemnẽtes temporalẽ mortem conſequuntur vitam æternam. Videns igitur Mahumetus, vel potius alumnus ſuus, ſcilicet diabolus, quod illa lex diſcordabat ab omni lege Dei noua, & veteri, & quod erat etiam diſſona ſibi ipſi, & quod ſine miraculo, & ſine ratione, & qnod falſitates apertas continet, & ex hoc debebat habere multos contradictores, dedit ipſi Mahumeto conueniens inſtrumentum, ſcilicet gladium ad occidendũ, & ipſe ſuper hoc dedit in lege mandatum, quod occiderentur cõtradicentes, & etiam nõ credentes, & ideo non iam in uno cap. dicitur, ſed in toto libro quaſi vniuerſaliter mandatur, occidite, occidite; & hæc eſt planè via contraria Chriſto, qui mandat diligere innimicos, orare pro perſequentibus, bene facere ledentibus ſe. Hic Mahumetus fuit Antichriſti præcurſor, qui filio perditionis viam præparauit in mundo; quæ via & modus, quantum ſit irrationabilis, patuit ſuperius in 8. capitulo. Nam ſicut dicit Auguſtinus, cætera poteſt homo (etiam nolens) credere autem non poteſt niſi uolens. Dicit ergo ore, & quod cogitur credo, corde autem minimè credet, cum tamen dominus cor maximè requirat ab homine, iuſta illud filli præbe mihi

cor tuum. Adductus fuit ad Mahumetum patruus ipſius, vt eſſet Saracenus, qui ait quidnam erit, ſi hoc non fecero ọ fili fratris mei? Cui Mahumetus. Interficiam te patruæ. Qui dixit. Non poteſt aliud eſſe ? Non inquit. Et ait. Sequar te ſuper quò volueris, lingua tantum, non corde; & hoc timore gladij. Homea etiam filius Cathebinaadi (cum compelleretur) ait. Domine tu noſti, quia non efficiot Saracenus, niſi timore gladij. Etiã filius Elbihaſida timore gladij factus eſt Saracenus. Vnde literas miſit ad meſques!, quas mulier abſconderat inter capillos capitis ſui nuncians ei aduentum Mahumeti, vt cauerent violentiam doctrinæ ipſius. Notandum eſt autem quod quatuor ſunt partes tenentium Mahumeti errorem. Prima pars ingreſſa Saraceniſmum eſt; illorum qui per gladium intrauerunt ſicut dictum eſt, & tunc filij eorum cognoſcentes errorem reſcipiſcerent niſi gladium formidarent; Alia & ſecunda eſt illorum qui decepti à diabolo credunt eſſe vera quæ falſa ſunt; Tertia eſt illorum, qui a progenitorum errore diſcedere nollunt, ſed dicunt ſe velle tenere quæ patres eorum tenuerunt; a quorum patrum potius recedunt ſententia; qui pro Idolatria quam tenebant Mahumeti minus mala elegerunt ſine dubio; Quarta pars eſt illorum, qui propter laxiuã vitam in vxorum multitudinẽ, & alijs conceſſis licẽtijs iſtã infelicem vitam pluſquam æternitatem alterius ſæculi dilexerunt; & cum iſtis etiam conſentiunt illi qui apud Saracenos ſapientes, & literati dicuntur, non quia credunt illam leggem veram, vel bonam eſſe ſimpliciter, ſed quia vehementia delectationis abſorbet iudicium rationis (vt dicit ſapiens, perquem modum etiam literati multi Chriſtiani non ſeruant legem Euangelij, quam tamen credunt ſimplicem veram, & bonam eſſe ſed potius immitantur viã Alchorani quã tamẽ in veritate credunt fictionem eſſe, huius autem ſignum eſt in vtriſque, quia cum aliqui Saraceni efficiantur Chriſtiani, & aliqui Chriſtiani efficiantur Saraceni, Chriſtianus nunquã efficitur Saracenus in morte, ſed in uita, Saracenus autem potius efficitur Chriſtianus in morte quam in vita. Igitur quilibet eorum magis eligit mori Chriſtianus, quam Saracenus, niſi prædicta violentia retrahatur. Tria vero ſunt expreſſa ſigna violentiæ leggis prædictæ abſque eo quod dictum eſt quod totiens dicit, & mandat occidite. Vnum eſt quia Mahumetus dixit eis quod tantum duraret lex illa, quantum duraret eis victoria armorum, & potentia temporalis; ſed certe ſicut dicit Chriſoſtomus; talis eſt veritatis natura, quod à multis impugnata, fortius inualeſcit: Sicut e contrario falſitas promota per multos in ſemetipſa

tipſa

ſipſa deficit; veritas igitur non indiget fulcimento potentiæ temporalis, & maximæ veritas domini quæ manet in ęternum; lex enim Chriſtianorum tempore perſecutionis (quæ durauit CCCX. annis continuis) maxime fuit promota, & numero fidelium, & euidentia miraculorum. Secundum ſignum violentiæ prædictæ eſt,quia quando ipſi conueniunt ad prædicationem, & vt lex exponatur eis, magiſter Saracenorum (qui debet proponere verbum) primo denudat enſem, & denudatum tenet in manu dum prædicat, vel ponit in loco eminenti ad terrorem; Chriſtiani vero dum prædicant non enſem ſed crucem eleuant, ad oſtendendum non ſignum violentiæ ſed innocentiæ, velut homines qui mittuntur à Chriſto ſicut oues in medio luporum. Tertium vero ſignum eſt occiſionis, & violentiæ,quia ipſi ſoli Saraceni nutriunt aſſaſſinos occiſores hominum, quibus ex ipſa occiſione actiua, & paſſiua promittunt vitam ęternam, & mittunt eos per mundum, vt proditorie occidant principes mundi; Nam huiuſmodi aſſaſſini, habent caſtra, & fortalicia ſua circa montem Libani, & ſunt obedientes ſoldano Babiloniæ, qui eſt caput Saracenorum, & ipſi ritu, & lege ſunt Saraceni, & non vocantur aſſaſſini à Saracenis, ſed vocantur Hyſmaelitæ,quaſi radix & ſtirps Saracenorum, & principales deffenſores, & conſeruatores legis Mahumeti. Ad hoc enim ſingulariter inſtruuntur, & nutriuntur, vt occiſionem exerceant. Hoc ſcelus horent non ſolum Chriſtiani, qui legem ſanctiſſimam habent, ſed etiam Tartari, qui nullam legem ſe dicunt habere niſi legem naturæ; ex his igitur aperte patet quod lex Saracenorum eſt occiſionis, & violentiæ; eſt autem violentum cuius motus eſt ab eſtra, nihil conferente vim paſſo, vt dicit Ariſt. & ex conſequenti patet quod lex ipſa non eſt lex Dei.

Vndecimum Capitulum oſtendit quod lex prædicta eſt inordinata.

VNdecimo conſiderandum eſt quod Alchoranus non eſt lex Dei quia eſt inordinata, quæcunque autem ſunt à Deo ordinata ſunt, vt dicit Apoſtolus. Et hoc videmus tam in operibus naturæ, quam in ſcripturis Sacris, certiſſimum autem eſt, non ſolum Chriſtianis, ſed etiam Saracenis, quod lex Moyſi, & prophetæ, & Euangelium ſint à Deo, hæc autem omnia ordinata ſunt, nam Moyſes ordinatiſſime incepit à creatione mundi deinde proſecutus eſt ordine temporis, & hiſtoriæ totum pentatheucum: alij etiam Prophetæ ordinatiſſime proceſſerunt, & ordine temporis oſtendentes quo tempore, vel ſub quibus regibus, uel ordine hiſtoriæ, uel ad minus ſemper, ordine materiæ. Euangelium etiam ordinatiſſime procedit ordine temporis, & hiſtoriæ, & materiæ, incipiens ab incarnatione, & natiuitate Chriſti, deinde de vita, & doctrina, & miraculis, poſtmodum de morte, & Reſurrectione, & de Aſcenſione Chriſti. In Alchorano autem omnino nullus eſt ordo, nec ordo temporis, non enim dicit ſub quibus regibus, vel quo tempore; nec ordo hiſtoriæ, nam primum capitulum a quo incepit, dicitur rubrica, vel apertio libri, in quo conuenienter ſine dubio incepit ab oratione, & laude Dei ſed immediate poſt breuem orationem proſequitur opus, & eſt capitulum ſecundum de uaca rieſſa, quam immolauit Moyſes, cuius hiſtoria eſt in Leuitico: Tertium capitulum eſt de familia Amram, qui fuit pater Moyſi, cui multa de Chriſto interſerit, & dicit quod Virgo Maria fuit ſoror Moyſi, & Aaron, & ſtatim ſequitur capitulum quartum de mulieribus, & ſic de alijs, ita inordinate quod non eſt homo in mundo qui poſſit de ordine Hiſtoriæ, & capitulorum reddere rationem; nec ordo materiæ, nam numquam unam materiam proſequitur ordinatè, ſed ſtatim de vna materia ſe transfert ad aliam omnino extraneam, recte ſicut arreptitius; nec ordo argumentationis, vel alicuius probationis, ſed tota doctrina eſt ex ſuppoſitione, & ponit vnam propoſitionem per ſe veram, & ex illa concludit quandam aliam, quæ nihil habet facere cum ea, ſicut frequentiſſime dicit quod

Digitized by Google

Deus eſt excelſus, & bonus, & Alchoranus eſt lex ſaluationis, & quod Deus eſt Deus, & quod nullus eſt alius Deus niſi Deus, & Mahumetus eſt propheta veridicus: ſed quæ eſt iſta concluſio, quod Mahumetus ſit veridicus ſeruus Dei, quia Deus eſt Deus, & ſicut in capitulo Elmeyde; quod interpretatur menſa; dicit. Conſtituit vobis dominus domum Elharam; ideſt vetationis hæc eſt domus meche, & menſem ieiunij Saraceniſſimi, & hoc vt ſciatis, quod Deus nouit quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt, & Deus eſt noſcens omne quod eſt, ſed quis vel fatuus dubitat quin Deus ſcit omnia? ſed eſto, quod dubitetur, qualis eſt hæc conſequentia, quod domus Meche, & ieiunium menſis Saraceniſmi faciat ſcire, quod Deus ſcit omnia; frequentiſſimæ vero videtur loqui ſicut ſomniator, & maxime circa finem libri videntur ei uerba deficere ſicut in ea; Elheaſſarim, quod interpretatur hæretici, dicit de uerbo ad uerbum ſic. O blaſphemi: non adoro, quod adoratis, nec uos adoratis, quod adoro, uobis lex ueſtra, & mihi lex mea, ſed omnis hæreticus poteſt illud dicere ut præcidant materiam inquiſitionis ad ueritatem, nec recolo me uidiſſe nec inueniſſe in toto libro unum argumentum recta poſitione, & conuenienti ordine, ordo autem uerborum gramatichaliter, & rectorice ibi pulcherrimus; nam ferè totus liber ſtimulus, & rithmicus eſt. Vnde multum gloriantur Saraceni de tam pulcro, & ornato modo loquendi Arrabice; & ex hoc arguunt, quod Mahumetus fuit uere propheta, quia per ſe neſciuiſcet loqui tam ornate homo penitus idiota, ſed ſicut uiſum eſt ſuperius in capitulo 4. non eſt conſuetudo Dei loqui mundo uel prophetis ſuis per uerſus & rithmos; ſic ergo patet quod lex iſta non eſt a Deo, quę nullum ordinem continet, niſi ordinem gramaticalem, & rithmicum qui Deo non competit.

inulus

Duode-

Duodecimum Capitulum oſtendit, quod Alchoranus eſt lex mala.

DVodecimo conſiderandum eſt, quod lex iſta non eſt à Deo quia eſt mala, Deus enim eſt ſume bonus, optimi autem eſt optima adducere ſecūdum Dionyſium, quod autem lex Alchorani ſit mala patet per ipſum Alchoranum: dicitur enim in capitulo Elhabaf. & etiam in capitulo Elgen, quod interpretatur demones, quod ipſe Alchoranus placet demonibus, & in eo delectantur, Demones autem ſunt mali, & deprauati in voluntate, quibus non placet niſi quod malum eſt, igitur Alchoranus eſt malus. Præterea Alchoranus eſt cauſa omnium malorum, vt occiſionis, rapinæ, periurij, & hiuſmodi, quæ quidem mala non ſolum Alchoranus permittit, ſed mandat, vt ſuperius patet, & maxime occiſionis, nec eſt excuſatio quod mandat, quod occidantur increduli, & non fideles, dicit enim ſine dubbio, quod fideles non deberent occidere fidelem, ipſos autem infideles præcipit occidi niſi ſoluant tributum, ergo ſoluere tributum eſt integra cauſa, quod occidantur vel non occidantur. Præterea ſicut in Alchorano in pluribus locis dicitur nullum eſſe maius malum, quam imponere Deo mendatiū, Alchoranus autem Deo imponit multa mendatia, etiam præter illa, quæ dicta ſunt ſuperius in nono capitulo de falſitatibus quas continet, quæ omnes redundant in Deum; ſi enim Alchoranus eſt ſermo Dei (vt dicunt) poſſumus oſtendere plurima alia; nam in capitulo Elē faal, quod interpretatur Lucra, dicit quod lucra ſunt Dei, & nuntij, & quod dent Deo quintam partem de his quæ lucrantur, ſed nunquid Deus eſt ita malus, quod permittat rapinam vt inde conſequatur partem ſuam, ſcilicet quintam partem, an eſt ita pauper Deus, quod non alat pauperes ſuos, ſcilicet viduas, pupilos, & peregrinos de quibus ibi loquitur, niſi permittat rapinam, vt inde lucretur? certè iam fecit Mahumetus Deum conſortem ſibi in malo, qui non poteſt conſortem habere in bono. Præterea licet Alchoranus aliquando prohibeat rapinam, vel periurium, vel quædam alia mala, tamen ipſa prohibitio eſt quædam permiſſio; dicit enim ne faciatis talia, & talia mala, quia Deo non placent, ſed ſi feceritis ipſe eſt miſericors, &

Digitized by Google

miſerator,& indulgebit vobis de facili;de rapina autem nihil vnquã mandat quod reſtituatur, nec ipſi talem conſuetudinem habent, ſed ſufficit Saraceno quod in fine dicat. Nõ eſt Deus niſi Deus, & quod Mahumetus eſt nuntius Dei,ſicut ſuperius patuit in 5.cap. De periurio vero expreſſe dicit in cap. Elmeyde, quod interpretatur menſa; non imputabit vobis Deus fraudationem iuramenti, ſed inodationẽ eius quaſi dicat. Periurium non obligat ad culpam,ſed ad pœnam, Et poſtea ſubdit. Pro tranſgreſſione autem eius, decem miſerorum cibatio,ſeu eorũdem ueſtitio,aut vnius captiui redemptio, qui autem hoc non valet,tribus vicibus ieiunabit, ex iſtis ſequuntur omnia mala,non enim timent rapere, vel fraudare, nec periurare,nec ſeruant fidem, cum tamen Chriſtiani teneant, quod fides ſeruanda eſt hoſti, & etiã infideli: habent tamen ſine dubio Saraceni quodam genus iuramenti,quod non de facili frangunt,de quo poſtea videbitur. Mahumetus autem expræſſe dicit in cap. Elmethaenem, quod interpretatur vetatio, quod Deus diſpenſauerat cum eo,quod non ſeruaret quod licite iurauerat,ſcilicet, quod non accederet vlterius ad quandam Iacobinam, quæ vocabatur Maria, & ſic periurauit, de qua diſpenſatione (vt dicit) teſtes ſunt Michael,& Gabriel. Eſt igitur hæc lex mala, ex qua ſequuntur omnia mala: eſt etiam m ala,quia & tam magna mala,& mendatia Deo imponit,& præter illa quæ dicta ſunt,alia multa imponit ei falſa, & fatua; dicit enim quod Deus ſe excuſat quare miſit nuntium Mahumetum hominem, & non miſit potius Angelos; & ait quod Deus dixit,quod miſiſſet Angelos, ſed ipſi non poterant ire ſecuri per mundum,ſed nunquid Mahumetus ibat per mundum ſecurior, quam Angeli? quod ſi per Angelos intelligit bonos, & pacificos homines, adhuc non eſſet dubium quod boni, & pacifici homines ſecurius vadunt per mundum quàm mali: inducit etiam Deum frequẽter loquentem,& dicẽtem, quod ipſe non creauit mundum pro ludo, ſed quis fatuus Deo imponebat, quod ipſe truſatiue creaſſet mundum. Item quia Mahumetus erat homo carnaliſſimus, & frequentiſſime intendebat operi luxuriç in cap. Elmirelhaecab. inducit Deum loquentem, quod non intrent domum niſi inuitati, & vocati,& niſi per ſtrepitum de foris, & ſequitur quaſi ex ore Dei, & cum intraueritis,& comederitis,exite,& nolite ſtare ad dicendum hiſtorias, quia moleſtum eſt prophetæ, & verecundatur dicere; ſed Deus non verecũdatur dicere veritatem; & breuiter quidquid voluit facere, vel quod fieret ei totum impoſuit Deo,quod mandabat, quod ita fieret;& ex hoc ſequuta ſunt omnia mala, quaſi ex auctori-
tate

tate legis, ſcilicet, quod occideret, quod raperet, quod adulteraret cũ vxore Zeith, quod inceſtum comitteret cum Maria Iacobina, quod periuraret nec ſeruaret fidem in promiſſis, eſt igitur, hæc lex mala, quia diabolo, qui malus eſt, placet, & quia ad mala inducit, ergo non eſt a Deo, qui eſt ſume bonus, & a quo non eſt niſi bonum.

Capit. xiij. in quo oſtenditur inſtitutio Alchorani, & quis fuit actor, & inuentor illius.

CVM igitur oſtenſum ſit quod Alchoranus, qui eſt lex Saracenorum non eſt a Deo; conſequenter inquirendum eſt de diſcipulis Mahumeti, & de inſtitutione Alchorani prædicti; & eſt ſciendum quod firmiter a ſapientibus creditur, & rationibus efficacibus comprobatur, quod principalis actor ipſius Alchorani, non fuit homo, ſed diabolus, qui ex inuidia propria, & permiſſione diuina propter peccata populi præualuit inchoare ſolemniter & efficaciter perfidiam Antichriſti: Videns igitur Diabolus, quod fides Chriſti creſcebat in partibus Orientis, & quod idolatria defficiebat, iam de victo Coſdroa rege Perſarum, & Medorum Idolatria per Eraclium Regem Chriſtianiſſimum, & quod ipſe Eraclius deſtruxerat excelſam, turrem, quam ipſe Coſdroa ædificauerat ex auro, & argento, & lapidibus præcioſis propter idolatriam, & quod Crux Chriſti iam tantum erat per Eraclium exaltata, & amplius exaltanda, cum non poſſet ipſe diabolus iam amplius defendere plures Deos, nec totaliter negare valeret legem Moyſi, & Euangelium Chriſti, quod iam diuulgatum erat per mundum, cogitauit per fictionem legis quaſi mediе inter nouam, & veterem, decipere mundum; & ad hoc exequendum aſſumpſit quendam hominem diabolicum, nomine Mahumetum ritu idolatram, fortuna pauperem, mente ſuperbiſſimum, & maleficijs famoſum: Equidem libentius aſſumpſiſſet diabolus hominem bonæ famæ. Si fuiſſet permiſſum ſicut, & libentius primum tentaſſet hominem per alium animal in quo amplius ipſius malitia celaretur, quam per ſerpentem ſi fuiſſet permiſſus, ſed non permiſit diuina ſapientia niſi vt talem aſſumeret, & per talem hominem mundum inuaderet, vt mundus de facili aduerteret qualis eſſet lex data per talem legiſlatorem; deuicto igitur

Coſdroê

Coſdroa per dictum Eraclium, & reportata Sancta Cruce in Ieruſalem cum Triumpho anno Domini DC. X X V I. Eraclij autem anno X V. ſurrexit Mahumetus Arabs, qui primo ditatus per quandam viduam diuitem quam vxorem acceperat, Poſtea factus princeps latronum in tantam prorupit ſuperbiam, quod voluit fieri Rex Arabum, ſed quia ipſi non receperunt eum,eo quod eſſet genere,& opinione vilis,finxit ſe eſſe prophetam,& quia epilenticus erat, & ut firmiter creditur arrepticius, & frequenter cadebat; dicebat, quod Angelus ei loquebatur, & poſtea dabat quaſdam reſponſiones,quas (vt dicebat) audiebat quaſi per modum campane: & quia homo idiota erat,& ſine literis dedit ei diabolus commites ſibi conuenientes quoſdam Iudæos hereticos, & Chriſtianos hereticos, ad heſit enim ei quidam Iacobita nomine Baheyra, & fuit cum Mahumeto penè vſque ad mortem, ferturque,quod Mahumetus poſtea interfecit eum,& quidam Iudæi ſcilicet Phinees,& Abdia nomine Salon:poſtea dictus Abdala cognomine Sellem;& facti ſunt Saraceni, & quidam Neſtoriani, qui maxime conueniunt cum Saracenis dicẽtes,quod Deus non eſt natus ex beata Virgine;ſed homo Ieſus Chriſtus, & tunc quædam compoſuit Mahumetus per modum legis,incipiens aſſumere quædam de nouo teſtamento, & quædam de veteri, nec tamen tunc populus habuit Alchoranum; narratur tamen in eorum hiſtorijs dixiſſe Mahumetum, deſcendit Alchoranus ſuper me & 7.u[illegible]ris,& quicquid ſatis eſt ſufficit:Dicũt autẽ hos fuiſſe. Naphe, & Chou, Homar,& Homra,& Elreſſar,& Aſſer, & filius Hetur,& filius Amer. Dicemus ergo eis,ſi legerunt vnquam coram Mahumeto, & dicetur quod non, ſed hij coram ſenioribus, & ſic uſque ad Mahumetum; & certum eſt quod iſti non concordant cum ſenioribus prioribus in lectura, quam nunc tenent: quod probatur, quia lectura primæ partis contraria eſt parti ſecundæ, quia de tempore Mahumeti nullus ſciuit Alchoranum niſi Abdalla filius Meſſeorith, & Zeit filius Tabeth,& Ochanam filius Offam,& Hebi,filius Cab. De Ali filio Abitaleb,quidam dixerunt ſciuiſſe partem,quidam nõ: quilibet autem iſtorum ſtatuit ſibi Alchoranum, aliorum Alchorano diſſimilem,& pugnauerunt contra ſe inuicem, non recipientes, quæ aliorum erant uſque ad mortem, & poſt mortem,populi diſcordauerunt in Alchorano uſque ad tempus Merbam filij Elhelrem, qui compoſuit eis hunc Alchoranum quem nunc habent, & combuſſit alios Alchoranos, & tunc etiam 7. dicti ciuitatum perfecti cõtradixerunt ſibi in gramatica;& ydiomatibus proprijs;ex eorum autem

tem

rem hiſtorijs inuenimus, quod capitulum repudiationis excedebat capitulum vacce. Primum erat in c c. x x x. ſententijs quod hodie conſtat tantũ ex duodecim;dicũt ẽt ꝙ cap. Vacce mille cõtinebat ſententias aliquando,& hodiæ tantũ cc. LXXXVIII. Refferũt ẽt de quodã potẽte, nomine Elgaig.quod extraſſit ab Alchorano.Lxxxv. Sententias, & alias totidem alterius ſenſus addiderit: quomodo ergo verum eſt quod dixit de Alchorano Deus(vt aiunt)quem nos deſcẽdere fecimus recordationem:& nos tam cuſtodientes erimus? Narrant etiam quædam hiſtoriæ quod Mahumetus ueneno mortuus eſt; nec habuit populus Alchoranum, cum autem Hebmebabeer ſuſciperet Principatum præcepit quod quilibet recoleret quæ poſſet,& hunc(qui eſt præ manibus)compoſuit Alchoranum,reliquos autẽ combuſſit; Sed in capitulo Elharam de Alchorano dicit,quod nullus nouit eius expoſitionẽ præter Deum: & fundati in ſciẽtia dicunt. Credimus ei,totum enim eſt à Deo noſtro, & reuera in hoc libro ſunt multa tam obſcura tam truncata,& inordinata(ut ſuperius patuit)ut nullum ſenſum facientia, fatuitatem potius, & mendatiũ paliarent. Factum eſt autem,ut concordarent hunc eſſe Alchoranũ, quem habent prę manibus,& dicerent,quod Deus reuellauit Mahumeto, & quod ipſe ſcripſit ex ore Dei, Effochaa tamen,ideſt doctores,& expoſitores magni nunquam concordauerunt;& hoc non ſolum orientales ab occidentalibus, ſed etiam orientales ab inuicem, & in eiſdem ſcolis ſunt diuerſe ſecte:& tam diuerſe, quod vna condemnat aliam;quidam enim ſequuntur Mahumetum,& iſti ſunt plures; & quidam ſequuntur Haali,& iſti ſunt pauciores, & minus mali;& dicunt, quod Mahumetus vſurpauit ſibi per tiranicam potentiam quod erat Haali; ſurrexerunt contra vtroſque Saraceni quidã periti in philoſophia, & ceperunt legere in libris Ariſtotelis, & Platonis,& inceperunt contemnere omnes ſectas Saracenorum, & ipſum Alchoranum,quod aduertens quidam calipha de Baldacho nomine, edifficauit in Baldacho Nadamiam, & Meſtanceriam Scolas ſolemniſſimas,& reformauit ſtudium Alchorani:& ordinauit,quod de quibuſcunque prouincijs venirent in Baldachum ad ſtudium Alchorani ſtudentes,& habẽtes ſellas, & ſtipendia neceſſaria de communi:& ordinauit,quod Saraceni attẽdẽtes ad Alchoranũ nullo modo ſtuderent philoſophiam;nec reputant bonos Saracenos, qui philoſophiæ intendunt; pro eo quod omnes tales contemnunt Alchoranũ propter cauſas iam dictas in octauo, & nono capitulis.

Capitu-

Capitulum xiiij. de ficta viſione Mahumeti.

QVartodecimo conſiderare oportet, quod fictam viſionem Mahumetus compoſuit; quæ eſt expoſitio cuiuſdam Alchorani: dicitur enim in capitulo filiorum Iſdrael. Laus ei ſit qui tranſire fecit ſeruum ſuũ ſub vna nocte ab oratorio alhatani (quæ eſt domus Meche) vſque ad oratorium remotiſſimum (quæ eſt domus ſancta in Ieruſalẽ, contra quã benediximus, & expoſitio huius ſententiæ eſt, quod Mahumetus vna die Pſalebat horam matutinalem: cumque fuiſſet dixit hominibus. O vos inquit homines intelligite; Sero poſtquam receſſi à vobis venit ad me Gabriel poſt pſalmodiam veſpertinam vltimam: & dixit mihi. O Mahumete præcipit tibi Deus, vt eum viſites, cui dixi, & ubi eũ viſitabo? & dixit Gabriel, in loco ubi eſt; adduxitque mihi iumentum Elborach, & dixt mihi. hunc aſcende, & equita vſque ad domum ſanctam; cumque curarẽ aſcendere reffugiebat iumentum, dixitque ei, ſta firmiter quia Mahumetus eſt qui te curat aſcendere, reſpondit iumentum; non permittã eum aſcendere, niſi prius rogauerit Deum pro me; ego autem interceſſi pro iumento apud Deum meum, aſcendique iumentum, & gradiebatur (incedẽte me) tenui greſſu, colocabatque ungulam pedis in orizonte uiſus fui, ſicque veni ad domum ſanctam in ſpatio minori quam ictus oculi compleatur, eratque Gabriel mecum, & adduxit me ad ruppem in domo ſancta Ieruſalẽ; Gabriel dixit; deſcende, quoniã a ruppe aſcendes in cęlum, & deſcendi, & Gabriel iumentum Elborach cum cingulo ad ruppem firmauit, & portauit me in humeris vſque ad cœlum; cumque veniſſemus ad cęlum mundi; pulſauit Gabriel ad portam; dictumque eſt ei; quis es? reſpondit ego ſum Gabriel; dictumque eſt ei, iterum, & quis eſt tecum? reſpondit Mahumetus, & dixit portarius, numquid miſſum eſt pro eo? reſpondit Gabriel etiam: aperuitque nobis portam, & uidi gentem, & Angelos, & bis flectendo pro eis genua fudi orationem; & poſt accepit me Gabriel, & duxit me ad cœlum ſecundum; & fuit diſtantia inter vnum cœlum, & alterum itinere quingentorum annorum, & ſicut in primó dixit ſe pulſaſſe, & reſpondiſſe, ſic per omnia in ſingulis cœlis vſque ad ſeptimum, in quo ſeptimo cœlo deſcribit ſe vidiſſe populum

lum Angelorum, longitudo uniuſcuiuſque Angeli erat inſtar mūdi multis mille vicibus;quorum aliquis habebat ſeptingenta millia capita,& in quolibet capite ſeptingentamille millia ora, & in quolibet ore ſeptingentas mille linguas laudantes Deum ſeptingentis mille millibus idiomatibus,& reſpexi unum Angelum flentem,& quęſiuit fletus eius cauſam,& reſpondit culpe ſunt;ipſe autem orauit pro eo: ſicque Gabriel comendauit me alteri Angelo, & ille alteri,& ſic donec ſtarē coram Deo , & Tribunali eius; Tetigitque me Deus manu ſua inter humeros vſque a Deo.quouſque ad medullam ſpine dorſi mei manus eius frigiditas perueniret : dixitque Deus mihi, impoſui tibi, & plebi tuæ quinquaginta orationes.Cumque deſcendiſſem ad quartum cęlum:conſuluit mihi Moyſes quod reaſcenderē ad abbreuiandum,quia populus meus non poſſet, & primo reditu obtinui remiſſionem de decem,& ſic uſque ad quartam vicem, & quinto reditu à quarto uſque ad decimum non remanſerunt niſi quinque orationes: Cumque Moyſes dixiſſet nec hoc poterunt. Ego præ cōfuſione totiens aſcendendi , non aſcendi plus : ſed rediens ad Elborach : Equitaui rediens ad domum Meche , & tempus omniū iſtorum fuit minus quam decima pars noctis . Plus de uiſione iſta eſt illud,quod dimiſimus(dicit dictator)quam quod narrauimus; Cumque hanc fictionem narraſſet Mahumetus gentibus vniuerſis ſexaginta millia hominum a lege eius receſſerunt:Cumque dicerent ei aſcende in cęlum nobis cernentibus de die,& uideamus Angelos occurrentes,nō recognouit falſitatem ſuam: ſed ait,Laus Deo meo: Nunquid aliud ſum ego quam unus hominum ,& nuntius ? ſic , & in capitulo prophetarum narrat de quærentibus miracula ab eo fieri. Dixerunt de Mahumeto ſcilicet aſcultaſti ſomnia , ſed blaſphemias concinaſti, vel certe poetizas: uenias ad nos ſaltem cum miraculo uno , quemadmodum miſſi ſunt priores.Reſpondit;Deſtruxit(inquit Deus)ciuitates ante eos , qui non crediderunt,nunquid ipſi credent? & cum expectarem ab eo miracula reſpondit eis quoniam preceſſerunt nos crediderunt miraculis: nec crederetis uos niſi per gladium : Audite ergo Mahumetici ſi Alchoranum viuificatis ipſe eſt qui affirmat Mahumetum nullum feciſſe miraculum : longe autem plures fuerūt quos conſumpſit gladius, quam qui gratis eū ſecuti ſunt ſicut ſuperius patuit. Hęc ſola fictio uiſionis prædictæ deberet ſufficere ad confutandum quicquid fecit Mahumetus: nam ſicut dictum eſt ſuperius non permiſit eum mentiri Spiritus ſanctus,niſi ita manifeſte, ut omnis homo faciliter aduerteret fictionem : nam modo ponit de

ſe

Digitized by Google

ſe inaudita miracula, modo dicit, quod nullum fecit miraculum, aliquando dicit, quod eſt ſolus nuncius homo, aliquando quod eſt pluſquam Angelus, & pro Angelis intercedit, & quare indiguit aſino, vel iumento de mecha vſque in Hieruſalem, qui de Ieruſalem vſque ad cęlum iuit ſine aſino? & quomodo potuit tot ſplendores angelorum ſuſtinere in cœlo, qui dicebat quod quando apparebat ei vnus Angelus ſemper cadebat in terrã, & ſpumans agitabatur, & incuruabantur manus, & pedes eius? neque enim in prędicta uiſione ponit ſe raptũ, ſed dicit quod aſcẽdit in corpore ſimul & anima: cuius ſignum eſt quia dicit quod Deus manu ſua tetigit eum inter humeros, & ſenſit frigiditatem vſque ad medullam ſpine dorſi, Angelos ergo & Deum ponit cum corporali dimenſione.

Quintum decimum capitulum continet ſex quæſtiones ſuper Alchorano.

COnſequenter mouenda ſunt quædam dubia in Alchorano, & quædam quæſtiones, de quibus cum Saraceni non poterunt reddere rationem, non ſolum inuitentur, ſed compellantur intrare ad conuiuium veritatis.

Prima queſtio eſt.

QVid ſibi voluit Alchoranus quod totiens induxit Deum de ſe pluraliter loquentem? dicitur enim in capite Ilbaharà in perſona Dei. Diximus Angelis Adorate Adam, &c. & hoc poſtea continuat vſque ad finem libri. Aliquando loquens de Deo in plurali, aliquando in ſingulari, & certiſſimum eſt omnibus Chriſtianis, Iudæis, & Saracenis ratione vtentibus quod Deus eſt vnus, & ſolus, & ſimplex, & non habet nec poteſt habere conſortem. quare ergo de ſe loquitur pluraliter; & non poſſunt dicere quod Deus loquitur de ſe, & de Angelis, dicitur enim ibi, diximus Angelis: eſt ergo hæc locutio Dei, & non Angelorum, ſed ad Angelos. Præterea, in cap. ſad. dicitur, quod omnes Angeli adorauerunt Adam niſi diabolus; ergo omnibus Angelis dicit Deus. Præterea in multis locis in Alchorano inducuntur tales locutiones de Deo in plurali, in talibus actionibus,

Digitized by Google

in quibus Angeli nullo modo Deo communicant;ſicut in creatione mūdi, & in iuſtificatione impij. Dicitur enim in Alchorano in pluribus locis in perſona Dei: Nos inquā creauimus cęlum,& terram, & intermedia non pro ludo, & nos iuſtifficauimus hominem, &c. & nos miſimus Chriſtum filium Mariæ, & dedimus ei Spiritum ſanctum,& Euangelium, & miracula, & talia in quibus Angeli nullo modo Deo Communicare poſſunt; Angeli enim creati fuerunt à Deo, & non concreatores Deo in creando cœlum, terram, & intermedia. Nec poſſunt dicere Saraceni, quod uox illa pluralis ſit vox, anima Dei, vel vox Dei, & cuiuſdam alterius intellectus excellentiſſimi creati, per quem Deus omnia fecit (vt dicunt) conſtat enim quod quicquid eſt præter Deum eſt creatura, & à Deo creatum, & nulla creatura poteſt eſſe creatrix cum Deo. Præterea non poteſt etiam dici, quod Deus pluraliter de ſe loquatur propter diuerſas qualitates, quæ ſunt in eo ſicut potentia, ſapientia, Iuſtitia, & huiuſmodi, quas Arrabes appellant Saffach. Iſta enim ſunt in Deo non accidentia neque diuerſa, ſed ſunt ipſa diuina eſſentia. Vnde in Deo nullam compoſitionem, nec pluralitatem faciunt, vt per illa Deus de ſe loquatur pluraliter, quinnimo nec homo, nec Angelus propter illa diuerſa poteſt de ſe loqui, dicendo de vno pluraliter; cum tamen in Angelo, & homine illa accidentia aliquam compoſitionem in eis faciant: & certe talis modus loquendi ſcilicet, quod Deus de ſe (cum ſit vnus) loquatur plurariter inuenitur ſemel à Moyſe introductū in Geneſi; Nā in formatione hōis Deus locutus eſt dicens, faciamus hominem ad immaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et dicunt Iudæi, quod eſt vox Dei ad Angelos, quod eſt contra Sacram ſcripturam: quæ nunquam dicit hominem creatum ad immaginem Angeli, ſed ad immaginem Dei; & hoc eſt quod ſtatim ſubiungit Moyſes poſt illa verba dicens, & creauit Deus hominē ad immaginem, & ſimilitudinem ſuam, ad immaginem Dei creauit illum; eſt igitur vox illa patris ad filium, vel totius trinitatis ad inuicem; nam Deus qui eſt vnus & ſimplex in eſſentia, eſt trinus in perſonis; & Alchoranus idem ſimpliciter dixiſſet, niſi quia timuit, quod non poſſet eſſe diſtinctio perſonarum ſine diſtinctione eſſentiæ; & ideo dicit in cap. Elnaſa. O familia libri nolite uacilare in lege veſtra, & non dicatis de Deo niſi veritatem, quia Chriſtus Ieſus filius Mariæ eſt nuntius Dei, quem in ea poſſuit per Spiritum ſanctum ſuum. Ecce, hic nominat Deum, verbum Dei, & Sipritum ſanctum; ſed timens ne per hoc diuina eſſentia diuideretur, vel multiplicaretur, vel determinaretur ſtatim ſub-

iunxit,

iunxit,& non dicatis tres,quia Deus eſt Deus vnus: Ecce quãtum appropinquauit ad illud, quod maxime arduum eſt in fide, vt quaſi cũ Ioanne diceret Pater, verbum, & Spiritus ſanctus, & his tres vnum ſunt. Inducit igitur in Alchorano, Mahumetus Deum lequẽtem pluraliter,& neſcit cauſam: & ſic patet de prima quæſtione,quod tenemus cum eis communiter, quod Deus eſt vnus,& ſolus ſimplex. & ipſi habent in Alchorano, quod Deus eſt Deus,& quod habet verbum ſuum, & Spiritum Sanctum, & ſit tenemus, quod ipſe qui eſt vere Deus,& vnus, & ſimplex,proprie de ſe loquitur ſingulariter; & quia eſt trinus in perſonis aliquando de ſe loquitur pluraliter.

Secunda quæſtio talis eſt.

Secunda quæſtio eſt, quia Alchoranus facit mentionem frequentiſſime de Spiritu ſancto,& de verbo Dei, quis eſt iſte Spiritus ſãctus? & quod eſt iſtud uerbum Dei? Nam de Spiritu ſancto dicit in cap. Elbachara. in perſona Dei. Diuiſimus, & dedimus Ieſu filio Mariæ,quod faceret prodigia, & miracula manifeſta,& perfecimus eum per Spiritum ſanctum, & idem per omnia repetit infra in eodem cap. Item dicitur in cap. Elembia de Maria. Inſuflauimus in eam de Spiritu ſancto, & in pluribus alijs locis loquitur ſimilia de Spiritu ſancto. Quæritur ergo quis eſt iſte Spiritus ſanctus, & non poſſunt dicere Saraceni,quod ſit aliqua creatura,puta aliquis Angelus bonus,quia loquitur de eo ſingulariter,vt de uno, ſancto,noſtro: Angeli uero ſancti ſunt multi,& omnes ſunt Dei; quę eſſet igitur cauſa ut de illo Deus ſingulariter diceret,noſtro,& ſancto? Et præterea non eſſet magna comendatio de Chriſto, quem Alchoranus intẽdit ſingulariter comendare,quod Deus dediſſet ei Angelum cuſtodem; quia quilibet homo habet Angelum cuſtodem; Nam Deus facit ſpiritus,& Angelos,& nũtios noſtros,ſicut dicit in Alchorano in ca. El melayche. Et præterea Angeli non ſantificant homines ſed Deus immediate,& ſolus,ſicut ſolus Deus poteſt peccata dimitere,vt dicitur in Alchorano; Si autem prædictus ſpiritus ſit verus Deus, quid de ſpiritu prædicto loquitur Deus dicens dedimus Spiritum ſanctũ, & inſuflauimus de Spiritu noſtro? Cum igitur diuina eſſentia ſit vna, & ſimplex,& non poſſit diuidi,niſi diſtingui,& ibi ſit dans,& datum, dans,qui dicit dedimus, & datus ſpiritus,qui dicitur datus & inſuflatus, & inter dantem, & datum requiratur diſtinctio, oportet quod

Digitized by Google

Deus dans,& inſuflans,& Spiritus ſanctus datus,& inſuflatus diſtinguantur perſonaliter ſolum, & non eſſentialiter, & ſic ſolis relationibus diſtinguuntur. Hæc eſt diſtinctio ſola, quam Chriſtiani ponunt in diuinis perſonis.

Tertia Quæſtio talis eſt.

EANDEM quæſtionem omnino quam facimus de ſpiritu ſancto; poſſumus facere de verbo Dei. dicitur enim in cap. amrani Dicunt Angeli Beatæ Marię. O Maria Deus prętulit te,& purificauit te ſuper omnes mulieres,& poſt dixerunt Angeli: O Maria Deus Euangelizat vel enunciat tibi de verbo ſuo, & nomen eius Chriſtus Ieſus filius Marię. Et in cap. Elnaſa,dicitur. Non dicatis de Deo niſi veritatē,quia ipſe Chriſtus filius Marię eſt nūtius Dei,& verbū Dei; & Verbū Dei quod ipſe poſuit in ea per ſpiritum ſanctū; Aſſerit ergo omnino,quod Chriſtus ſit verbum Dei. Quæritur ergo quid ſit iſtud verbum Dei? an verbum Dei accidentale, vel potius perſonale, & reale? ſi dicat quod eſt verbum Dei vocale tantum, & accidentale; hoc non poteſt dici. Loquitur enim de eo Alchoranus, & etiam Euangelium ſingulariter, vt de vno verbo tantum, Verbum autem Dei vocale,& accidentale quod a Deo eſt,non iam vnum;ſed multa; nam omnia verba ſancta, bona, & vera,poſſunt dici verba Dei, Et pręterea non eſſet excellens comendatio Ieſu Chriſti, quem Alchoranus intendit ſingulariter comendare, quod dicatur Verbum Dei, quia verba Dei dixit;nam non ſolum Chriſtus,ſed etiam alij Prophete dixerunt Verbum Dei. Si autem accipiatur ſubſtantialiter, & propriè,& perſonaliter,ſic Verbum Dei eſt æternum,& verus Deus: Sicut enim verbum, quod egreditur de ore corruptibilis hominis,corruptibile eſſe neceſſe eſt: ſic verbum quod ab æterno egreditur de ore Dei, per quod creauit Cœlum, & terram, & intermedia (vt verbo vtatur Alchorani) neceſſe eſt eſſe incorruptibile,& ęternum,quicquid autem ex Deo proceſſit eſſentialiter eſt Deus; Vnde cū verbum aliquando differat a dicente,& concepiente verbum, & in Dei eſſentia non poſſet eſſe diuiſio,vel diſtinctio;oportet quod ſit ibi differentia perſonalis,& quod verbum a dicente,proprijs, & ſolis relationibus diſtinguatur. Sic etiam de Spiritu Sancto dictum eſt. Hoc eſt autē Verbū,quo Deus omnia fecit,dicit fiat:& fit.ſicut in Alchorano dicitur, & in hoc cōuenit Alchoranus cum Euangelio Ioannis quod dicit. Omnia per ipſum facta ſunt. Quia igitur a dicente Verbum cōcipitur,& intellectualiter generatur,& illud, quod ab alio generatur

in

in ſimilitudinem ſpeciei, & naturæ dicitur filius, hinc eſt quod Verbum Dei dicimus filium Dei. Si cut ſi ſol generaret de ſe talem ſplendorem, qui eſſet ſol; illum ſolem, & ſplendorem diceremus filium ſolis. In hoc tamen eſt differentia: quia in creaturis in quibus differt eſſe, & eſſentia non poſſunt multiplicari ſuppoſita ſine multiplicatione naturæ; Vnde homo generat alium hominem, Deus autem in quo idem eſt eſſe, & eſſentia; cum ex ſe generat Verbum, non generat alium Deum; quia diuina eſſentia nec diuiſibilis eſt, nec multiplicabilis aliquo modo propter ſuam ſumam ſimplicitatem; & perfectionem. Mahumetus igitur. quando audiuit, quod Chriſtiani dicebant Deum habere filiũ, neſciuit cogitare quod poſſit eſſe filius niſi de muliere; & ideo nullum aliud argumentum adduxit, niſi quod Deus non poteſt habere filium, quia non habet vxorem, & non recoluit quod Dauid (quem tantum comendat Mahumetus) præter filium naturalem dicit Deum habere multos filios adoptiuos dicens, ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, & non ex muliere. Alias tamen, vt liceat ſtultizare Mahumetus, qui dixit, quod virgo Maria potuit habere filium ſine viro, ſatis potuit cogitare quod Deus poſſet habere filium ſine muliere; ergo verum dixit Mahumetus, quando dixit quod Chriſtus Ieſus eſt filius Mariꝫ; & quod erat Verbum Dei, ſed non intellexit: ſi enim intellexiſſet dixiſſet. Ex quo eſt filius Mariæ eſt verus homo, & ex quo eſt Verbum Dei, eſt verus Deus; non enim eſt Deus compoſitus, vel imperfectus vt homo; cuius Verbum, & conceptio mentis, & ars, & operatio non eſt homo, immo quicquid eſt Dei Deus eſt; Vnde Verbum Dei eſt Deus, intellectus Dei eſt Deus, operatio Dei eſt Deus; Alchoranus autem non accepit Chriſtum Ieſum niſi hominem; & ideo poſtquam dixit, quod erat Verbum Dei, ſubiunxit, quoniam Ieſus eſt apud Deum; ſicut Adam quem creauit de limo, & dixit ei eſto, & quomodo hoc conuenit præcedentibus? cum enim dixerit, quod Deus infuderit Verbum ſuum, & ſpiritum in Maria, & huiuſmodi fuit Chriſtus, & opinetur poſtea, quod ipſe fuerit, vt Adam quem de limo creauit; quomodo conuenit, vt dicatur quod Verbum Dei, & ſpiritus eius fuerit limus; & quomodo limus niſi de limo; naturam ergo diuinitatis ponemus limum? abſit. eſſet enim Deus, & Verbum eius, & ſpiritus eius, quaſi ſtatua quæ neque percipit, neque ſpirat; nunc autem Deus noſter (qui eſt benedictus in ſecula) videt, & audit omnia, & hoc Verbum Incarnatum de Sanctiſſima Virgine, & hoc ſpiritum, quod virgini obumbrauit, & humanitatem verbi impleuit; quòd ſi fuerint opinati quod ſimiliter in Adam fuerit

Digitized by Google

Verbũ Dei,& ſpiritus eius,in hoc eſt falſitas manifeſta; quia ſi Verbũ Dei,carni, vel eius ſpiritui eſſet vnitũ, & ſpiritus Dei repleuiſſet Adã; nũquã Satanas decepiſſet eũ,aut deieciſſet verbo ſuo.tamẽ dixit Deus Ade. Eſto. hoc eodem verbo quo fecit omnia, quod ab æterno erat apud Deum, eſt itaque Chriſtus verus Deus, quia Verbum Dei,neq; enim Verbum Dei eſt minus,quã totus mundus; eſt etiam verus homo,quia de Virgine Maria natus; & inquantum homo, & nuncius Dei eſt, & Propheta Dei, & ſermo Dei. Et quantum ad hoc bene dicit Alchoranus in cap. Elneſa. quod Chriſtus non negabit, nec Angeli fideles, quod ipſe non ſit ſeruus Dei, ſcilicet inquantum homo; non tamen inuenitur in toto Euangelio, quod ipſe diceret ſe ſeruũ Dei vt non induceret errorem;nec dixit expreſſe ego ſum Deus, nec dixit ego ſum homo,ſed veris,& manifeſtis operibus oſtendit,quod erat verus Deus, & verus homo: & ideo dixit ſi mihi non vultis credere operibus credite, & iſta eſt efficatior probatio,quam ſi ſola verba dixiſſet. Dictum eſt ſuperius quare ante paſſionem non dixit expreſſe,Apoſtoli autem, & Euangeliſtæ,& prius,& poſtea tam manifeſte dixerunt verba,& oſtenderunt miracula;vt totus mundus conuinceretur credere hæc. Mahumetus autem poſtquam benedixerat, quod Chriſtus eſt verbum Dei, in veritate non ſtetit,ſed contradixit ſibi ipſi,& dixit,quod ipſe Chriſtus non erat Deus;tamen quia dixit, quod apud Deum ſe excuſauit,quod patet ſuperius in nono cap. manifeſte eſſe falſum,tum quia dixit adorate Deum meum,& Deum veſtrum,dominum meum, & dominum veſtrum, & hoc non eſt contrarium: nam inquantum ipſe erat verus homo, verus ſeruus Dei erat,vt prius patuit. Contigit ergo Mahumeto, quod ipſe de alijs ſcripſit in cap. de Iona, dicens, quod quidam reprobant quod non intelligunt, & quæ non poſſunt exponere; ſic & ipſe reprobauit miſterium incarnationis, quia non intelligebat, nec potuit exponere, quod de Chriſto in Euangelio dicebatur, & per eandem rationem non acceptauit miſterium Trinitatis, quia nam poterat intelligere diſtinctionem perſonarum ſine diſtinctione eſſentiæ: Sed quid mirum ſi homo carnaliſſimus non percipit excellentiſſima Dei; & hæc ſufficiant de tertia quæſtione.

Quarta quæſtio talis eſt.

Qvarta quæſtio eſt. Quia Mahumetus frequentiſſime in Alchorano commendat legem Moyſi,& Iob,& Dauid, & dicit Pſal

terium

Digitized by Google

terium librum luminoſum, & ſuper omnes alios libros comendat Euangeliũ, in quo dicit, quod eſt ſalus, & dirrectio, quæritur quare Saraceni non habent, & non legunt libros iſtos? quia enim Chriſtus comendauit Moyſem, & alios prophetas, & Chriſtiani eos non habebant, acceperunt eos à Iudæis, & fecerunt transferi de diuerſis linguis, & habent eos autenticos, & legunt in ſuis ſcolis; & dicunt Saraceni, quod Iudæi corruperunt libros veteris teſtamenti, & Chriſtiani corruperunt Euangelium, & libros noui teſtamenti, & quod nihil veritatis remanſit in mundo de Scripturis, niſi quantum eſt in Alchorano, ſed oſtenſum eſt ſuperius in 3. cap. quod hoc eſt falſum & contra Alchoranum. Præterea quomodo tantus propheta (qualem reputant Mahumetum) comendaſſet exemplaria corrupta, & dixiſſet, quod in eis eſt ſalus, & directio, vel quomodo non prędixiſſet in poſterum corrumpendam? ſed potius dixit contrarium ſcilicet, quod ſi Saraceni eſſent in dubio de Alchorano, quod peterent ab illis, qui ante eos acceperunt libros, ſcilicet a Chriſtianis, & Iudęis: & hoc dicit in capite de Iona. Potius autem dixiſſet non credatis eis, quia habent libros corruptos. Præterea in cap. Amram, docet Saracenos petere auctoritatẽ legis Moyſi dicẽs, afferte Pẽtatheucũ ſi eſtis ueraces, & legite, &c. non eſt autem alia cauſa, quare non legunt Saraceni prædictos libros niſi quia ſapientes ſciunt quod de facili depræhenderetur falſitas Alchorani, ſi libros ſanctos, & ueraces legerent. Vnde, & Alchoranus etiam ſibi malitioſe prouidit, & poſuit quatuor remedia ne dectereretur a ſuis, & ne falſitas eius depręhendatur; Vnum eſt quia mandauit eos occidi qui contrarium Alchorano aliquid dicerent, ſicut patet ſuperius in cap. 10. Secundum quia dixit quod cum hominibus alterius ſectæ non diſputarent; Tertium quia prohibuit ne eis crederent, dicit enim in cap. Amram. non credatis niſi illi, qui ſequitur legem veſtram, cum tamen dicat, quod in Euangelio eſt ſalus, & directio; Quartum eſt quod ab alijs totaliter ſeparentur, & dicant. mihi lex mea, & vobis lex veſtra, &c. & plus vos liberi ab eo quod operor, & ego liber ab eo quod operamini; & hoc dicit in cap. Ione. Si ergo Saraceni bene acciperent conſilium Alchorani, proculdubio dirigerentur. haberent enim Euangelium, & legem Moyſi, & alias Scripturas ſanctas; maxime cum ipſe Alchoranus comendando Moyſem Dauid, & Salomonem, & alios prophetas frequentiſſime dicat, quod non pręfert vnum alteri, & hæc ſufficiant de quarta quæſtione.

Digitized by Google

Quinta quæſtio talis eſt.

QVinta quæſtio eſt. Quid ſibi vult Mahumetus in Alchorano, quod totiens, & totiens replicat de ſe ſcribẽs credite in Deum, & nuncium, obedite Deo, & nuncio, ſequimini Deum, & nuncium? ſcimus enim, quod ſoli Deo debetur fidelitas credentiæ, honor latrię operatio obedientiæ, & ſequella uiæ, quia ipſe ſolus eſt principium, & finis omnium: Vnde nullus propheta vnquam fuit auſus hoc dicere, vt Deo ſe taliter in talibus aſſociaret: qui nullum poteſt habere participẽ neque cõſortem: nam dominus in lege dixit Moyſi, & omnibus iudæis. Videte quod ego ſim ſolus; & ideo Elias dixit, ſi Deus eſt dominus ſequimini eum; Videtur igitur Mahumetus ex talibus non ſolum dare Deo participem, & conſortem, ſed facere ſe Deo participem, & conſortem: & ſicut dicitur in Alchorano in cap. Elneſa. Deus non parcit, ſi quis dat ei participẽ. ſolus autem Chriſtus qui non fuit particeps Dei neque conſors, ſed fuit verus Deus, & verus homo potuit dicere; qui tamen nunquam dixit inquantum homo, credite in Deum, & in me credite, vel obedite Deo, & mihi, ne homines crederent eum Dei participem, & conſortem; ſed contra habetur. Ioan. 17. creditis in Deum, & in me credite, dicendum, quod hoc ſemel ſiue raro dicere ad veritatis oſtenſionem, & fidei informationem non inconuenit, vnde & alibi etiam dicit; qui in me credit opera quæ ego facio ipſe faciet, & iterum; Amen dico vobis qui in me credit habet uitam æternam.

Sexta quæſtio talis eſt.

SExta quæſtio eſt. Quia Alchoranus multa magnifica dicit de Chriſto, & e cõtra uilia quædam de Mahumeto, quare Saraceni non ſequuntur potius Chriſtum, quã Mahumetum, & Euangelium, quam Alchoranum? & quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, videamus originem, & alterquamur quid Alchoranus de vtroque pronuntiet; dicit Alchoranus, quod Chriſtus ſuæ matri fuit nuntiatus per Angelum, & fuit fortificatus per Spiritum ſanctum, & fuit conceptus ex virtute Dei (non operatione naturæ) & natus de virgine ſanctiſſima purificata ſuper omnes alias mulieres. De Mahumeto vero nihil dicit de iſtis, ſed quod fuit orphanus errans, & recolle-

Digitized by Google

collectus à Deo. Præterea dicit de Chriſto, quod eſt verbum Dei, & ſecundum hoc nihil potuit ignorare, Mahumetus vero fuit incertus propheta, dixit enim ſe neſcire quid de ſe fieret aut de ſuis. Dixit ipſe etiam. Neſcio vtrum ego aut vos ſcimus in directione. Vnde fertur dixiſſe de patre, & matre: vtinam ſcirem, quod eſt opus eorum, fertur etiam, quod ipſe fuit præſtigiatus a Iudęis. Acubus multis miſſis in vultum cereum, & proiectis in puteum. Tenent etiam comuniter, quod ipſe Mahumetus vitam veneno finiuit, ſed ex toſſicatione, quam immiſit ei quædam Iudæa in minutione. Item Chriſtus deſcẽdit ab Abraam per Iſaach, cui facta eſt repromiſſio de benedictione, & conſequenda hęreditate, Mahumetus deſcendit per Iſmael qui non pertinet ad repromiſſionem, ſed de eo eſt dictum, erit ferus homo, & manus eius contra omnes, &c. Præterea Chriſtus nullum vnquam peccatum commiſit, cum ſit Spiritu ſancto plenus, & ſit Verbum Dei, errare non potuit; Mahumetus autem fuit Idolatra, homicida, raptor, lubricus, & multis alijs peccatis obnoxius quæ (vt dicit) Deus ei pepercit. Item Chriſtus miracula ſtupenda fecit, & vtilia. Nam ſicut ponit in capitulo Elmeyde, in fine, Chriſtus cecos illuminauit, leproſos mundauit, & mortuos ſuſcitauit; Mahumetus nullum miraculum omnino fecit ſecundum Alchoranum; & ſi de eo quędam dicãtur, aut ſunt impoſſibilia, & abſurda, (vt quod lunam reintegrauit fractam) aut inutilia vt quod camella locuta fuit, aut omnino occulta; dicebat .n. ſe facere in abſcondito, & de nocte, quæ de die requiſitus monſtrare non poterat: vnde & ei dicebant, Dicis quod aſcendis in cęlum ad Deum de nocte, aſcende de die videntibus nobis, & credemus; Chriſtus autem maxima miracula; & magnifica faciebat de die & in manifeſto, & corã multis teſtibus vt eius opera eſſent omnibus patentia. Præterea Chriſtus fuit Magiſter excellentiſſimus; nam ſicut in Alchorano dicitur in capitulo Elmeyde, quaſi ex perſona Dei, o Chriſte recole quomodo dedi tibi Spiritum ſanctum, vt loquaris hominibus, & incunabulis, & magnis, & docui te librum, & ſapientiam, legem Moyſi, & Euangelium; Mahumetus autem fuit doctor ignorans, homo idiota neſciens linguam aliam niſi ſuam, ignorans etiam expoſitionem ſuæ legis; dicit enim, ꝙ ſolus Deus nouit expoſitionem Alchorani. Præterea Chriſtus ſecundum Euangelium fuit crucifixus, & mortuus, & reſurrexit vere, & aſcendit ad cęlos, & ſedet ad dexteram Dei: Alchoranus autem dicit, quod non fuit mortuus ſed Deus aſſumpſit eum, igitur tam ſecundum Euangelium, quam ſecundum Alchoranum,

num,& in omnem euentum Chriſtus viuit, Mahumetus autem omnino mortuus eſt, ſed melior eſt adiutor viuus, quam mortuus. Relinquo modo alias excellẽtias ſingulares, quas de Chriſto ponit Euãgelium: mirum eſt igitur quomodo Saraceni non ſequuntur potius Chriſtum, quam Mahumetum, & Euangelium, quam Alchoranum, maxime cum ſit valde credibile meliorem legem eſſe datam mundo per meliorem legislatorem, & melius conſeruatam à Deo veram, & incorruptam, ſicut ſuperius oſtenſum eſt in tertio capitulo, &c.

Sextumdecimum Capitulum in quo oſtenditur præeminentia Euangelij ad Alchoranum.

PRæeminentia vero Euangelij ad Alchoranum poteſt cognoſci faciliter ex his quæ ſuperius dicta ſunt de Alchorano. Oſtenſum eſt ſupra quod Alchoranus non eſt lex Dei: quia non atteſtatur ei lex vetus nec noua, & quia nec ſtillo nec ſententia concordat cum alijs, & quia contradicit ẽt ſibi ipſi, & quia nullum atteſtatur ei miraculum, & quia non eſt rationabilis, & quia continet falſitates apertas, & quia violenta, & quia inordinata, & quia mala, & quia incerta, hæc enim omnia per ipſum Alchoranum breuiter ſunt probata ſuperius, ſed in eodem Alchorano legẽtibus, melius oſtenduntur vt poſsẽ dicere cõformiter Euãgelio, ſi mihi non vultis credere in Alchorano legite. Horũ autem contraria de doctrina Euangelica manifeſte patent; nam & Mahumetus ſicut Chriſtum excellentiſſime comendauit ſuper omnes Prophetas, qui nunquam fuerunt, vel erunt; ita etiam magnifiauit doctrinam Euangelij ſuper omnes alias ſcripturas Dei; & ſcimus quod nunquam eſt tam validum, & robuſtum teſtimonium doctrinæ vel vitæ, quam cum ille laudabiliter loquitur, qui ingerere crimen conatur: Dicit enim ipſe Mahumetus in Alchorano in cap. Elmeyde. Limitauimus veſtigia hominum per Ieſum filium Mariæ veraciſſimum patenter, & dedimus ei Euangelium in quo eſt directio, & lux, & veritas manifeſta. In pluribus etiam locis in Alchorano excellenter Euangelium comendat, Ipſum tamen Euangelium in omni lingua, & in omni prouincia excellentiſſime ſe manifeſtat mundo, vt confiden-

Digitized by Google

ter de ipſo audeam dicere Saracenis. Si Mahumeto veſtro de Euangelio vultis vel non vultis credere, in Euangelio legite; & quia dicitur in Alchorano in capit. Elemphal. Vult Deus quod verificetur veritas per Verbum ſuum, & præcidatur gubernatio hereticorum, & veritas verificetur, & vanitas euaneſcat. Prouidit, & diſpenſauit Deus ne mundus ex ignorantia periret, vt lex illa, quæ generaliter omnibus, & ſola neceſſaria erat, ſcilicet lex gratiæ, & lex Euangelij, non vno loco ſed in diuerſis prouincijs, non vno ydiomate, ſed diuerſis, & generalibus linguis originaliter ſcriberetur, ſcilicet Hebraicæ, Grecæ, & Latinæ, & poſt hoc quod fideliter transferretur in omnes linguas, & in fine Euangelij mandauit Chriſtus diſcipulis, quod ipſum Euangelium per vniuerſum mundum efficaciter prædicarent, quod vtique (vt perficere præualerent) dedit eis donum linguarum, & virtutem miraculorum. Alchoranus autem dicit ſe eſſe datum a Deo ſolum Arabice, & Saraceni tenent certiſſime, quod nullus poteſt ipſum intelligere niſi ſciat linguam Arabicam; & conſtat quod non omnes ſciunt linguam Arabicam, nec dicere poſſunt, & in Alchorano ſcriptum eſt (vt ſuperius eſt oſtenſum) quod nullus poteſt ſaluari niſi in lege Saracenorum, & quare vellet Deus quod ſoli Arabes ſaluarentur? vel ſcientes linguam Arabicam. Lex autem Chriſtianorum, quæ ſcripta fuit in omnibus linguis dicit, quod Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Igitur Saraceni, qui ſolo nomine dicuntur ſaluati (vt ſuperius dictum eſt) & etiam omnes alij, qui realiter volunt ſaluari, ſciant Chriſtum eſſe ſaluatorem. Legant Euangelium in quacunque lingua volunt, & inuenient omnia contraria his quæ dicta ſunt ſuperius, & oſtenſa ſunt in Alchorano. Inuenient quod atteſtatur ei lex Moyſi, & Prophetæ, & nullam ad eos contrarietatem Euangelium habet, ſed complementum, & perfectionem omnium aliarum. Inuenient etiam in Euangelio ſtilum non rithmicum ſiue metricum, ſed ſimplicem, & communem, non quidem pro ſimplicitate ſcribentium, ſed pro vtilitate legentium, vt a quolibet Idiota, & ſimplici conuenienter poſſet intelligi. Modum etiam habet non blanditorium, nec inconſueta verba, vel turpia, ſed communia, & honeſtiſſima. Fabulam autem nullam omnino continet Euangelium, ſed ſententias veriſſimas, & proprijſſimas, & ſi interdum ſimilitudines proponat; ex ipſo textu manifeſte oſtenditur, quod loquitur per ſimilitudinem, concordat autem in ſententia non ſolum cum alijs ſcripturis ſacris (vt dictum eſt) ſed etiam cum Prophetis, qui de Deo, & uirtutibus, & de ultimo fine hominis demonſtratiue, & rationabili-

Digitized by Google

ter tractauerunt; Addit tamen quædam altiſſima, ad quæ ratio naturalis, & humana non poteſt pertingere, nihil tamen omnino dicit cui per demonſtrationem obuiare ualeat; quia cum demonſtratio contineat uerum nihil ei poteſt eſſe contrarium niſi falſum. Sanè contradictio in Euangelio nulla inuenitur, vt non ſolum vnum Euangeliũ conueniat ſibi ipſi, ſed ẽt oĩa quatuor Euãgelia in oĩbus eſſentialibus fidei ſimpliciter conueniunt, ſcilicet de Incarnatione, doctrina, & Paſſione, & Reſurrectione, & Aſcenſione Chriſti; cum tamen ipſa quatuor Euangelia in diuerſis prouincijs, & diuerſis linguis, & diuerſis ſcriptoribus originaliter ſint conſcripta, vt ſuperius dictum eſt; Quidam tamen ſimplices crediderunt quod in Euangelio eſſet contradictio pro eo, quia in vno Euangelio vnius Euangeliſtæ ſcriptum eſt aliquid, quod non continetur in alio. Sed iſtud non eſt contradictio, ſed Dei diſpenſatio; quia inſtigante Spiritu Sancto, quod vnus Euangeliſta tacuit, alius dixit, & quod vnus Euangeliſta ſcripſit nullus aliorum trium negauit, vel aliquid contrarium dixit, & inter omnes quatuor, non ſcripſerunt omnia dicta, & facta Chriſti, ſed quæ magis erant neceſſaria ad ſalutem; quomodo autem Doctrina Chriſtiana ſit perfecte miraculis confirmata ſuperius eſt aperte monſtratum in 7. capit. Vnde non oportet vlterius inſiſtere; non eſt autem doctrina nec lex in mundo, quæ ſit ita rationabilis, & ita perfecta ſicut Euangelica, quæ omnia vitia extirpauit in radice, prohibendo non ſolum inordinatum factum aut dictum exterius, ſed etiam inordinatum animi motum, vel affectum interiorem; vt concupiſcentiam, & iram inordinatam, ex quibus omnia mala exteriora ſequuntur. Plantauit etiam, & confirmauit omnia bona in mandato perfectiſſime charitatis, in dilectione perfecta Dei, & proximi, quæ eſt plenitudo legis; habita enim amicitia, & charitate perfecta, quę nouit communicare bona propria: iam non eſt neceſſariũ quærere iuſtitiam, quę inducit redere aliena. Continet etiam Euangelium illud naturaliſſimum, & conuenientiſſimum pręceptum, quęcunque vultis vt faciant vobis homines, hæc eadem facite illis, quo ſolo habito non eſt neceſſarium aliud præceptum reſpectu proximi? Euangelium etiam non ſolum continet veritatem, ſed ſic tenent doctores Chriſtianorum quod ſi in Euangelio vna ſola falſitas inueniretur, eadem ratione totum Euangelium merito haberetur ſuſpectum, ſicut ſuperius determinatum eſt in 9. capitulo Violentiam vero nullam permittit Euangeliũ quinimo dicit ipſam violentiam, & iniuriam eſſe patienter, & humiliter ſuſtinendam dicens. Si quis te percuſſerit in vnam maxillam

præbe

Digitized by Google

præbe ei, & alteram, quod ſi quis acceperit palium prohibere nolli, ſed da ei, & tunicam. Docet etiam pro illata iniuria, & odio; beneficium, & amorem reddere dicens. Diligite inimicos veſtros, orate pro perſequentibus, & callumniantibus vos, vel benefacite male facientibus vobis. Nec obſtat ſi hęc omnia quidam mali Chriſtiani nō ſeruant, nam perfecti ſeruant, & implent, neque enim malorum peruerſitas impedit ueritatem, & perfectionem ſanctiſſime legis. Ordinatiſſima eſt Euangelij doctrina, ſicut ſuperius eſt oſtenſum in nono capitulo ordine temporis, & loci, & ordine doctrinæ, & ordine materiæ. Incipit ab incarnatione Chriſti determinans quæ pertinent ad eius natiuitatem. Poſt natiuitatem, tempore congruo oſtendit Chriſti doctrinam, & ſapientiam. Poſt hæc potentiam, & miracula; & poſtea paſſionem, & mortem, & vltimo Reſurrectionem, & Aſcenſionem in cœlum, &c. Sane nullum malum poteſt inueniri in doctrina tantæ perfectionis licet inſtabiles, & indocti credant in ea quaſdam blaſphemias, ſicut de Incarnatione Chriſti, & paſſione, & miſterio trinitatis, de quibus (vt ſuperius dictum eſt) accidit, quod in Alchorano dicitur ſcilicet, quod reprobant quod non intelligunt. Certiſſimum uero eſt, quia certiſſime creditur, & ſcitur, quo tempore, quo loco, & a quibus hominibus ſcripta fuit Euaugelica doctrina, certiſſima etiam eſt quia modo conuenientiſſimo, & facilimo perfecte intelligitur, quia credenda proponuntur per reuelationem diuinam non inueſtiganda per rationem humanam, ut & ſimplices ad eam faciliter poſſint accedere, & intellectu alti nequeant ſuperbire, & licet in ſe ſit certiſſima non tamen ab omnibus intelligitur, quia non eſt omnium fides; ſed tantum ab humilibus, & mundis corde: ſuperbi vero, & carnales eam percipere non poſſunt, quorū intellectus ſe habet ad ipſam Euangelicam doctrinam, ſicut occulus noctuæ ad Lucem ſolis; Sacri vero doctores fidei Chriſtianæ non iam de nocte (vt noctue) volant: ſed irreuerberatis oculis radios ſolis velut acquile contemplantur in ſe. Alijs etiam neſcientibus, & rationem quærentibus conuenienter exponunt fidei veritatem, nec iam dicunt ſicut in Alchorano ſcriptum eſt in capitulo Ione, & in capitulo Elchaferri, quod debent Saraceni dicere alijs nationibus non credentibus, ſed contradicentibus Alchorano Mihi lex mea, & vobis lex veſtra, ſed ſunt parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, Hoc autem ad ſapientem pertinet ſcilicet aſſignare rationē ſui operis, alias quilibet fatuus poſſet legē condere, & concludere quicquid uellet, & nihil credatur aſſerentibus cōtrariū.

Capi-

Digitized by Google

Capitulum decimum ſeptimum in quo oſtenditur reſponſio Saracenorum.

AD hæc nituntur reſpondere Saraceni quidam curioſi,& pertinaces dicentes, non dicimus quod Euangelium non ſit à Deo,cũ Alchoranus hæc manifeſte teſtetur.Neq; quod non ſit perfectũ,cũ ſit a Deo, ſed tã ardua, & tã perfecta Euangelium continet, quod mundus ea non ſufficiebat perficere: Quis.n.poteſt, Deum ex toto corde diligere, & proſſimum ſicut ſe ipſum? quis poteſt orare pro perſequentibus,& callumniantibus,& ex corde benefacere male facientibus,& perfectiſſima aliqua facere, quæ Euangelium præcipit? & ideo quia non erat lex comuniter obſeruabilis, prouidit Deus mundo de lege ſaluationis, & temperauit præcepta, & dedit mundo Alchoranũ, qui non continet iſta difficilia, ſed eſt facilis ad ſeruandum; & ideo dicunt quod Alchoranus eſt magis comunis, & valde ſufficiens ad ſalutem mundi, & ideo vocant Alchoranum legem ſaluationis anthonomatice ideſt per excellentiam dicunt igitur, quod Alchoranus ſucedit quaſi loco Euangelij; & quod quicquid boni erat in Euangelio, totum eſt in Alchorano; ita quod non eſt opus Euangelio, ſed hoc continet falſitatem manifeſtam, non enim poteſt dici ꝙ Euangeliũ ſit datum ad tempus, puta vſque ad Alchoranum, & poſtea Alchoranus ſucceſſerit ei ad ſalutem; cum Alchoranus manifeſte teſtetur, quod in Euangelio eſt directio, & ſalus. Præterea non poteſt dici, quod poſtquam Deus dedit Euangelium aduerterit, quod mundus ipſum ſeruare non poterat, & correxit ſtillum, & temperauit pręcepta, vt Deus facta notanda putet ab euentu; ſciebat enim Deus a principio,& quid Euangelium contineret, & quid homines poſſent. Præterea ipſe Alchoranus dicit, quod Saraceni non ſunt, niſi compleant Euangelium, & legem Moyſi; & quomodo poſſet Euangelium dici perfectum ſi non erat proportionatum viribus hominum nec poterat comuniter obſeruari? Præterea,ſi Euangelium eſt perfectum,continet quæ ſunt neceſſaria, ad ſalutem, quid autem obeſt ſi poſtea quædam alta conſilia magnæ perfectionis contineat, quæ non dicit eſſe neceſſaria ad ſalutem? Præterea, quanto lex aliqua eſt magis larga, tanto eſt

minus

Digitized by Google

minus meritoria, ſi igitur Alchoranus eſt leuior quam Euangelium? non eſt tantæ efficatiæ ad ſalutem, non .n. Deus dediſſet legem minoris efficatiæ, & magis ſtrictam? ſed conſtat quod in Alchorano dicitur qđ per Alchoranum poſſunt ſaluari etiam demones, igitur eſt lex Alchorani maioris efficatiæ quam Euangelium, & magis ſtricta. Præterea ſi Alchorani eſt magis larga lex, & magis facilis; eſt magis periculoſum, & magis culpabile eam non obſeruare; ſed Saraceni eam non obſeruant, ergo periculoſius peccant, quod autem non compleant nec obſeruent patet, Bibunt vinum, & inebriantur. Comedunt illicita, non obſeruant ieiunium, nec orationem, nec expendunt iuxta facultatem, & alia multa, quæ melius nouit qui conuerſationem eorum probauit; ergo ſiue dicant eſſe facilem, ſiue difficilem: periculum non euadunt; ſed reuera Mahumetus uiſus eſt dare legem facilem, ſed non eſt permiſſus a Deo ſic temperare callamum, quin difficilia multa miſceret; continet enim difficultatem ad intelligendum, quia in ea dicitur, quod a ſolo Deo intelligitur. Hoc autem quantum ſit irrationabile patuit ſuperius in 8. capitulo. Continet enim difficultatem ad credendum. Dicit enim quod uirgo Maria peperit Ieſum, & quod Deus habet Verbum, & Spiritum ſanctum, quæ ſunt ardua etiam noſtre fidei, quæ tamen eſt confirmata miraculis. Continet etiam difficultatem in opere ad adimplendũ, vt de Circunciſione, & de vino non bibendo, & ebrietate vitanda, & de ieiunio, & oratione, & de expendendo ſecundum facultatem ſibi a Deo datam, & multa alia, quæ paucisſimi Saraceni ſeruant. Igitur ſicut fuit neceſſarium mundo, quod leuigarentur præcepta Euangelij, & daretur Alchoranus leuior; ita etiam eſſet neceſſarium, quod adhuc daretur alia lex leuior, quæ poſſet ab hominibus leuius obſeruari, & tam Euangelium, quam Alchoranus totaliter quaſſarentur; vel ſi pauci ſaluarentur eſſet culpa Dei, qui dedit talem legem, quam homines ſeruare non poſſunt, quod ſi hoc eſt inconueniẽs, ſtandum eſt in primo, ſcilicet, quod Euangelium ſit lex à Deo ſanctiſſima, pariter & obſeruabilis mundo, quod nobis concedat Ieſus Chriſtus. Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCORVM PRÆCIPVORVM SACRAE SCRIPTVRAE TAM VETERIS, QVAM NOVI TESTAMENTI.

QVIBVS CORRVPTIS INSCITE, ET PRAVE DETORTIS abutuntur huius tempeſtatis hæretici contra fidem Catholicam, & veritatem Euangelicam conquiſitio, & Catholica expoſitio: quę Chriſtianorum aduerſus omnes nunc vigentes hęreſes, PANOPLIA merito dici poteſt.

M. Renato Benedicto Andegauo, Doctore Theologo Pariſien. Authore.

PRAEFATIO AD LECTOREM CHRISTIANVM.

NON diſſimulabo (Chriſtiane) me à primis annis equidem ſatis diligenter, curioſeque non ſine ſumma animi mei oblectatione in hæreticorum ſcriptis, multis de cauſis verſatum eſſe. Videbam enim eos, quod me plurimum alliciebat, quicquid tentarent ſiue Latinè, ſiue Gallicè agerent, illud ipſum nitidè, terſe, diligenter, ſplendide, & omni denique ex arte præſtare, & perficere: in noſtris autem omnia, aut ferè omnia contraria non abſque animi ſummo mœrore cernebam. Mihi place-

 bant

bant maxime,quia Catholicorum, & maximè Eccleſiaſticorum abuſus (quos ſemper tanquam præſentium calamitatum occaſionem vehementer ſum deteſtatus) nullo pacto tolerandos vere notabant, & percellebant. Denique me alliciebant plurimum,detinebant conſtantius,& maxime ſibi deuinciebant, quia in veſtimentis ouium venientes, plurima pietatis,Dei gloriæ,& honoris, ſincerioris religionis Chriſtianę,& vitæ purioris,mortificandæ concupiſcentiæ ſpecie obtegebantur;atque purum Dei verbum,& ſcripturam ſacram,quæ cum ſummo Chriſtianiſmi totius detrimento nimium delituit, cuius lectionis per Dei gratiam ſemper amantiſſimus, & cupidiſſimus fui,ſupra modum efferebant,& commendabant,hominum traditiones,& doctrinas,cum interim ipſi nihil præter humana, & ſatanica commenta inuehant,deridendo,arguendo,& tanquam aliquid blaſphemum deteſtando,& prohibendo,atque ſe ſolos veritatis diu occultæ lumen habere, & ſapere, reliquos verò tam Epiſcopos, quam Doctores,bardos,ſtupidos,ſophiſtas,truncos inanes, hypocritas, & imperitos prorſus eſſe affirmando. Quum in ipſorum artificio plenis,ſed perniciosiſſimis libellis verſabar,probabilia ſanè apparebant, quæ ipſi dicebant,& quidem maximè,quia re ipſa ſenſibus patebant quos deteſtabantur,& arguebant abuſus: Verum mihi diſplicere cępit quòd relicta Eccleſia catholica,cuius ſemper Dei beneficio, ſumma fuit apud me authoritas, ſectas introdducebant:quod prætextu abuſuum tollendorum ſumma fidei,& religionis Chriſtianę capita, atque fundamenta vellicabant,quod pro carne contra ſpiritum militabant, matrimonium virginitati, liberum ciborum vſum eorundem diſcretioni, & ſaturitatem ieiunio præferendo: quod eorum miniſtri erant apoſtatæ,& carnales,& ignari ferè omnes: quod nouiſſimis temporibus (quæ Chriſtus præmonuit fore periculoſa & hæreſibus plena)talis doctrina exorta erat: quod in potiſſimis ſuis dogmatibus apertè erant contrarij: quod ſcripturas nimium ſuperbè & apertè ad ſuum ſenſum contorquebant; addendo, diminuendo,immutando, & ad ſuam mentem exponendo contra vniuerſitatem, antiquitatem, & confeſſionem: quod denique ſpeciem pietatis gerebant cuius virtutem re ipſa operibus abnegabant. Videbam enim cum nouæ,& ideo ſuſpectæ fidei profeſſionis (quæ vna tantum ſalutaris eſſe poteſt) progreſſione vitia augeſcere,& prius in audita exurgere, ita quod bonitatis arboris opinionem omnino fructus peſſimi tollerent, & fucum hypocriſimque pernicioſam detegerent. Tot namque ſeditiones,diſcordias,odia atque bella ſecum afferebant talia

Digitized by Google

lia fidei & religionis noua,& planè impia dogmata, vt pater & filius, vxor & maritus, frater & ſoror, principes denique & ſubditi, naturali atque iuſta concordia,& beneuolentia ſeſe iam nec excipere,nec agnoſcerent. Animalis ſanè terrena, & diabolica, etſi valde hypocritica,mihi videri cœpit noua illa doctrina, quia cum eius progreſſu cœpit exoriri, & increbreſcere rumor (horreſco ſolum cogitans) quòd iam nec frater ſorori, nec pater filiæ parceret, atque etiam quòd prætextu familiaris magis & vehemētioris Chriſtianæ charitatis impurus, & libidinoſus humanus ardor ſuo potiretur deſiderio, & fine. Anxius igitur dubiusque hærens, quia hic apertos abuſus cernebam, illic verò ſubtiliſſimum,& valde hypocriticum, Libertiniſmum,& Atheiſmum præſentiebam, vbique verò impuritatem atque corruptionem agnoſcendo ad ipſam ſcripturam ſacram totius pietatis, & veritatis ſalutarem fontem me contuli; quam non carptim,& fruſtatim accipiendo,nec meo ſenſu(hæreticorum more) ſed ex obedientis & ſuæ ſalutis cupidi Chriſtiani officio cum expoſitione(ſine qua difficillima, inutilis, imò etiam perniciosa eſt ſacrarum ſcripturarum lectio) Eccleſiæ catholicæ, & oratione frequenti legendo ſtatim Dei beneficio facile deprehendi, & impuros vita multos catholicos,& impios fide, & profeſſione ſectarios ſummo in periculo (& ſi hos quam illos in maiori) verſari; ut etiam eos omnes, qui purè fidem catholicam antiquitate, conſenſione, & vniuerſitate firmatam, & probatam profitentur ſumme fœlices eſſe,& magis fore ſi ita perſeuerarint certo cognoui. Hoc autem (Lector amicè) non inutile inuentum tibi hoc libello communicatum ex beneuolentia Chriſtiana voluimus. Illo igitur ad Dei gloriam & Satanæ ſectariorum capitis,& doctoris confuſionem nobiſcum fruitor: nec moueris ſi aliqui in hoc hęreticos confutandi nouo genere,ingenio ſubtiliori,arte maiori,induſtria locupletiori, ſcientia præſtantiori & calamo fœcundiori,aut quidam nimium in aliorum rationibus arguendis oculati quippiam deſiderent. Nam pulchritudine Veritatis ſufficienter oblectati, & contenti ſimpliciter, & inornatè loqui maluimus quam ſplendidius, & ornatius tentare dicere. Attende etiam non eſſe noſtri inſtituti conciliorum, aut doctorum antiquorum teſtimonijs citandis,antiquam religionem confirmare,aut nouam impietatem refellere,ſed tantum docere nouam fidei,& religionis(quã reformatam falsò, & malè appellant) profeſſionem,nullum prorſus in vniuerſa ſacra ſcriptura (de qua tantopere gloriari ſolet, & ſolam cum ſeſe velle proponere fraudolenter clamitat) fundamentum ha-

Digitized by Google

bere; vt videlicet hoc modo,& via ſtirpitus,& radicitus euulſa ab ipſis ſuis (quæ falſo firma eſſe putat) fundamentis ruat apertè, & niſi quis in luce ipſa caligare velit,nemo iam ſectariorum mendacijs pro ſcriptura obtruſis decipiatur. Quis enim ſanę mentis ijs credat, qui cum nihil præter ſcripturam ſacram eſſe recipiendum clamitent nullo ſcripturæ ſacræ loco vere nituntur? Qui autem hoc nouum hęreticos refellendi genus (quod qui prius ſit ſecutus neminem legi) iam a nobis in tertio ſtromatum biblicorum libro, qui in vſum Gallicũ cõuerſus eſt ab eruditiſſimo,& diſertiſſimo Nicolao Cheſneau Reteloys, inceptum, & hic omni ex parte locupletius factum diligenter conſiderare,& perfectius reddere,nam facile eſt inuentis addere,voluerit, non parum Chriſtianiſmum, audeo aſſerere, iuuerit. Ex eo etenim facilè deprehenditur, quam apertiſſimè mentiantur, mentiantur dico,hæretici de ſcriptura ſacra,ipſis palam contraria ſuperbè gloriantes quos hoc pacto manifeſtum fiet nullum in ſcripturis ſacris habere fundamentum,ſed tantum niti ignorantia impia, maligna,obſtinata, & ſuperba quæ ipſos excæcat, & agitat propter mores ipſorum deprauatos, & maximè propter delitias, & voluptates, gulæ & ventris cui ſeruiunt,& nullo pacto Chriſto. Libertiniſmum nanque profecto, & Atheiſmum quicquid prætexant magis Iudaicam,quàm Chriſtianam religionis formam obtrudentes) redolet ipſorum doctrina;& maximè confirmat vita. Hoc autem non omnibus patet: quia præ ſe ferunt ipſorum nonnulli plurimam pietatis ſpeciem. Verum adnotato, quod nouitij, & cathecumeni tantum ſunt, & non inter ipſos egregij,qui carnis mortificationi ſtudent, & incumbunt. Myſterio certè, ſuo (mihi crede) non caret aſtuta, & verſipellis ſecta; ſed non proficiet, quia manifeſta tandem fiet per Dei bonitatem ipſius perniciofa, & malitioſa hypocriſis. Siquis autem alios ſcripturæ locos præter hos indigarit (ſcio enim alios plures diligentioribus ſingulis occurrere poſſe, & ſi puto valdè paucos eſſe qui ad hos referri non poſſint eodemquè modo cum ipſis exponi, & ex hæreticorum manibus extorqueri facillimè) de illis, rogo, admoneat, candidè pium noſtrum propoſitum rei Chriſtianæ non inutile (dante Deo) futurum adiuuando. Inſtituimus ſiquidem docere, & defendere (Deo optimo maximo gratia ſua id donante) nihil eſſe prorſus in tota ſacra ſcriptura, quod antiquæ fidei, & religionis profeſſioni aduerſetur,ſicut etiam prophanas vocum nouitates ab ipſis propoſitas,ex ipſa nihil prorſus confirmationis habere, & extrahere poſſe. Quod ſi ita eſt (vt eſt ſanè), animaduerte vbi cohærere

hærere

Digitized by Google

hærere poterunt qui nihil recipiendum eſſe in profeſſione fidei, & re
religionis Chriſtiane affirmant; niſi illud ſcriptura ſacra exprima-
tur. Suo ergo inuento pereunt proprio iugulari gladio Abbadoni-
ſtæ, & Apolyoniſtæ, qui veram pietatis doctrinam, & praxim
in catholica Eccleſia excutientes veritatem quidem de-
ridere, calumniari, & blaſphemare valent mali-
tioſe, ſed non ex ſcriptura reprehendere. Ma-
neto ergo in profeſſione fidei, & religio-
nis antiquæ, quicunque ſaluari cu-
pis per Chriſtum, qui dixit no-
uiſſima tempora tam pe-
riculoſa fore, vt ſi
fieri poſſit per
vertantur
etiam
electi. Qui ergo vſque in finem perſeue-
rauerit, hic ſaluus erit. Notato au-
tem perſeuerantiam eſſe con-
ſtantiam in eo, quod iam
receptum, & vſu
probatum eſt,
non au-
tem
quod recens extor-
tum, & obtru-
ſum fue-
rit.

EX LIBRO GENESIS.

Geneſis primo ſcribitur ita.

V*Idit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quo loco abutuntur, qui ex ipſo colligunt nullum ciborum delectum eſſe debere, quia videlicet omnis creatura Dei bona eſt. Quum enim Eccleſia docet & pręcipit per Spiritum ſanctum ciborum delectum, non damnat creaturarũ naturam, de quã hic ſermo habetur, ſed proponit myſterium, & ad id quod ipſis valde eſt vtile homines promouere conatur.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Creſcite, & multiplicamini.* Quem locum ſiniſtrorſum rapiunt, qui ex illo volunt effici Dei eſſe præceptum de matrimonio omnibus planè hominibus, cuiuſcũque ſtatus, & conditionis contrahendo: ſic enim condemnarentur quot quot ab orbe condito cælibes vixerunt, nec fœtu ſuo terram compleuerunt. Hic ergo hominibus dat Deus poteſtatem procreandi ſibi ſimile, non autem cunctis matrimonium præcipit: Hoc docet apertè litera ipſa diligentius expenſa: nam prius, eadem prorſus dixit reptilibus, & volatilibus, in quibus non eſt matrimonium. Hic igitur agit de poteſtate multiplicationis generis humani, non autem de matrimonio, de quo agitur capite ſequenti.

Scribitur in hunc modum cap. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Quo loco abutuntur, qui ex ipſo concludunt eos non carere peccato, qui extra matrimonium viuunt. Nam eo loco agitur de neceſſitate fęminę propter conſeruandam & multiplicandam ſpeciem humanam, non autem de ſingulis, & omnibus hominibus matrimonio copulandis, id textus ſequens docet, ſcilicet, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Hic ergo non agitur de ſingulorum vocatione generis humani per propagationem conſeruatione, & auctione.

Scribitur ita eodem cap. *Relinquet homo patrem ſuum, & matrem ſuam, adhærebit vxori ſuæ.* Quo loco abutuntur, qui inde colligunt

matrimonium prorſus eſſet omnibus præceptum: eoſque contra Dei præceptum facere, qui virginitatem vouent, & quoquo pacto cę libes viuunt; eo ſiquidem loco non eſt matrimonij præceptum, ſed potius docetur qualiter ſe gerere debeant maſculus, & fœmina matrimonio copulati. Hoc docet quod ſequitur, ſcilicet. Et erunt duo in carne vna.

Scribitur in hunc modum 3. cap. *In ſudore vultis tui veſceris pane tuo.* Quem locum prauè detorquent qui ex ipſo effici volunt omnem prorſus hominem, cuiuſcunque ſit ſtatus, & conditionis, terram colere, & manibus proprijs victum ſibi comparare debere. Affirmāt enim oportere Reges, & reliquos Principes, fœminas cuiuſcūque cō ditionis, Eccleſiaſticos etiam omnes manibus laborare. Hoc autem non vult ſcripturæ locus, ſed potius docet terram, quæ ante peccatū ſua ſponte homini neceſſaria proferebat, pōſt peccatum, maledictā ita eſſe in pœnam præuaricationis Adami, vt ſine cultu & hominis labore iam non vt ante producat. Nolim tamen quouis in ſtatu, aut etiam ſexu perniciosſam aergiam comprobare, aut etiam vllo excuſare pacto: cum videlicet ſciam nihil eſſe ocio vbique peius. Percuperem igitur omnes prorſus homines, cuiuſcunque ſint ſtatus, & conditionis, & ſexus, laborare: ſed ſecundum ſuam vocationem; & tanto quidem magis, quanto vocatio præſtantior eſt. Eccleſiaſtici namque, & Principes minus debent eſſe otioſi, quàm agricolæ, & reliqui mechanici: verùm conuenientem ſibi laborem ſectari debēt, ſcilicet: Eccleſiaſtici docendo, & ſpiritualia quælibet miniſtrando; Principes autem iuſtitiam in republica ita conſeruando, vt nemini iniuria inferatur, iuſtè viuatur, & ſuum cuique reddatur. Hinc autem eſt omnium turbarum origo, & fundi Chriſtiani calamitas, quòd quāto aliqui ſunt vocatione maiores (natura enim omnes ſunt æquales) & quanto plus à republica percipiunt, tanto magis ocio torpeſcunt, & delicijs, luxuque delibuti, omnia ſecum perdunt, & confundunt.

Scribitur Geneſ. 6. & 8. *Quod cuncta cogitatio cordis humani intenta eſt ad malum omni tempore: quòd etiam ſenſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adolenſcentia ſua.* Quo loco abutentes nonnulli, indè colligunt hominem natura malum eſſe, & nihil niſi peccare poſſe. Quod quam ſit abſurdum, & in Deum hominis naturæ authorem blaſphemum, ijs quibus ſana mens eſt, iudicandum relinquo. Non vult igitur ſanctus Moyſes dicere hominis naturam eſſe malam, qui prius dixit 1. cap. Cuncta, quæ Deuş creauit, &

Digitized by Google

uit,& fecit eſſe valde bona: nec etiam hominem peccatum vitare non poſſe, qui prius 4. cap. retulerat Dominum ita dicentem Cain fratricidæ: Nonne ſi bene egeris, recipies: Sin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Docent igitur loci illi, & homines illius temporis nequiſſimos fuiſſe: (in quibus tamen Noe iuſtus inuentus eſt, & placuit Deo) & poſt peccatum primi parentis, maximam fuiſſe ad peccandū in omnibus pronitatem, ante ſcilicet iuſtificationem, & reparationem per Chriſtum, quod etiam docet Paulus Rom. 7. non autem ſermo ibi habetur de hominibus in Chriſto iuſtificatis, vt ſatis ignoranter affirmant nonnulli; De his enim loquens Paulus (in Epiſtola ad Romanos cap. 8.) ait quòd nihil habent damnationis, & quod in ipſis non dominabitur peccatum.

Scribitur huius libri cap. 9. his verbis. *Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum.* Quo loco abutuntur, qui ex ipſo colligunt omni die, omni cibo citra vllum delectum veſcendum eſſe: Deus enim animalibus veſci permiſit hominibus, non autem imperauit. Cæterùm, talis permiſſio non debet Dei, & eius Eccleſiæ iuſtam, & rationabilem eorundem prohibitionem impedire. Deus enim poſtea à certis cibis abſtinentiam præcepit, vt etiam nunc iuſtis de cauſis facit Eccleſia ab eo edocta, quæ non cibum, Dei creaturam damnat, ſed vtilem delectum præcipit.

Ibidem ſcribitur de Noe, vt etiam 10. de Lot, *quòd inebriatus eſt.* Quibus locis abutuntur Gaſtrimargi, qui inde colligunt ebrietatem non eſſe peccatum, repugnat ſiquidem illis ſæpius ſcriptura, quæ cōdemnat ebrietatem vt videre eſt in Paulo 1. Cor. 6. vbi dicitur, quòd ebrij regnum Dei non poſſidebunt.

Geneſ. 14. ſcribitur ad hunc modum; *At Melchiſedech Rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei, &c.* Quo loco palàm abutuntur, qui ex eo colligunt Melchiſedech Sacrificium non fuiſſe panem, & vinum. Quia videlicet ſcribitur *proferens, vel protulit*, Non autem *offerens, vel obtulit*. Primùm enim illi Rabbinorum expoſitionibus confutantur, qui dicunt Melchiſedech protuliſſe panem, & vinum, vt Deo illa ſacrificaret, atque ei gratias ageret propter conceſſam Abrahæ victoriam. Melchiſedech igitur, figuram ſecuti, & adimplentes Chriſtiani propter Eccleſiæ victoriam, gratias agunt Deo per ſacrificiū corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini contērorū. At hic lubēs eos rogarim quònam fuerit Melchiſedech ſacrificium, ſi nō obtulit

panem & vinum? Nam quia erat ſacerdos, oportebat eum habere aliquid quod offerret. Vellem etiam reſponderent, quare protulerit panem & vinum, niſi ad Sacrificium peragendum? Nam ſpolijs & rebus ad victum neceſſarijs plenus erat Abraham: qui etiam decimas dedit ipſi Melchiſedech. Ad hæc diligenter notandum; quòd manducabantur ſacrificia pacifica, vt per manducationem illorum participatio fieret; vt docet Apoſtolus. 1. Cor. 10. Et ita poteſt dici Melchiſedech protuliſſe Abrahæ ea in myſterio comedenda, quæ prius pro vocatione & officio obtulerat, & ſacrificauerat Deo altiſſimo, cuius erat ſacerdos. Oportet igitur Melchiſedech ſacrificaſſe panem, & vinum, cuius Sacrificium erat figura Sacrificij Chriſti, qui exiſtens Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech non obtulit panem & vinum (Sic enim nihil maius obtuliſſet quam Melchiſedech) ſed ſub ſpeciebus panis, & vini corpus, & ſanguinem ſuum, vt figuræ veritas reſponderet. Hoc autem fecit quando, cœna more Iudæorũ facta, Chriſtianorum communionem in ſuo corpore & ſanguine inſtituit, illud prius ſub ſpeciebus panis, & vini ſacrificando, quàm ad manducandum, & bibendum dederit. Quod etiam fecit vt figuram agni paſchalis impleret, qui prius immolabatur, deinde manducabatur, Myſterium igitur Euchariſticum, nouæ legis Sacrificium, Chriſtus primus inſtituit & celebrauit, legum naturæ & Moſaicæ figuras adimplendo, cum dicit; HOC FACITE IN MEI COMMEMORATIONEM. Is enim corpus ſuum conſecrauit, obtulit & communicauit, quæ eadem omnia faciunt quotidie ex ipſius mandato Euangelici Sacerdotes, in altari miniſtrantes.

Huius libri 15. cap. ſcribitur: *Quòd credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Quo loco peſſimè abutuntur, qui ex eo concludunt ſolam fidem eſſe ad ſalutem, & iuſtificationem neceſſariam, nec curanda eſſe bona opera. Docet enim Moyſes Abrahamum fidem habuiſſe, quæ ad iuſtitiam in primis eſt neceſſaria, vtpote quæ eſt omnis ædificij ſpiritualis fundamentum, & ſubſtantia rerum ſperandarum, vt docet Paulus Heb. 11. cap. non autem negat opera eſſe vtilia, aut etiam neceſſaria imò idipſum confirmat poſtea, ſcilicet. 22. cap. cum docet Deum præcepiſſe ipſi Abrahæ filij ſui vnici Iſaac immolationem. Id etiam docet beatus Iacobus. 2. cap. ſuę canonicæ, cum ait Abrahamum fuiſſe iuſtificatum per opera, & non per fidem tantum.

Geneſis. 19. cap. ſcribitur ad hunc modum; Dixit Lot: *Habeo duas filias, quę necdum cognouerũt virum: educam eas ad vos, & abutimini*

Digitized by Google

timini eis, ſicut vobis placuerit. Quo loco minus intellecto abutuntur, tàm qui inde colligunt ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum, quàm etiam omnia iuſtorum opera mala eſſe. Nam & ſi ſimplex fornicatio forſan tunc tam graue atque nunc,non erat peccatũ, non tamen ſequitur iuſtum Lot eam approbaſſe, qui minus malum eligens,& ſuam in hoſpitalitate fidelem charitatem confirmans,proprias filias mallebat violari, quàm tantum ſcelus in viris committi: vel etiam forſam tali filiarum conceſſione, Sodomitarum impetum reſtinguere intendebat. Quod autem ad iuſtorum opera ſpectat, minimè conſequitur ea omnia impura eſſe,ſi aliqua ſint eiuſmodi.Nam hoc admiſſo, quòd in eo facto peccarit Lot, non ſequitur inde, quòd in omni alio, vel etiam omnes reliqui. Sed turbarum, & non veritatis amici hæretici,non norunt modum tenere; quin potius ſemper ad dexteram,aut ad ſiniſtram declinare conſueuerunt.

Geneſ. 39. cap. ſcribitur hoc pacto. *Fuit dominus cum Ioſeph, & miſertus eſt illius.* Quo loco minus intellecto abutuntur bonorum operum oſores; ex eo malè colligentes bona Chriſtianorum, & Dei electorum opera, nihil mereri apud Deum, nec ipſum eadem reſpicere, vt propter illa nobis aliquid boni largiatur. Nam & ſi domini Dei miſericordia eſt ſuper omnia opera eius, & quicquid facit cum electis ſemper cum miſericordia,& gratia facit;non ramen ſequitur, quin ex iuſtitia remuneret omne opus bonum, vt etiam punit omne malum.Fuiſſe ergo cum Ioſeph, & eiuſdem eſſe miſertus dicitur dominus quia Ioſeph iuſtus erat, atque Deum timebat, quod quia non eo pacto faciebant reliqui captiui, idcirco non ita illis affuit, nec ita eos extulit dominus Deus, cuius miſericordia facit locum vnicuique ſecundum operum meritum,vt ſcribitur Sapientia. 16. Dei igitur miſericordia non tollit, ſed efficit, & remunerat hominum piorum merita.

Geneſ. 48. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Inuocetur ſuper pueros iſtos nomen meum,nomina quoque patrum meorum, Abraham, & Iſaac,&c.* Quem ſanè locum minimè intelligunt, ſed aperte corrumpunt & deprauant, qui ita illum exponunt, quaſi vellet Patriarcha nomen tàm ſuum,quàm Abraham,& Iſaac ſolum proferri & nominari in filijs;non autem per illorum merita,& fauorem fideles poſteros ad Deum,vt ab eo facilius exaudirentur,accedere debere. Obſecro enim attendant omnes pij & docti, quid hoc eſſet dicere? Quorſum namque conſuleret & iuberet vir ſanctus, maiorum ſanctorũ virorum, & patriarcharum nomina ſuper poſteris inuocari, niſi vt

Deus,

Deus;qui cum ipſis fœdus inijt (vt in lege Euãgelica cum Apoſtolis) illorum obeditionis, & fidei memor, propter illos poſteris benefaciat: vel gratiam & virtutes augendo, aut delicta & peccata condonando? Quum autem nihilominus idipſum cum ſcriptura ſacra docemus & affirmamus in Eccleſia catholica, non veretur vir bonus, & doctus, ſcilicet, Caluinus lib. 3. cap. 20. ſect. 25. nos truncos ligneos,ſtupidos,etiamnum,& bardos vocitare. Sed quid faceremus quum ita aſſueuerit homo ad miraculum vſque audax, atque impudens,qui quæ planè ignorat religionis Chriſtianæ myſteria,infeliciſſimè blaſphemare nunquam ceſſat? Sed ad literam. Quare(dicant velim Eccleſiæ triumphantis & militantis ſectores) vult Patriarcha inuocari ſuum,& Patriarcharum nomina? An vt Deus illorum meminerit? At nihil obliuiſci ſolet: an vt ipſis benefaciat? Sunt beati: an vt poſteri gentilitio more ab illis denominentur? Hoc aliter factum eſt: Nam non Abrahamitæ, Aut Iſaacitæ, aut etiam Iacobitæ dicti ſunt illorum poſteri fideles Iudæi.Non ergo ſanè:niſi vt Deus poſteris ipſis benefaciat,fauore quo excepit ſemper bonos, & fideles illos Patriarchas. Hoc autem hinc dilucidum euadit,quod hic de benedictione,id eſt,auctione,multiplicatione,& qualibet proſperitate agitur. Inuocare igitur ſanctos Dei fideles,huius lucis uſura priuatos, non quidem mortuos,ſed verè cum Deo viuentes,ſanctum,vtile,piũ ac religioſum in primis cenſeri debet. Nam hic præſens textus docet ſanctum Patriarcham inuocaſſe proprium Angelum,vt filijs Ioſeph benediceret. Verba enim ipſius ſunt eiuſmodi; Angelus qui me eruit de cunctis malis benedicat pueris iſtis. Cedo,an non dirigit ſermonem,& orationem ad angelum? Rogo præterea,ſi non eſt eadem ratio Angelorum, & beatorum hominum ſpirituum in cœlis degentium? Quum igitur Deus ſanctiſſimus ſanctos ſibi fideles eo fauoris gradu receperit,vt propter ipſos cum hic viuentes,tum in cœlis beatos, infirmis, & peccato obſtrictis mortalibus parcere, & benefacere velis; qui ipſius ordinationi (niſi Theomachos) obſiſtere volet? Sic legimus Moyſen inuocatione Abrahæ, Iſaac, & Iacob veniam impetraſſe ſceleroſo populo. Exod. 32. Quare ergo dubitabimus illos nobis piè affectos,& eiuſdem corporis Chriſti nobiſcum membra inuocare? Sic enim conſeruatur charitas Chriſtiana, per quam eſt quædam communio, & participatio bonorum omnium. Sic diſponimur ad Dei gratiam eorum meritis, & præcibus recipiendam. Vident,& ſciunt noſtrum ſtatum,qui Dei maieſtatem facie ad faciem ſpeculantur, & intuentur. Hic namque mundus inferior, cœli eſt veluti

thea-

Digitized by Google

theatrum. Quum igitur teneamus fœdus religionis, quod cum ipſis Deus inijt, per ipſos verè ſanctos ad illum accedamus, qui peccatores ſumus: vt ſic noſtræ infirmitates eorundem præcibus, & meritis excuſentur, per Chriſtum Ieſum vnicum omnium fidelium mediatorem, & redemptorem, tam ipſorum, quam noſtrum caput. Quicunque aliter ſapit, Chriſtianus verè dici non poteſt, Attende autem cum Apoſtolis nouum fœdus, & pactum à Deo Chriſto initum eſſe, tam pro ipſis, quam pro nobis illorum poſteris. Quare Moyſen, & ſanctos Patriarchas interponẽtem ſequuti, per ipſos ad Deum Chriſtum ſceleribus obſtricti, adeamus veniam: ab ipſo eorundem meritis, & præcibus conſequuturi.

EX EXODO.

EXOD. 9. ita ſcribitur de Pharaone. *Idcirco poſui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam. & narretur nomen meum in omni terra.* Quo loco abutuntur aperte, qui ex illo colligunt nullam ineſſe hominibus actionum libertatẽ, ſed Deum authorem, & cauſam eſſe mali non minus, quàm boni. Deus enim, qui omnium bonorum author eſt, mala non agit: ſed tantum permittit, hominem liberè agere ſinendo, quia autem Deus tam bonus eſt, quod ex malo elicit bonum; ideo ad ſui nominis gloriam excitauit Pharaonem. Quod autem non Deus, ſed homo ſolus ſit peccati ſui cauſa, teſtatur quod ſubiungitur in fine capitis his verbis: auxit peccatum ſuum Pharao, & ingrauatum eſt cor eius. Si etiam Deus, malum, ſeu peccatum eius operatus eſſet, non eum toties per Moyſen monuiſſet. Cedo etiam, quo pacto Deus iuſtè poſſet punire peccatum cuius ipſe author eſſet? ad Actum igitur ſolum, & non ad ipſius deformitatem concurrit ſanctus Deus.

Exodi. 10. cap. ita ſcribitur. *Ego indurani cor Pharaonis, &c.* Quo loco planè abutuntur illi, qui inde colligunt hominem in agendo libertate ſpoliari, & neceſſitate ad malè agendum impelli a Deo; Sequens namque litera eos confutat quæ ita habet. Hæc dicit dominus Deus Hebræorum. Vſquequo nõ vis ſubijci mihi? Dimitte populum meum, vt mihi ſacrificet. Sin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum, ego induraui, &c. Indurare autem dicitur Deus quando

do gratia ſua indignos, malo obſtinare inhærere permittit. Sic intelligas omnes locos huic ſimiles, quibus videtur doceri, quòd Deus ad malum impellat, & quadam neceſſitate ad illud adigat.

Exod. 20. ita ſcribitur: *Ego ſum dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum. Non adorabis ea, neque coles.* Quem ſanè locum nimis ignoranter, ne dicam impudenter, detorquent, & deprauant, qui ex eo colligunt omnem prorſus Imaginarum erectionem, & earundem cultum à Deo condemnari. Quod enim hoc ſit ita, dilucidum fit ex eo, quod dominus Deus poſtea iuſſit varias Imagines erigi, puta Cherubim, ſerpentis, &c. Hoc igitur loco, & ſimilibus plurimis, damnat, & prohibet Dominus idola, & Idolorum cultum, non autem vllo modo Dei, & ſanctorum eius Imagines, earumque venerationem iuſtam, & moderatam, vt præſcribit Eccleſia Chriſti. Quòd autem deorum falſorum cultum deteſtandum intelligat, indicant propria eius verba, quæ ſunt eiuſmodi, Non habebis Deos alienos coram me, & in fine capitis: Non facietis vobis Deos argēteos, nec Deos aureos facietis vobis; Nulla eſt autem: nec minima quidem, in Eccleſia catholica idolatriæ nota; cùm Imagines Dei, & ſanctorum proponit colendas. Nam in ipſis, eæ res, quarum ſunt Imagines, repræſentantur, & coluntur cultu, veneratione, & adoratione ipſis conuenienti. Nō ſeparant autem Chriſtiani Imagines, quum ipſas venerātur, à rebus ipſis quas repræſentant. Peroptarem autem rude vulgus pleniùs edoceri per paſtores idoneos, quis ſit verus, & purus Imaginum ex Eccleſiæ intentione, & doctrina vſus. Timeo enim hic atactos pleraque fieri.

Exod. 23. ita ſcribitur; *Non erit in te infæcunda, nec ſterilis.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nemini licere virginitatem perpetuam vouere: quia videlicet omnibus præcipitur matrimoniū, & per illud, generis humani multiplicatio. Nam hoc loco vt etiam Deu. 7. & 25. non præcipitur matrimonium, ſed promittitur fœlicitas abundantiæ, & multiplicationis. Expende textus, & videbis quàm praue & ineptè eos adaptent, & detorqueant hæretici.

Exod. 32. ita ſcriptum eſt: *Videns autem populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant, &c.* Quem locum minus intellectum prauè detorquent nonnulli aduerſus vniuerſitates, & in eis bonas diſciplinas, tum profitentes, tum addiſcentes; affirmando.

Digitized by Google

mando nullum prorſus beneficio donatum à reſidentia excuſari, quia ibi ſtudeat,aut doceat. Horum enim imperitia apertè conuincitur,tam ex Conciliorum,quam ex ſummorum pontificum decretis: quibus docemur Magiſtros ſeu doctores Theologiæ, tam diu a reſidentia propriorum beneficiorum excuſari,& eorundem fructibus & prouentibus iuſte gaudere, quandiu docent in vniuerſitatibus famoſis, ſtudentes autem per omne tempus ad curſum perficiendum ſtatutum. Hoc autem habita etiam ratione præſentis temporis, iuſtiſſimum, & vtiliſſimum Chriſtianiſmo iudicabunt omnes qui ſano ſunt iudicio. Quæro enim ſi non peccaret grauiſſime doctor theologus, omnium rerum, tam diuinarum, quam humanarum cognitione inſigniter, & eminenter præditus, (tales enim debent eſſe quicunque in numerum,& ordinem doctorum theologiæ aſciſcuntur) ſi ſe, & talentum Domini ſibi creditum abſconderet, in pago, cum plebecula ruſtica ſolidioris doctrinę incapaci, ſemper commorãdo? lac ſane popello vtilius infundet, & inſtillabit mediocriter eruditus ſubpaſtor, & vita,& moribus probatus; at paſtor eſt illius loci, & gregis, a quo victum, & veſtitum recipit doctor ille regens. Fateor quidem: ſed etiam doctor eſt. Quatenus paſtor illius loci, gregi debet paſtum ſpiritualem, à quo recipit corporalem. At quia doctor eſt, & adeò eminentiori doctrina donatus, vniuerſæ Eccleſiæ debitor eſt, quam melius, & commodius adiuuare non poteſt,quàm publicè in vniuerſitatibus famoſis ad quas vndequaque confluunt erudiendi Chriſtiani, ſacras literas profitendo. Sic enim, & ſuos greges, & alios infinitos Chriſtianos, quibus etiam ex vocatione debitor eſt, (nam doctores theologiæ eò vocantur vt doceant omnes gentes, habentes poteſtatem per vniuerſum orbem prædicandi ſcripturas ſacras exponendi & legendi) inſtruit. adde quòd ſæpius plus prodeſt Eccleſiæ in vno ſolo eminenter erudiendo, qui poſtea infinitos edocebit,quàm ſi per totam vitam cum plebe ſua(cui ita prouidere tamen debet per alium, vt nihil ipſi,quo ad Chriſtianiſmum ſpectat, deſit) degiſſet. Hic autem duo ſumma abſurda præterire nequeo; prius eſt, quòd iam in Eccleſijs cathedralibus,in collegiatis, in monaſterijs, & conuentibus, non vigent excercitia bonarum diſciplinarum, vt in initio factum eſſe certum eſt. Hoc enim ſi eſſet facile ad omnes Parikias, dimanaret doctrinæ Chriſtianę neceſſaria cognitio. Poſterius verò ex quo prius exortũ eſt, in hoc eſt: quòd beneficia, quæ hominibus vita, ſcientia & moribus probatis omni iure tribui debent, inutilibus truncis, & rapaciſſimis lupis obijciuntur.

Sic

Sic enim, contrarius, perſonis de beneficijs, & non de perſonis beneficijs hodie videmus paſſim prouideri. Quòd ſanè malum niſi citò tollatur, omnia, timeo, turbata ſemper, & confuſa habebimus, ſentientque (ſed forſan nimis ſerò) principes quam grauiter Deus iuſtus ferat tantam iniuſtitiam, per quam omnia penè in Eccleſia euerſa, & perdita videmus. Malum etiam omninò eſt intolerabile, ex quo ſummum chriſtianiſmi detrimentum pendet, quia videlicet etiam ipſi doctores, qui regentes vulgò dicuntur, non ſatis probè ſuo funguntur officio: continuè in vniuerſitatibus, quarum honoribus, & emolumentis gaudent, vt tenentur, legendo. Videtur nanque per illorum ſocordiam, & miſerrimam aergiam exſiccatus eſſe vberrimus theologiæ fons; ridetur & contemnitur per illos theologiæ, per quos florere, & ſummo in pretio eſſe deberet; Canes facti ſunt muti, & greges inuaſerunt lupi. Tacent & dormiunt doctores theologi, qui dicuntur regentes, non legendo; & ideo inſoleſcunt, & fidem in multis euertunt hæretici. Qua conſcientia quæſo (nobiſipſis ſapiamus) regentiæ ſtipendia accipiunt doctores theologi, qui non docent? Qua fronte non officioſos paſtores redarguent, qui proprio officio tam apertè deſunt? Turpe eſt enim ſane doctori cum culpa redarguit ipſum. Sed nolo de eis plura. Non eſt ſiquidem mei instituti τὰ ἀκίνητα κινεῖν. Percuperem autem nos omnes es officio agere, vt Eccleſia Chriſti ædificationem acciperet. Verũ quis æquo animo feret quòd hæreticis palàm religionem Chriſtianam noſtro tempore oppugnãtibus; Philoſophi, Heremitę & omnis generis Monachi, Poetæ, imò etiam milites & quarumlibet aliarum vocationum aliqui, in pernicioſe tacentium doctorum theologorum meſſem, ridicule, & cum ſummo Chriſtianiſmi detrimento, ſaltem non omnino ſufficienter de religione ſcribendo, miſerunt? Miror autem vnde profectum eſt, quòd ſingularum facultatum profeſſoribus regia noſtro tempore ſunt propoſita ſtipendia, ſolis relictis theologis, idque in excellentiſſima, & nominatiſſima Pariſienſi vniuerſitate? honos ſanè alit artes, omninoque fieri non poteſt vt qui eget, liberè, & par eſt philoſophetur. Indignum autem cogitatu & relatu turpiſſimum eſt, quòd ex bonis Eccleſiæ, ijs, qui laborant in verbo, & doctrina ſecundum apoſtoli doctrinam deſtinatis, nihil aut monon auchi verbi Dei profeſſoribus, & theologis tribuitur. Qui nanque plus pro Eccleſia laborant, minus de eius facultatibus percipiunt, aſinis omnia depaſcentibus iuxta boues arantes. Verum, vt ad propoſitum redeat oratio non reprehenduntur hoc loco, qui maioris totius Eccle-

ſiæ

ſiæ boni cauſa, à gregibus abſunt Doctores Theologi in vniuerſitatibus verè regentes. Illi enim non peccant; ſicut nec Moyſes quando abſuit à populo accepturus legem iu monte à Deo, & ſi populus ex ipſius abſentia peccandi occaſionem malè accepit. Vt enim Moyſes abſuit propter maius bonum, ex Dei vocatione, ſic doctores theologi ſuæ vocationis ſtrenuè obeuntes munus, in famoſis vniuerſitatibus à ſuis gregibus abſunt.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Quo loco abutuntur, qui propter ipſum omni prorſus ludo Chriſtianis interdicunt. Illic nanque ludus immoderatus, & inhoneſtus condemnatur, non autem ſimpliciter omnis ludus. Verum Chriſtianis nihil concedunt hæretici, qui interim nihil non ſibiipſis indulgent; & hoc non miremur. Seipſos enim amantes, præ ſe ferunt quidem pietatis ſpeciem, cuius virtutem abnegant; hæreticorum more, & priuilegio.

EX LIBRO NVMERORVM.

NVMERORVM 23. ita ſcribitur; *Dixit Dominus & non faciet? locutus eſt, & non adimplebit? Ad benedicendum adductus ſum (inquit Balaam) benedictionem prohibere non valeo. Et* 24. ita dicit idem *non potero præterire ſermonem Dei mei, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: ſed quicquid dixerit Dominus hoc loquar.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt omnia neceſſario fieri, & non eſſe vllam rerum contingentiam, aut actionum libertatem. Facto enim Balaam docemur Deum eſſe fidelem in promiſſis, & certum ſuorum electorum protectorem, propter quos inſpirat & mittit Prophetas, eoſdemq; ita dirigit, vt aliquando non poſſint aliter loqui, quam Dominus ordinarit. Quo forſam ſenſu & illud Dauidis intelligi poteſt, cum ait ita, Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Specialia igitur, & quædam miraculoſa Dei facta, non tollunt generalem, & ordinariam eius circa creaturas adminiſtrationem, & diſpenſationem; Hoc etiamnum docet ipſius Balaam diſcedentis, datum Balac conſilium.

Digitized by Google

EX LIBRO DEVTERONOMII.

SCRIBITVR in hunc modum Deuteronomij, 4. cap. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*. & eiuſdem libri 12. ſic dicitur: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Quibus ſanè locis perperam abutuntur, qui ex illis colligunt gloſſemata, & expoſitiones quorumlibet doctorum, vota, traditiones, ceremonias, & reliqua quæ in Eccleſia præter ſcripturam ſacram celebrantur, reijci debere. Loci enim illi non auferunt prælatis poteſtatem aliquid præcipiendi electis Dei, quod non exprimitur ſcripturis ſacris, modò ipſis non repugnet: ſed volunt oportere populum non ambulare in ſuis adinuentionibus, nec ſenſum ſuum ſequi, ſed pendere ex ordinatione diuina, quæ per prȩlatos Eccleſiæ hominibus innoteſcit. Hunc eſſe germanum horum locorum ſenſum intelligent quibus conſiderare placuerit, quòd poſtquàm hæc a Moyſe ſunt ſcripta, multæ aliæ ſcripturæ ſunt adiectæ, cuiuſmodi ſunt prophetarũ ſcripta: vt etiam alia multa non ſcripta, per Eccleſiæ miniſtros Deũ præcepiſſe ſatis compertum eſt. Adde etiam, quòd Moyſes verbis, ceremonijs, & varijs traditionibus religionem in populo Dei conſtituit, non autem ſcriptura ſacra, quæ ipſum præceſſerit: ait enim ita, Quod prȩcipio tibi, hoc tantum facito Domino. Hic ergo locus illos aperte percellit, & confundit, qui à communi, & publicè vſitata per legitimos paſtores tradita fide, & religione deſciſcentes, nouã quam ipſimet inuenerunt, aut elegerunt, ſectantur fidei, & religionis profeſſionem, ambulando in ſuis adinuẽtionibus. Clarus eſt ad hoc docẽdum ipſe textus ad populum, (non autem ad paſtores, per quos Deus quando libet noua quædam gregi ſuo prȩcipit, & tradit) qui Prælatorum ſuorum vocẽ audire tenetur, ita directus. Non addetis ad verbũ quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas. Si obijcis quòd paſtores noſtri ſunt vitioſi, interrogo ſi omnes? hoc etiã dato; rogo; ſi habemus fidem, & religionem ab hominibus vitioſis, & non magis à Deo ſanctiſſimo religionis authore? An poteſt hominum in-

firmitas, Dei potentiam, & eorundem impuritas, Dei ſanctitatem polluere,& inquinare? Cædo præterea: Si Moyſes legislator,cui qui non obedierunt perierunt,non eſt prohibitus ab ingreſſu terræ Chanàan, propter proprium peccatum? An non Dauid, cuius pſalmos miramur,& merito amplexamur non fuit turpiſſimis vitijs iniquinatus? An non Salomon?an non Apoſtolus Paulus?an non Matthæus? Illorum autem ſcripta retinemus, & traditam à Deo (cuius veritas, hominum mendacio corrumpi,& peccatis ſanctitas coinquinari,nō poteſt)per ipſos religionem probamus,& amplexamur. Conſidera etiam viros ſanctos qui noſtram religionem profeſſi ſunt. Populus igitur pendeat ex ſuperiorum præſcriptionibus, nec ambulet in ſuis adinuentionibus, proprias ſectando in religione,& eius profeſſione opiniones, quod tamen faciunt manifeſtiſſimè hæretici ſeditioſi, & ſuperbi. Veri autem miniſtri Eccleſiæ, ea electis Dei præſcribant ex Verbo Dei, quæ Spiritus ſanctus ipſis vtilia reuelarit. Non enim ſe,& ſua ſenſa, ſed Dei in Eccleſia reuelationem, & ordinationem prædicare,& proponere debent.

Ibidem ita ſcribitur. *Cuſtodite igitur ſolicitè animas veſtras,(non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis:) ne fortè decepti, faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ, &c.* Quo loco abutuntur,qui ex illo colligunt non tantum ipſa ſcriptura ſacra prohiberi idola,vt vulgò dicuntur: ſed etiam imagines. Verum non attendunt, aut ſe ſcire diſſimulant,qui ita colligunt,in doctrina Chriſtiana non mordicus ſemper more Grammaticorum,proprietati dictionum inhærendum eſſe: ſed potius videndam eſſe acceptionem illarū vſitatam apud eos, qui diuina nobis tradiderunt dogmata. Fatendum .n. nobis eſt, quòd ſi ad viuum proprietas grammatica vocabuli huius (imago) reſecetur,idem ſignificabit quòd idolum. Verùm ſi vſitatā vtriuſque dictionis apud theologos, & Chriſtianos acceptionem conſideremus (vt facere eos oportet,qui in religione decipi nolunt) vt imago approbatur,ita idolum ſemper reijcitur & condemnatur. Illud enim vocabulum, eam rem ſignificat, quæ aliquid religioſe nobis repreſentant:hoc verò, id quod falſo Deus cenſetur, & vt talis ſummè colitur,& adoratur. At notabis interim quòd hoc loco vt etiam 4.Reg. 11.cap.imago pro idolo vulgo accepto vocabulo apud Chriſtianos ſumitur,ſ. pro falſo Deo,vel pro repræſentatione falſi Dei. Hoc docet ſequens litera,quæ ita habet. Ne fortè oculis eleuatis ad cęlum,videas ſolem & lunam,& omnia aſtra cœli,& errore

dece-

Digitized by Google

deceptus,adores ea,& colas ea,quæ creauit dominus Deus tuus,&c. Hæc profecto ſi probè noſſent,& diligenter,vt par eſt eos facere,conſiderarent grammatici tantum, & corticarij quidam huius tempeſtatis theologi,aliquantula ſolum cognitione linguarum plus æquo elati,non tam facilè,ne dicam ignoranter,aut impudenter,exploderent,& ſuggillarent longè ipſis præſtantiores,omni ſcientiarum genere probatiſſimos,antiquos illos ſacrorum Bibliorum Interpretes & expoſitores; ſed potius vtiliter, & ſibi ſalutifere grammaticæ proprietatis,& linguarum cognitionis ſupercilium, catholicæ, & ſpirituali expoſitioni ſubmitterent. Meminerint enim,rogatos ipſos velim dixiſſe, beatum Paulum quòd litera occidit: ſpiritus autem ſolus viuificat. Verum qui altum ſapiunt, ſemper humilem & ſimplicem Eccleſiam Dei rident,& contemnunt,ſed eam vindicabit Dominus, qui abſcondit ſua Diuina myſteria à ſapientibus huius mundi: perdet enim ſapientiam ſapientum,& prudentiã prudentiũ reprobabit.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Vide ne errore deceptus colas, & adores ea, quæ creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus,quæ ſub cælo ſunt.* Quo loco non minus impiè quàm ignoranter abutuntur,qui ex eo colligunt eos peccare, & creaturarum rectum vſum peruertere,qui eas cultui Diuino applicant,vt puta quando aqua,ſale, & ſimilibus creaturis, vtitur Eccleſia in profeſſione fidei,& religionis Chriſtianæ. Nam primum dilucidum fit ex hac ipſa litera,hic prohiberi creaturarum adorationem idololatricam,nec verbum vllum fieri de earum vſu in cultu Dei,& religione fidei profitenda,quem toties ſcriptura ſacra & approbat,& recipit. Si enim non eſt vtendum creaturis in cultu Dei,peccauit Chriſtus qui baptiſmum in aqua,& ſacramentum corporis & ſanguinis ſui in pane, & vino inſtituit: peccarunt omnes ſancti patriarchę, & prophetę, qui creaturas Deo religionis ergò obtulerunt; ſibiipſi etiam contrarius fuit Dominus Deus, qui tot creaturarum vſum in ſua religionis profeſſione prępecit, & determinauit. Naturalis igitur creaturarum vſus haud quaquam impedit quo minus ad Dei gloriam (propter quam maxime ſunt creatæ) ipſis in religionis profeſſione corporati homines vtantur, etſi non ipſis hęrendum eſt, ſed per eas ad Deum creatorem,iuſtificatorem, & glorificatorem perueniendum eſt animo & cogitatione.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Quia Deus dilexit patres tuos, & elegit ſemen eorum poſt eos, &c.* Quo loco imperitè abutuntur, qui inde colligunt homines nihil prorſus mereri apud Deum, nec

ab ipſo vllo pacto compenſari. Nam manifeſtum eſt hic ſermonem inſtitutum eſſe de electione Diuina, quam ſicut & primam gratiam, affirmamus non cadere ſub merito: non autem de operibus quæ ex charitate faciunt homines gratia donati, quæ Deo eſſe grata, & ab eodem commedari, & compēſari indicat præſens litera, quæ eſt eiuſmodi. Cuſtodi præcepta atque mandata quæ ego præcipio tibi vt bene ſit tibi, & filijs tuis poſt te, & permaneas multo tempore ſuper terram. Diſtinguendum eſt igitur de operibus gratiam præcedentibus, & de operibus gratiam ſequentibus, quæ Deo ſunt grata, & compenſantur iuſtè etiam vita æterna, ſuppoſitis dei optimi gratia, & pacto quod eſt in Chriſto, cui non communicant: nec per eius meritum ſaluari poſſunt, qui bene operari & carnem mortificare propriam crucem ferendo recuſant. Requiritur enim neceſſario ad ſalutem conformitas cum Chriſto patiente, vt adimpleamus ea quæ deſunt paſſionum eius in corpore noſtro. Nequaquam igitur per Chriſtum, & Dei gratiam ſaluari poſſunt tot noſtri ſeculi libertini carnales, qui de gratia Dei, & Chriſti redemptoris merito præſumētes, carnaliter viuunt; negligendo bona opera quæ ſunt omnino ad ſalutem neceſſaria, id docente Apoſtolo cum ait, quod omni operanti bonum eſt gloria, operanti autem malum ira, & indignatio. Rom. 2.

Ibidem ſcribitur ad hunc modū. *Cuſtodite ſolicitè animas veſtras ne faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel fœminæ.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt non minus imagines, quàm idola prohiberi, aut etiam idem prorſus eſſe, & ſignificare Imaginem cum idolo: atque ita, vnam eandemque eſſe vtriuſque prohibitionem. Nam, & ſi vocabuli grammatico rigore forſan idem ſignificatur, vtraque dictione tamen ex vſu loquendi Chriſtianorum, aliud longè eſt idolum quàm imago. Nam idolum eſt quod quum non ſit Deus, putatur eſſe Deus, & in tali perſuaſione adoratur: dicente Apoſtolo, quòd quę gentes immolant idolis, immolant dæmonijs, & non Deo, adde quòd ſua idola paſſim vocabant Deos. Imago autem, eſt repræſentatio rei abſentis, & ſubſiſtentis. Idololatræ igitur non putabant ſua idola eſſe repræſentationes, ſed Deos, vt patet Daniel 13. de Bel idolo, cui victum quotidie præbebant. idipſum docet Apoſtolus Galat. 4. His verbis, Ignorantes Deum, ijs qui non ſunt natura ſeruiebatis.

Deute-

Digitized by Google

Deuteronomij 6. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Eritque noſtri miſericors, ſi cuſtodierimus, & fecerimus omnia pracepta eius, &c.* Quo loco non intellecto malignè abutuntur, qui ipſum illorſum rapiunt vt inde inferant nullum eſſe iuſtum apud Deum, quum nullus eius præcepta adimplere poſſit. Nam præterquam quòd aliud eſt longe, loqui de præceptorum Dei obſeruatione in veteri, & in noua lege, hic palam docetur nos poſſe, & debere Dei præcepta ſeruare. Quorſum enim ita ſcribitur. Si cuſtodierimus, & fecerimus? adde etiam quod alia lectio habet ita, hæc iuſtitia noſtra ſi cuſtodierimus præcepta, &c. ita ergo habeto loci ſenſum: ijs tantum Deum eſſe miſſericordem, eos ſaluandò, qui cuſtodiunt ipſius mandata. Hoc idem docetur Luc. 1. cap. his verbis, Et miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Falluntur igitur qui malè agendo de Dei miſericordia præſidunt. Iuſti etiam qui omnia Dei præcepta fecerint, debent valde humiliari, confitentes ſe eſſe ſeruos inutiles, quia gratia Dei eſt vita æterna, quæ ſolis bene operantibus donatur. Huc pertinet illud celebre Auguſt. proloquiũ, ſcilicet, Quãdo Deus coronat noſtra merita, coronat ſua dona. Sine Deo enim, & ſua gratia nihil boni operari poſſumus, ſicut eius gratiæ per liberum arbitrium nobis naturale, & nunquam per peccatum ablatum, etſi multum leſum fuit, cooperari valemus. Hinc nobis meritum exurgit, & Deo gloria.

Ibidem ita ſcribitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies.* Quo loco abutuntur, qui inde effici volunt ſolum Deum inuocandum, ac implorandum eſſe reijcique debere prorſus eas præces, & inuocationes quæ ſanctis fiunt. Locus enim ille diligenter inſpectus, docebit lectorem Chriſtianum illic ſermonem fieri de colendo vno Deo, & de reijciendis falſis Dijs, eorumque cultu deteſtando. Chriſtiani autem, cum ſanctos Dei colunt, & inuocant, Dei gloriæ nihil detrahunt, quia eos collunt, & orant vt ſanctos Dei, & ipſius gratia electos, & ita exaltatos vt apud ipſum plurimum alios iuuare poſſint. Omnis autem talis cultus, vt etiam inuocatio ad Deum ipſum finaliter refertur, a quo omne bonum, & donum perfectum deſcendit: Non igitur ſanctos orant, aut colunt Chriſtiani ſeorſum a Deo, ſed potius in ipſo Deo, cuius ſancti ſunt. Sic intelligi debent quæ de eadem reſcribuntur, Mat. 4. & Luc. 4. In quibus docemur vnum tantum Deum, rerum omnium authorem, conſeruatorem, ac dominum agnoſci, & coli debere; non autem vllo pacto ſanctorum veneratio prohibetur. Hos namque quando veneramur, Dei beneficia in

Digitized by Google

ipſis agnoſcimus, & ſuſpiciendo obſeruamus atque exoſculamur.

Deuteronomij 7. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Elegit vos Dominus, & vobis iunctus eſt, non quia cunctas gentes numero vincebatis, ſed quia dilexit vos, &c.* Quo loco vt ſimilibus multis planè abutuntur, qui inde colligunt Deum nunquam hominibus benefacere propter opera. Nam hic de prima electione agitur, quæ planè eſt gratuita, non autem de operibus hominum iam electorum, & gratia Dei præditorum, quæ ipſi grata eſſe, & compenſari tam in ijs, cuiæ operantur, quàm in eorum poſteris, indicat ſequens litera in hæc verba; Deus eſt fidelis, & cuſtodit pactum, & miſericordiam diligentibus ſe: & ijs, qui cuſtodiunt præcepta eius in mille generationes. Item, ſi cuſtodieris, & feceris hæc præcepta, cuſtodiet Dominus tibi pactum quod iurauit patribus tuis, & diliget te, & multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, &c. Clarum eſt igitur ex ipſo verbo Dei, bona opera tam grata eſſe Deo, vt propterea etiam compenſata in ijs, qui ea fecerunt benefaciat eorum poſteris. Sic propter iam mortuos Iſaac, & Iacob Deus pepercit populo. Sic quoque ſanctorum glorioſorum meritis, & bonis operibus, iam in cœlis compẽſatis, Deus beneficiat quotidie ſuæ Eccleſiæ, quæ illorum eſt poſteritas, E ſemen ſpirituale. Hoc ſequendo ſcripturam ſacram recolit Eccleſia, quãdo petit adiuuari ſanctorum in cœlo beatorum meritis, & præcibus. Sed hoc beneficium contemnunt impij cæcique hæretici, blaſphemantes quæ ignorant.

Ibidem ita ſcriptum legitur: *Non erit ſterilis apud te vtriuſque ſexus.* Quo loco ignoranter apertiſſimè abutuntur, qui inde effici volunt nulli viro, aut fœminæ licitum eſſe perperam virginitatem vouere. Nam luce ipſa eſt lucidius, ibi prædici ſummam fœcunditatẽ & proſperitatem fore apud populum Iſraeliticum in omnibus rebus nullatenus autem matrimonij ineundi; aut abijciundi mentionem fieri. Sic enim habet textus ipſe; Benedictus eris inter omnes populos: non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis, &c. Nota ergo, Chriſtiane, hæraticorum carnalium noſtri temporis malignam, & cæcam in deprauandis ſacris ſcripturis calliditatem: atque reiectis eorum pernicioſis, & putridis ciſternis, ad ipſum ſcripturarum ſacrarum limpidiſſimum fontem confugito, illic bibito, & firmiter ſecureque hæreto. Nam nihil niſi fucatum, & iniquum tibi propinant: etſi ſanctuli apparent in angelos lucis transformari, certi ſatanæ miniſtri curios nanque ſimulantes (mihi crede) bacchanalia viuunt; Fidem igitur adhibeto Apoſto-

lo

lo affimante, quod quæ in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt etiam dicere.

Deuteronomij 9. cap. ſcribitur in hunc modum, *Ne dicas in corde tuo, Propter iuſtitiam meam introduxit me Dominus vt terram hanc poſſiderem,&c.* Quo loco, aliorſum detorto, & nequaquam intellecto, abutuntur bonorum operum oſores, inde colligendo Chriſtianos nullo modo poſſe mereri vitam æternam, ſic argumentando. Si homines non poſſunt ſuæ iuſtitiæ, & meritis tribuere poſſeſſionem rerum temporalium, quomodo merebuntur vitam ęternam & ſpiritualia alia quælibet? Nam diligentius totum hoc caput inſpicienti, patebit Moyſen non velle affirmare Deum nullam habere rationem bonorum operum, & iuſtitiæ (quod patet ex eo, quòd in fine capitis ait, Deum populo pepercisſe propter interceſſionem iuſtorũ defunctorum Abrahę, Iſaac, & Iacob) hominum electorum, ſed exprobare ipſi populo quòd ſemper fuit duræ ceruicis, nec obſequi voluit diuinis præceptis. Deus igitur eos introduxit in terram bonam, propter ſuam bonitatem, & promiſſionem factam iuſtis Abrahæ, Iſaac, & Iacob: Cananæos autem expulit propter ipſorum ſcelera.

Deuteronomij, 23. ſcribitur ad hunc modum; *Non dabis fratri tuo ad vſuram, ſed alieno.* Quo loco perperam detorto abutuntur, qui ex eo colligunt vſuras non omnino reprobari. Nam aliud eſt quippiam permittere, & aliud approbare, aut etiam concedere. Permittuntur enim multa ad euitandum maius malum, ſuppoſita hominum malitia, & deprauatione, quæ nec approbantur, nec conceduntur: Eiuſmodi ſunt meretricia quæ in vrbibus, ad vitanda maiora mala, permittuntur: id eſt, ciuiliter non puniuntur. Talis eſt vſura, quam exercere cum alienis, & infidelibus quos opprimi volebat (eſt enim pœna malorum, vſura, vt docet Dauid his verbis, ſcrutetur fœnerator ſubſtantiam eius, Pſal. 108.) Deus permiſſum eſt in lege Moſayca talis etiam erat libellus repudij: talis eſt quoque profeſſio factionis hæreticæ, quam ad vitandum maius malum, & ob pacificum conuictum aliquando permiſerunt principes Chriſtiani, & ſi nunquam eam conceſſerunt, aut approbarunt, ſicut nec vſuras nec meretricia (nam hæc omnia apertè Dei verbo aduerſantur) ſed tali permiſſione eiuſmodi rerum malarum deprauationem, & latius ſerpentem perniciem minuere, & ſedare, vt tandem facilius omnino tollerent, cunctando prudenter conati ſunt. Deus autem qui omnes iudicabit, ſingulorum corda ſcrutatur.

EX QVARTO REGVM.

QVARTO Regum 8. cap. ſcribitur ita de Ezechia rege; *Ipſe diſſipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentē quem fecerat Moyſes.* Quo loco abutuntur qui ex eo colligunt nullas relinquendas eſſe inter Chriſtianos imagines, ſed omnes prorſus euertendas eſſe: Nam primum, malas non eſſe imagines manifeſtum eſt, ex eo quod Moyſes uir ſanctus, & Propheta magnus iuſſu Dei imaginē illā ſerpentis erexerat, & populo in myſterio aſpiciendam propoſuerat: propter abuſum igitur imaginem ſerpentis fregit rex, non quia ſit prohibitum imagines habere religionis ergo.

Quis autem fuerit ille imaginis ſerpentis abuſus, docet conſequēs textus, qui eſt eiuſmodi: ſiquidem ad vſque illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum, vt Deo, ſcilicet. Si placet de hac re plura videre, lege tractatum noſtrum de imaginibus, & primam epiſtolam noſtram aduerſus Caluinum.

4. Regum 22. ſcribitur ad hunc modum. Dixit Dominus ad Ioſiam; *Colligam te ad patres tuos, vt non videant oculi tui mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo colligi vollunt, ſanctos qui ſunt in cœlis non cognoſcere quæ hic fiunt. Nam longè eſt aliud loqui de ſanctis qui erant in limbo, ante Chriſti paſſionem, & de illis qui nunc vident Deum facie ad faciem, quem intuendo tanquam in ſpeculo, quæ hic fiunt cernunt, & intellIgunt. Adde etiam quòd ſancti dicuntur non videre afflictiones quæ hic fiunt, & ſi ea non ignorant, quia ab eis nihil patiuntur, nec propter eas triſtantur: ſicut fieret ſi in terra mortales eſſent.

EX LIBRO IOB.

IOb 14. cap. ita ſcribitur; *Homo mortuus non intelliget ſi nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt mortuos nullã habere curam viuentium in hoc mundo. Falluntur autem, quia non attendunt beatum Iob eo in loco loqui humanitus, vt etiam facit Salomõ in Eccleſiaſte, quod docent verba eius præcedentia, quibus ita dixit; Putaſne mortuus homo rurſum viuet? Naturaliter igitur mortui, ſiue ſancti, ſiue etiam alij, non norunt hic viuentium ſtatum, ſed per diuinam reuelationẽ, aut etiam per aliam denuntiationem. Eſt enim hic mundus inferior, ijs, qui ſunt in cœlo, veluti theatrum, in quo quæ geruntur ipſi cognoſcunt, non tantum in generali, ſed etiã in particulari, vt docet Chriſtus Luc. 15. cum dicit angelos qui ſunt in cœlo, gaudere ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Ad hoc etiam docendum, multum facit locus, qui ſcribitur Luc. 3. cap. vbi ſcribitur, quod beatus Ioannes Baptiſta adhuc hic mortalis, nouerat particulares hominum cogitationes. Litera Euangeliſtæ eſt eiuſmodi. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit Ioannes dicens omnibus, Ego quidem aqua baptizo vos, &c. Cognoſcũt igitur ſancti, qui ſunt in cœlis noſtra vota, & ſtatum. Repugnat autem charitati, in qua qui ſunt beati conſummati, degunt, quòd ſancti nos hic viuentes, nec curent, nec adiuuent, Charitas etenim quæ nunquàm ab electis excidit, ſed hic inchoata, in cœlo perficitur, nõ patitur quin nobis bene velint, & quo poſſunt modo nos iuuent, ſcilicet Deum pro nobis orando. Quare etiam vt vinculum charitatis vbique maneat, & ipſi diſponamur, vt eorum ſuffagijs, præcibus, & meritis (quibus excuſantur noſtra peccata apud Deum, & ideo hoc ſenſu orat ſæpius Eccleſia nos protegi eorum ſuffragijs, & meritis) apud Deum iuuemur, illos orare, & inuocare debemus, non quidem vt nobis concedant ipſi quæ petimus ſed vt à Deo à quo omne bonum de-

ſcendit,

ſcendit, cui ſunt perfectè, & familiariter coniuncti, illud nobis impetrent. Hæc eſt ſumma doctrina de ſanctorum orationibus, & inuocatione. Quòd autem ſancti nos adiuuent, nec ita abſorbeantur à conſpectu Diuinæ maieſtatis, vt noſtri obliuiſcantur, teſtantur Angelorum propter noſtram ſalutem miſſorum continua miniſteria: teſtatur de Onia, & Ieremia Canonica Machabæorum hiſtoria; Teſtatur etiã deprecatio Epulonis diuitis, vt multa alia huius rei exempla quæ in ſcripturis colligi poſſunt, & ſi variè ſunt ſumenda.

EX LIBRO PSALMORVM.

PSALMO primo ita ſcribitur: *Beatus vir qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Quo loco abutuntur, qui inde effici volunt licere paſſim quibuslibet ſcripturam ſacram exponere, nec doctorum & expoſitorum ſacrorum operam requiri. Non enim fruſtra poſuit Deus Euangeliſtas, & doctores in Eccleſia. Vult ergo Dauid beatum eum omnem eſſe, qui relicta omni iniquitate, legem Domini amat cogitat, amplexatur, & implet. Nec de expoſitione ſacræ ſcripturæ ibi fit ſermo, ſed de pia & feruenti Dei bonitatis contemplatione.

Pſal. 15. ita ſcribitur; *Non derelinques animam meam in inferno.* Quo loco imperitè ſatis abutuntur, qui ex ipſo effici volunt animam Chriſti aliquid paſſam eſſe poſt mortem. Nam integra ſcriptura ſacra reclamat animam iuſti, nulla peccati labe, & reatu infecti, poſt mortem quippiam pati. Locus igitur eſt intelligendus de reſurrectione Chriſti, qui in anima deſcendit ad loca infera, vt clare docetur Ephe. 4. & 1. Pet. 1. Non enim anima Chriſti diu manſit in inferno, nec eius corpus in ſepulchro: ſed ſtatim ipſorum reunio facta eſt. Hinc eſt, quod ait Vates Diuinus, Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Hanc autem eſſe germanam huius loci explicationem, docet B. Petrus Actuum. 2. vbi ad confirmationem reſurrectionis Chriſti citat hunc verſiculum, docetque impoſſibile fuiſſe teneri Chriſtum ab inferno.

Pſalmo

Digitized by Google

Pſalmo 18. ſcribitur in hunc modum; *Delicta quis intelligit?* Quo loco abutuntur illi, qui ex illo colligunt auricularem confeſſionem, quæ fit Sacerdoti, ſatisfactionem & peccatorum collectionem vanam eſſe, & ſcripturæ ſacræ contrariam. Non enim hic agitur de peccatorum confeſſione, aut ſubſequente eorum ſatisfactione, quæ ex ſcriptura ſacra facilè colligitur, ſed de timore, & incertitudine proprij ſtatus: in quo nemo nouit vtrum amore an odio dignus ſit. Noſtram expoſitionem confirmant quæ ſequuntur, ſcilicet, Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Hic autem locus, eſt ſimilis illi qui eſt in beato Paulo 1. Cor. 4. vbi ita legitur; Nihil mihi conſcius ſum. ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me, Dominus eſt. Et etiam illi qui eſt 1. Ioan. 3. vbi dicitur, quòd Deus eſt maior corde noſtro. Ipſam autem confeſſionem, & ſatisfactionem aſſerunt quæ ſubiunguntur, ſcilicet; Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

Pſalmo 43. ſcribitur ad hunc modum: *Si expandimus manus noſtras ad Deum alienum, nonne Deus requiret iſta?* Quo loco impudenter, & ignoranter abutuntur, qui ex eo effici volunt peccatum eſſe, ſanctos in cœlis glorioſos orare. Nam perſpicuum eſt Prophetam illic loqui, non de his qui ſanctos Dei rogant, ſed qui falſos deos inuocant, relicto vero Deo. Hoc indicat præcedens litera quæ eſt eiuſmodi, ſcilicet: Si obliti ſumus nomen Dei noſtri. Chriſtiani autem cum ſanctos orant, non à Deo aut Chriſto Dei, & hominum generali, & ſemper neceſſario mediatore recedunt, ſed ipſo nituntur ad eius amicos, & familiares ſanctos, ad facilius impetrandum per ſuffragium meritorum, & orationum ipſorum, quæ petunt recurrendo. Dilucidum igitur fit ex hoc loco, quam prauè & cum quanta calumnia ſacras ſcripturas ad prętexendas ſuas impietates detorqueāt hæretici, eaſdem ad ſuam ipſorum confuſionem & perniciem deprauantes. Eos autem ſic hoc loco abuti, vt diximus, facilè cognoſcent qui legerint Caluinum lib. 3. Inſtitutionis impiæ (quam tamē Chriſtianam vocare eſt auſus) cap. 20. ſectione 27. Summam huius propoſiti ſic habeto. Non orant, & inuocant ſanctos Chriſtiani vt Deos, ſed vt Dei amicos, & familiares acceptoſque; nonquidem vt dent ipſi, quod petitur, ſed vt à Deo, omnium bonorum fonte, & largitore, illud impetrent, nos apud ipſum iuuando ſuis meritis & precibus, ſiue oratione expreſſa ſiue interpretatiua vtantur. Non etiam orantur vt nobis bene velint (ſicut nec Deus ipſe) qui in charitate cō

ſumma-

ſummati, eiuſdem corporis Chriſti nobiſcum membra nos noſtraque curant, ex charitate non minus quam Gadditæ, & Rubenitæ, obtenta iam ſua poſſeſſione in terra Chanaan, fratres ſuos adiuuerunt ante ipſos præliando: ſed vt hoc pacto diſponamur per fidem, humilitatem, ſpem, & charitatem ad Dei dona, eorum meritis, & precibus (propter quæ Deus peccatorum infirmitates obliuiſcitur, & remittit, vt ſæpius vtriuſque teſtamenti ſcripturæ docent) obtinenda. Nec etiam opus eſt ipſis acutioribus oculis aut protractioribus auribus vt noſtra vota percipiant; vtpote quibus Deus omnium rerum ſpeculum in verbo quæ circa nos fiunt, reuelat. Si mortalium ſtatũ non cognoſcerent, neutiquam ſanè ſcriptura affirmaret mortuos Oniam & Ieremiam oraſſe pro populo dei afflicto. Hoc autem mirum non eſt, quum videlicet ſanctus Ioannes Baptiſta adhuc mortalis, internas hominum cogitationes cerneret, vt ſcribitur Lucæ 3. cap. Et Angeli in cœlis gaudeant ſuper vno peccatore pœnitentiam hominum cum Angelis par eſt conditio in cœlis. Scindunt ergo, & diuidunt Chriſti corpus, qui tollunt ſanctorum in cęlis glorioſorum orationes, quæ ſunt media ordinata à Deo ad excuſandas noſtras infirmitates, & ad ſeruandũ charitatis vinculum in tota Eccleſia, quæ vt eodem viuificatur ſpiritu, ita ſympathia gaudet neceſſe eſt. Sancti ergo Chriſto conformes, pro nobis orant in cœlis, ſuntque à nobis in terris orandi, vt eorum fauore à Deo exaudiamur, ad quem omnis oratio finaliter vt etiam omnis honor refertur. Hæc eſt pia, catholica, & ſcriptura ſacra ſæpius confirmata doctrina. Vide plenius de hoc propoſito in ijs, quæ de ſanctorum communione per Dei gratiam ſcripſimus.

Pſalmo quinquageſimo ita ſcribitur. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt in peccatoris iuſtificatione præter vitę prauę in bonam, commutationem, nullam requiri pœnitentiam. Hoc autem non intendebat Dauid, qui tam dura paſſus eſt poſt confeſſionem, & remiſſionem peccati, vt pro eo ſatisfaceret, & pœnam ipſi debitam exolueret. Talem opinionem confutat B. Paulus, Rom. 8. cap. cum ait nos etiam poſt pabtiſmum, & iuſtificationem mori, peccati originalis pœnam ſufferentes. Vult igitur docere Dauid cordis contritionem eſſe neceſſatiam, atque etiam tantum valere in hominis peccatoris iuſtificatione, vt eum Deo acceptum reddat. Talis autem cordis contritio vera eſſe non poteſt, ſi data facultate reluctetur quis confiteri peccatum ſuum, & pro eo ex ſententia Sacerdotis iudicis ſpiritualis ſatisfacere

Digitized by Google

tisfacere. Nam ex quo Deus eſt factus homo Chriſtus Ieſus,& hominibus dedit poteſtatem remittendi peccata in terris, neceſſe fuit homines peccatores ſua delicta confiteri, & detegere Eccleſiæ miniſtris,ad habendam eorundem abſolutionem.

Ibidem ſcribitur in hunc modum. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Quem locum prauæ detorquent, qui ex illo volunt effici nullum eſſe ſacerdotium aut ſacrificium miniſteriale, & publicum in Chriſti Eccleſia,ſed omnes eſſe ſacerdotes,& poſſe ſacrificium legis Euangelicæ Deo offerre. Qui falluntur ex eo, quòd non cogitant aut putant in noua lege, Sacrificiorum varia, & diuerſa eſſe genera, vtputa miniſteriale ſeu publicum, quod fit a Sacerdotibus ordinatis pro tota Eccleſia, & etiam priuata, quæ fiunt à ſingulis Chriſtianis, qui etiam propter ea dicuntur eſſe Sacerdotes. Hoc igitur loco cùm ait ſacrificium Deo acceptum, eſſe ſpiritum contribulatum, intelligit mortificationem affectuum, & cordis, quòd peccando contra Deum rebellauit comminutionem & humiliationem. Quod profecto ſacrificium eſt longè Deo acceptius quam ſacrificia beſtiarum, quæ faciebant Deo in veteri teſtamento Iudæi, quibus cordis contritionem, & immolationem præfert hoc loco, vt præcedentia uerba declarant, ſcilicet: ; Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem, vtique holocauſtis non delectaberis. Notandum etiam hoc loco fieri mentionem duplicis ſacrificij, ſcilicet ſpiritus contribulati, & iuſtitiæ, Iudæi enim habebant victimas ſeu ſacrificia, & pro peccatis, & etiam pacifica, ſeu pro proſperitate & gratiarum actione. Sacrificia autem juſtitiæ, ſunt opera bona quæ faciunt Chriſtiani iam iuſtificati. Talia ſunt ieiunia, eleemoſynæ, orationes, & cætera id genus quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, ſicut docet Paulus Ephe. 2. cap.

Scribitur ad hunc modum Pſal. 74. *Confitebimur tibi Deus, & inuocabimus nomen tuum.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt ſanctos non eſſe inuocandos. Nam inuocatio, ſicut & oratio ſanctorum, nihil detrahit inuocationi Dei ad quem finaliter omnis inuocatio, & oratio refertur, cùm videlicet ab eò ſit omne bonum, & omne donum perfectum, quod mediantibus, & pro nobis orantibus ſanctis, qui in cœlis beati ſunt, ſæpe nobis conferrur. Solus ergo Deus orandus,& inuocandus eſt, vt donator; (Nam vt ſcribitur Pſal. 83. Dominus eſt qui dat gratiam, & gloriam) Sancti autem orandi, & inuocandi ſunt vt mediatores, & impetratores. Qui modus obtinendi aliquid a Deo eſt optimus, Scripturæ Sacræ conſentiens

ſentiens, atque etiam a Deo traditus, vt videre eſt Gen. 20. Iob. 42. & alibi ſæpiùs. Ita intellige locos, qui de hac re ſunt ſcripti. Deuteron. 6. 2. Reg. 20. Iob. 27. Pſal. 17. 19. 49. 74. 115. Eccleſi. 13. Ierem. 29. Ioel. 2. Mat. 4. Mar. 1. [illegible]

Pſal. 77. ita ſcribitur. *Et recordatus eſt quia caro ſunt ſpiritus vadens, & non rediens.* Quem locum prauè detorquent, qui ex eo colligunt poſt mortem animas defunctorum nunquam mortalibus apparere; quæ expoſitio videtur latenter negare animarum immortalitatem: vel ſaltem ijs fauere, qui imperfectorum Chriſtianorum maculas in igne purgatorio elui negant. Falſam verò, & erroneam eſſe talem expoſitionē, facilè videbit qui attenderit illic Dauidem hominis infirmitatem, & imbecillitatē ſignificare voluiſſe, ſimilitudine flatus vēti, qui cito tranſit, & poſtea nō ſentitur. Scripturæ quoq; atque veritati eam eſſe planè contrariam iudicabunt, qui conſiderabunt: Eliam, Moyſen, Oniam, Ieremiam, & alios plerosque vita hac functos, hominibus mortalibus viſos eſſe. Melius ergo locum exponunt, qui ita aiunt, homines ſunt caro; ſpiritus vadens, & non rediens, id eſt facilè in peccatum labuntur, a quo ſine Dei gratia reſurgere non valent. Fragiles enim, atque momentanei ſunt homines, & non tales, qui Dei potentiæ reſiſtere valeant.

In Pſalm. 115. ita ſcribitur. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Quem locum planè detorquent, & corrumpunt, qui ex eo colligunt omnia prorſus Eccleſiaſtica concilia errare potuiſſe; quia videlicet ex hominibus, qui omnes ſunt mendaces, conſtant. Falluntur autem ex eo, quia in Conciliorum decretis, hominum tantum infirmitatem cogitant, nec Dei perpetuam cum Eccleſia præſentiam conſiderant. Non poſſe ergo errare Concilia legitimè congregata certum eſt, non ratione hominum, quos omnes mendaces eſſe, & falli poſſe, niſi diuinitus iuuentur, concedimus; ſed propter ſpiritum ſanctum ſemper veracem, qui nec fallere, nec falli poteſt; cum autem ſemper in Eccleſia eſſe docent Scripturæ Sacræ. Propter eum ſiquidem Eccleſia dicitur eſſe columna, & firmamentum veritatis, & ſine ruga, & macula in ijs decernendis, quæ ad fidem, & ad mores ſpectant. Hoc eſt quare Apoſtoli in ſuo Concilio dixerunt: Viſum eſt Spirituiſancto, & nobis, &c. vt ſcribitur. Act. 13.

In Pſal. 18. ita ſcribitur. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Quem locum deprauant, qui ex ipſo effici uolunt Scripturam Sacram expoſitione non indigere, ſed claram, apertam & lucidam eſ-

ſe.

Digitized by Google

ſe. Quæ expoſitio, & opinio quã falſa ſit, intelliget, qui conſiderabit Deum ſemper in ſua Eccleſia ad exponendas ſcripturas populo quoſdam poſuiſſe: quòd nequaquàm feciſſet, ſi tam faciles eſſent, vt a quouis ſine expoſitore intelligi valerent. Hoc etiam cognoſcitur ex verbis B. Petri, qui affirmat beatum Paulum ſcripſiſſe multa difficilia intellectu quæ multi deprauant ad ſuam ipſorum perditionem. quòd non fieret ſi Spiritus ſancti expoſitionem per Doctores in Eccleſia catholica propoſitam ſequerentur.

Pſal. 142. ita ſcribitur, *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nos nihil boni facere poſſe. Nam eo loco vult docere Dauid, nullum prorſus iuſtum in generatione humana & corporali inueniri poſſe, vt ita nos adducat ad iuſtitiam generationis ſpiritualis, quæ fit in Spiritu ſancto per meritum Chriſti & gratiam Dei. Sic tota lex vetus hominem peccatorem eſſe indicat & conuincit, nec ab alio quàm à Deo iuſtificari & curari poſſe docet, vt ſic omnes ad Chriſtum vnicum mediatorem & redemptorem adducat. Videndum eſt autem, & quidem diligenter, in legenda Sacra Scriptura, ni toto cœlo errare & impijſſimè Dei gratiam & Chriſti meritum blaſphemare velimus, vt diſtinguamus inter hominis ſtatum ante paſſionem Chriſti, & eum qui eandem ſequitur. Nam ante regenerationem, quæ fit in ſpiritu per baptiſmum, vbi meritum Chriſti applicatur, & iuſtificatio acquiritur, omnes ſumus peccatores & iniuſti, poſt autem iuſti & ſancti niſi voluntariè ad peccatum redierimus, & ſicut canis ad vomitum reuertamur. Hoc vtinam attenderent noſtræ tempeſtatis Libertini & miſerrimi Athei. Sic enim non dicerent homines baptizatos ſine peccato eſſe non poſſe, quòd ſcriptura vult omnino vitari, & in ſanctitate per totã vitam Deo ſeruire in baptiſmo iuſtificatos præcipit.

Pſalma 150. ſcribitur ad hunc modum. *Laudate Dominum in ſanctis eius, &c.* Quem locum non intelligunt, qui negant ex eo colligi, quòd honor ſit Sanctis hominibus exhibendus. Nam locus diligenter expenſus & ſpiritualiter acceptus, proponit certò ſanctorum, & eorum reliquiarum honorem, vt Deus in illis honoretur. Illud autem ſic facilè cognoſcetur, quia ait Propheta Deum eſſe laudandum in ſanctis ſuis. Sancta autem illa, in quibus volebat laudari Deus, erat ſanctuarium, aut arca, aut templum, aut omnia ſimul. Credo autem, ſi eiuſmodi caduca non erant figura ſanctorum corporum, in quibus Deus debet habitare tempore legis Euangelicæ, vt docet Paulus 1. Cor. 3. & 6. & in quibus non minus immo longè magis,

magis,apparuit gloria Dei quàm in arca,& toto ſanctuario, aut templo? erant ſanè. Sequitur ergo illud præceptum,quod volebat, & obligabat ad Deum laudandum in illis externis, & caducis tempore legis Moſaicæ,nunc ſeruari debere in honorandis ſanctis hominibus,quorum animæ & corpora ſunt verè templa,& ſanctuaria Dei. Nam ſi hoc non ſit ita accipiendum, oportebit verbum Dei non manere in æternum: cùm videlicet iam illum Hebræorum ſanctuariũ præterierit omnino. Cauendum eſt igitur diligenter ab hæreticis huius temporis,qui cortici ſcripturarum adhærentes,nec eas ſpiritualiter accipientes,nos ad Iudaiſmum reducere conantur. Veri autem Dei electi,ſanctos honorare debent,ipſius in illis beneficia agnoſcentes & exoſculantes. Si enim propter corporalia, & caduca ſabbati celebritatem amplexamur, quare non itidem ſanctorum feſta propter Dei ſpiritualia, & æterna beneficia celebria habebimus? Sed vult Satanas Dei memoriam, & adorationem ſinceram auellere è mentibus noſtris. Cum enim per ſua opera nobis Deus innoteſcat, & ipſa opera Dei per feſta, & celebritates ſanctorum nobis proponantur: conatur Satanas,tollendis feſtis & celebritatibus ſanctorum Dei, memoriam, & adorationem à nobis expellere. Vide quę ſcripſimus in libello de honore ſanctorum.

EX LIBRO PROVERBIORVM.

IN libro Prouerbiorum. 16. cap. ita ſcribitur: *Domini eſt gubernare linguam*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt homines nihil poſſe,quomodo etiam malè exponunt locum Dauidis, in quo ita ſcribitur, Non eſt ſermo in lingua mea. His enim locis, & ſimilibus, non vult ſcriptura affirmare hominem eſſe velut ſtipitem, & truncum inanem, ſed eum nihil boni agere poſſe niſi a Deo adiuuetur. Hoc eſt quod Paulus ait, non eſſe hominis ſed Dei, velle, & perficere bonum, non quia homo non operetur cum Deo,idque libere, ſed quia bonarum actionum præcipua cauſa Deus eſt: ſine quo, homo malè, ſed non bene

agé

Digitized by Google

age poteſt. Tales ergo loci admonent, nobis opus eſſe Dei adiutorio, vt bene agamus, non autem quod vel libero arbitrio careamus, vel etiam quod per illud cum Dei adiutorio nihil boni agere poſſimus. Noſtram quæ etiam catholica eſt, expoſitionem confirmant præcedentia, quæ ſunt eiuſmodi: hominis eſt animam præparare, & etiam quæ ſequuntur ita: Cor hominis diſponit viam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus. Bona igitur actio eſt tribuenda partim Deo, & partim homini: non quia tota bona actio non ſit à Deo, ſed quia non totaliter: Deo enim cooperatur homo, vt teſtatur B. Paulus, qui homines ait eſſe Dei cooperatores.

EX LIBRO ECCLESIASTES.

IN Eccleſiaſte cap. 3. ſcribitur quod. *Idem eſt interitus hominum, & iumentorum* Quo loco abutuntur, qui ex eo concludunt hominis animam eſſe mortalem, Nam certum eſt Salomonem in eo libro multa dicere ex mente inſipientium, qui quum fide careat, & ſpiritu Dei non iuuentur, nihil apprehendunt niſi quod ſenſibus percipiunt. Vnde fit quod cum videant homines à pecudibus non differre, ſecundum corporis qualitatem, vt iudicent animum hominis cum corpore interire, vt fit in brutis. Chriſtiani autem fide edocti, aliter longè ſapiunt. Eodem modo intelligi debent quæ ab inſenſatis, & carnalibus dicuntur. Sap. 2. vbi ita dicitur, Non eſt refrigerium in fine his, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis.

Eccleſiaſtes 9. ſcribitur ad hunc modum. *Melior eſt canis viuus leone mortuus.* Quo loco minime intellecto abutuntur, qui ex eo nitũtur confirmare ſuum errorem, quo affimant ſanctos hic mortales magis poſſe apud deum iuuare, quàm quum glorioſi cum Deo in cęlis regnant. Nam clarum eſt Salomonem in eo loco loqui talia, recitando eorum opinionem qui nihil agnoſcunt aut ſapiunt, præter terrena, & caduca: exiſtimantes animas cum corporibus interire. Ad hæc, ſancti non ſunt mortui, ſed maximè viuentes. Sunt enim beati in cœlo leones viuentes: & nos hic degentes, canes mortales. Nam Deus, non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Quid autem obſecro

abſurdius dici poteſt,quam ſanctos hic mortales nos iuuare poſſe,nō poſſe autem quando ſunt in cœlis glorioſi? Si nos non iuuant orationibus ſuis,quid corpori Chriſti proſunt? Quomodo in charitate confirmati ſunt, & quomodo nobis compatiuntur,qui ſunt eiuſdem nobiſcum membra? Nam idem planè ſpiritus Dei eos in cœlis glorificat,qui & nos hic iuſtificat & viuificat. Huc namquè ſpectat miſſo illa ſancti Spiritus in die Pentecoſtes tam celebris. Si ergo nos non iuuāt,id fit aut quia nolunt,aut quia non poſſunt. Si quia nolunt quomodo confirmati; & conſummati ſunt in charitate? Si autem quia non poſſunt, an non deterior ipſorum facta eſt conditio quando in gloriam recepti ſunt? Nam hic mortales poterant; poſſunt ergo, & volunt nos hic afflictos iuuare,qui vident,& cognoſcunt noſtras neceſſitates · vt docetur Luc. 15. vbi dicitur, quòd angeli in cœlis gaudent ſuper vno peccatore pœnitentia agente. Et 2. Machab. 15. vbi ſcribitur, quod Onias, & Ieremias orabant pro populo Dei, quod ſanè non feciſſent ſi non intellexiſſent ipſius afflictionem: aut etiam ſi eorundem oratio inutilis fuiſſet.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Sapientiæ 8. ſcribitur ita: *Sciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens,niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, &c.* Quo loco apertè abutuntur, qui ex illo concludunt neminem prorſus caſtitatem, & virginitatē ſeruare poſſe, quare nec eam vouendam eſſe. Hic enim locus diligentius expenſus,de ſola ſapientia intelligitur per quam peruenitur ad corpus incoinquinatum. Donum autem eſt Dei, & ſapientia,cognoſcere vnde eſt ſapientia, & à quo petenda eſt, ſcilicet,à Deo. Miror autē hæreticos ex hoc libro argumentum deſumere,cum eum a Canone expūgant. Si enim hinc tractum valet eorum argumentum, quare reijciunt quod ex libris Machabæorum pro purgatorio producimus; Vterque namque liber ipſis eſt apocryphus, & non Canonicus. Quàm autem apertè errent dilucidum eſt ex beata virgine perpetuò Maria Dei Chriſti matre, ex B. Ioanne Euangeliſta,ex B. Paulo,& infinitis alijs,tam viris quàm mulieribus. Quot .n.

Digitized by Google

ſunt qui perpetuam virginitatem ſeruarunt? Locus autem non ait ſimpliciter neminem continentem eſſe poſſe, ſed non poſſe talem eſſe niſi Deus dederit: nos autem cum dicimus virginitatem perpetuo ſeruari poſſe non ſecludimus dei gratiam, ſed eam complectimur. Animaduerſione autem dignum eſt (quod diligenter conſideranti præcedentia, & ſequentia apparebit) locum illum; non tantum eſſe intelligendum de caſtitate corporis, ſed de omni virtute, quam habere ſine Dei gratia nemo poteſt propter naturalem imbecillitatem & ad malè agendum pronitatem. Liberum namque hominis arbitriũ indiget dei gratia vt beneoperetur, quia corpus quod corrumpitur, aggrauat hominem, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Hoc etiam modo intelligi poterit quod ſcribitur Eccleſiaſtes. 5. de non facile vouendo, & de infideli promiſſione quæ Deo diſplicet: vnde male colligunt nonnulli vota monaſtica reijcienda eſſe, eaque pugnare cum libertate Euangelica. Nam hoc nequaquam intendit ſcripturæ author Spiritus ſanctus, ſed non ſtatim vouendũ eſſe, nec temerè Deo quippiã promittendum eſſe, cùm videlicet vota ſint ſemper reddenda, ipſiq; diſpliceat infidelis ſtultaque promiſſio.

Sapientiæ 16. ſcribitur ad hunc modum. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum & paratum panem de cælo preſtitiſti eis ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Quo loco perniciosè accepto, & minimè intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt verum, & Euangelicum uſum cõmunionis corporis Domini eſſe, & percipi in illa abominatione idololatrica, quã vulgò cœnam Domini appellant. Quia videlicet qui illic panem diaboli accipiunt, & Satanæ menſam ſchiſmatici & in ſuis adinuentionibus ambulantes, ſectantur, affirmant ſeſe oblectamento ſummo affici cùm illuc conueniunt. At prohdolor & pudor? miſerrimè deluduntur in doctrina primùm, & fide, deinde etiam in eius profeſſione: à Satana, ſeſe in angelum lucis, & conſolatorem dulcem & amicum callidè transformante, infaſcinati, & ineſcati. Ignorant enim miſelli, quos iſte captiuos tenet iuſto Dei iudicio ſe falſa dulcedine falli, & vana ſpe delectari. Hoc ſatis indicant Prophetæ, qui referunt ſemper pſeudoprophetas, & hæreticos quoslibet dixiſſe: pax, pax, vbi non erat pax. Hoc docetur Sapientiæ 1. vbi dicitur, quòd impij mortis acquiſitionem æſtimarunt ſibi eſſe amicam. Hoc docent etiam infinitæ hyſtoriæ, quibus diſcimus hæreticos lubentiſſimè ſecuros; imo etiam & gaudentes, quęlibet ſupplicia adijſſe & expetijſſe. Vt Donatiſtis & alijs compertum eſt. Sic Adæ, & Euæ, vbi

Satanæ adhæſerunt, aperti ſunt oculi: Sic Ionathas, contra patris decretum mel comedẽs, ſibi viſus eſt illuminatus, & hilarior factus eſt. Dolendum igitur eſt nobis propter tantam cecitatem eorum qui mortui gloriantur de vita, atque de doctrina cœna, & qualibet alia profeſſione ſchiſmatica & Satanica exultant, & falſo gaudio inesca ti, & excæcati oblectantur vt collætandum eſt veris Chriſtianis, qui vero & ſpirituali gaudio in communicando uero Chriſti corpore, & alia religione Chriſtianę profeſſione facienda afficiuntur, & ſpiritua liter enutriuntur in Eccleſia catholica. Quod gaudium forſan nunquam perceperunt qui à nobis receſſerũt, eo quod impuri eſſent nec dignè diſpoſiti. Quare propter talẽ indignã perceptionẽ, traditi ſunt in reprobũ ſensũ & ſatanæ poteſtatẽ. Sicut Iudas qui accipiẽs quidẽ panẽ Domini, ſed non panem dominũ factus eſt reprobus: magis interim ſolicitus & diligens, à ſatana irrequieto agitatus in accerſenda ſibi perditione, quàm Apoſtoli in ſalute & vita eterna cõparanda. Sicut hodie videmus hæreticos longè diligẽtiores, & ardentiores catholicis, & pijs Chriſtianis. Quòd mirum non eſt ijs qui in ſcripturis bene verſati sũt. Quos.n. certò deuinctos tenet ſatanas, nõ ita cõcitat, vt pios, ſed delinitos ſecuros eſſe, & vtramque in aũt dormire facit.

Eſaiæ 40. ſcribitur ad hunc modum. *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? &c.* Quo loco abutuntur, qui ex ipſo colligi contendunt nihil prorſus paſtores in eccleſia dei proponere debere, quod non ſcripturis exprimatur. Nam eo loco admonet Propheta Deum eſſe ſapientiſſimum, & potentiſſimum, rerum omnium authorẽ. Et ideo eos apertè falli docet, qui illum truncum idololatricum eſſe affirmant; aut etiam, ut eſt in ſua eſſentia, imagine referri poſſe contendunt. Non autem ullo pacto negat paſtores Eccleſię, Spiritu ſancto afflatos, poſſe aliqua ſcripturis non expreſſa fidelibus ſub pœna peccati obſeruanda, proponere, & pręcipere. Expende locum, & facile apprehendes hęreticorum impium fucum.

In Eſaia cap. 42. ita ſcribitur; *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt ſanctos nec eſſe orandos nec honorandos. Nam alia eſt gloria Dei, & alia gloria ſanctorum. Hoc igitur loco Propheta docet, Dei gloriam non eſſe transferendam ad creaturam, quod efficitur quoties creaturę pro Deo accipiuntur, & honorantur, quod fit apud idololatras, contra quos ſcripſit Propheta, vt docet litera ſequens, quæ ita habet: Gloriam meam alteri non dabo,

&

& laudem meam ſculptilibus. Non ſimpliciter igitur prohibet Deus gloriam tribui creaturis, ſed ſuam, id eſt eam ſummam quæ ſoli ipſi debetur. Quod autem creaturæ ſint honorandæ, & gloria dignæ, docet Paulus his verbis, Gloria omni homini operanti bonum. Et Chriſtus his verbis, Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus. Similibus ſententijs referta eſt ſacra ſcriptura.

In Eſaia 43. ita ſcribitur: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me; & peccatorum tuorum non recordabor*. Quo loco abutuntur, qui ex ipſo colligunt non oportere ſacerdotibus fieri peccatorum confeſſionem, nec ab ipſis petendam abſolutionem. Nā idem Deus qui hoc dixit, poſtea ita Apoſtolis locutus eſt: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Remittit igitur peccata Deus per authoritatem, remittunt etiam Sacerdotes tanquam Dei miniſtri. Quare cum Sacerdotes peccata omnia non noſcant vt Deus qui ſcrutatur corda, oportet ipſis confeſſionem, & accuſationem eorum fieri. Remittit autem ſemper Deus peccata, ſed aliquando ſine miniſtris, cum videlicet eſt caſus neceſſitatis, in quo non eſt facultas aut copia miniſtri: aliquando verò per miniſtros, mediantibus ſacramentis, vt fit in baptiſmo, & in ſacramento pœnitentiæ. Hoc autem pacto nulla iniuria Deo infertur, ſed eius præceptum ſeruatur. Falluntur etiam qui eò quòd dicitur, propter me, colligunt ſolam ſpem, & fiduciam gratiæ Dei, non autem etiam opera pœnitentiæ, & ſatisfactionis requiri vt peccata deleantur. Nam, & ſi ſola Dei gratia peccati culpa remittitur, non tamen ita fit de pęna; propter cuius tollendum reatum, opera ſatisfactoria requiruntur: vt etiam cordis contritio, cum fide, & ſpe, propter diſpoſitionem ad gratiam habendam.

In Eſaia 53. ſcribitur ita de Chriſto: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nihil eſſe patiendum Chriſtiano, ſed ſufficere, & efficax eſſe omnibus, ad remiſſionem omnis culpæ, & pœnæ, Chriſti meritum; quare reijciunt prorſus omnem ſatisfactionem, planeque abominantur indulgentias, tanquam aliquod blaſphemum in Dei gratiam, & Chriſti meritum. Quantopere autem falluntur facilè docet Scriptura ſacra, quæ affirmat ſæpius requiri conformitatem cum Chriſto, in eo omni qui eius meriti particeps eſſe velit; vnde ſequitur ſolam fidem ſeu perſuaſionem, & fiduciam meriti Chriſti, non ſatis eſſe ad luenda peccata, ſed requiri ſacramenta, & ſatisfactionem ſeu punitionem,

& afflictionem quandam ex parte hominum peccatorum. Hoc docent, & exemplo confirmat quicunque Euangelicam pœnitentiam egerunt, vt videre eſt in beato Petro, in beata Magdalena, in Corinthio fornicario, in beato Paulo, &c.

Hic etiam notandum eſt, aliter remitti peccata præcedentia baptiſmum, quæ in ipſo gratis, & quo ad culpam, & quo ad pœnam remittuntur, quia plene iis qui baptizantur, applicatur meritum Chriſti; & aliter quæ illum ſubſequuntur, pro quibus eſt ſatisfaciendum, vt docet Paulus cùm ait, Poſt acceptam notitiam veritatis, & gratiā Chriſti, non relinqui pro peccatis hoſtiam. Pœna igitur toleranda eſt pro peccatis poſt baptiſmum admiſſis, vt ita reſtauremur, & quodammodo efficiamur conformes Chriſto ad participandum eius meritum, in qua pœna, poſt remiſſam culpam luenda, & auferenda, multum faciunt, & iuuant indulgentiæ, quæ fundantur in merito Chriſti, & operibus ſupererogationis ſanctorum qui propter Chriſtum multa paſſi ſunt. Per charitatem autem, & diſpenſationem Eccleſiæ miniſtri, illa merita pœnitentibus erogantur, & applicantur. Hæc autem omnia ex Deo per Chriſtum ad nos perueniunt, diſpenſante miniſtro, qui hominibus corporatis per ſenſibilia, & corporalia gratiam ex Dei ordinatione diſpenſat.

Eſaiæ, 63. ita ſcriptum habemus. *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos, &c.* Quo loco minus intellecto, pernicioſe contra Eccleſiæ membrorum charitatem, colligunt vel ſanctos in cœlis glorioſos quæ circa nos fiunt ignorare, vel pro nobis non orare, vel ſanctos patres ad eorum ſuffragia non recurriſſe. Nam textus diligenter expenſus, docet tantam fuiſſe populi iniquitatem, vt à patribus agniti non ſint, tanquam germana eorum progenies. Hæc ſenſu Ioannis. 8. capite, Chriſtus negat Iudæos eſſe Abrahæ filios. Subiudicat etiam locus, quòd, & ſi in preſſuris ad ſanctos vt nobis apud Deum ſuffragentur confugere religioſe poſſumus, tamen ſemper (& maximè in ſummis afflictionibus) ipſum miſericordiæ, & bonitatis infinitum fontem Deum adire debemus, vt ab ipſo liberemur. Is ſiquidem (ait Propheta) eſt pater noſter cuius in nos charitas ſi conferatur, Sanctorum erga nos dilectio nihil aut parum erit. Ad eum autem per ſanctos circa offenſam, nos accedere poſſe docet idem textus in hæc verba: Domine conuertere propter ſeruos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Cum igitur Eccleſia catholica, quam ſequi, & cui coniungi in profeſſione Chriſtiana omnes tenentur in ſuis orationibus publicis, ſanctorū

Digitized by Google

glorioſorum orationem, & inuocationem proponat, non video quomodo excuſari poſſint à peccato qui ſanctos non orant. Nam tenentur omnes communicare ſaltem publicis Eccleſiæ, pro omnibus factis, orationibus. Hoc cogitent qui etiam Catholici affirmant non eſſe neceſſe ſanctos orare.

Eſaiæ 64. ita ſcribitur. *Et facti ſumus vt immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ.* Quo loco abutuntur, qui inde colligunt hominis Chriſtiani nec meritoria nec iuſta eſſe poſſe opera, ſed ſemper cum peccato eſſe coniuncta. Ideo autem falluntur, quia non attendunt quibus de hominibus illic ſermo à Propheta fiat. Is enim, de corruptis ſui ſeculi hominibus agit, non autem de Chriſtianis, ſicut nec Dauid cum ait ita: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, &c. Ad neceſſitatem igitur, & commendationem meriti Chriſti omnium liberatoris, & redemptoris ſpectat, quod ante ipſum, & ſine ipſo, omnes hominum actiones immundæ erant, nec Deo acceptæ ad uitam æternam, poſt eiuſdem autem paſſionem in ſanctitate, & iuſtitia viuere tota vita ſua poſſunt, & tenentur homines Chriſtiani, per gratiam merito Chriſti in baptiſmo acceptã. Diſtinguenda igitur ſunt tempora, vt intelligantur ſcripturæ. Catholicus autem noſter huius loci intellectus facilè comprobatur, & colligitur ex præcedentibus, & conſequentibus. Sequenti enim capite ita ſcribitur. Dominus vocabit ſeruos ſuos nomine alio in quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Domino amen: & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen; Quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſconditæ ſunt ab oculis noſtris. Ecce enim creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum, in his quæ ego creo. Videto quæ ſequuntur vſque ad finem capitis, & videbitis, quæ ſit differentia noui teſtamenti, & veteris. In hoc enim peccatum vigebat, in illo autem dominatur gratia expulſo peccato.

Eſaiæ. 66. ita dicit dominus: *Cœlum ſedes mea eſt, & terra ſcabellum pedum meorum: Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, & quis locus iſte requietionis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, &c.* Quem locum prauè detorquent, qui ex eo colligunt templa non eſſe conſtruenda, imò etiam eorum conſtructionem Dei gloriæ iniuriam eſſe. Quàm apertè verò ipſi detineantur errore, docet ſcriptura, quæ refert Salomonem Dei iuſſu templum ædificaſſe, illudque

dedicaſſe. Docet Chriſtus ipſe qui templum ſæpè adſit, & ipſius violatores eiecit, dureque puniuit. Cum igitur ſcriptura videtur templa reprehendere non ita accipienda eſt, tanquã templorũ inſtitutionẽ, & legitimũ vſum condemnet, ſed abuſum reprehendit, abuſum dico tã infideliũ quametiam fideliũ. Templo enim abutuntur infideles, cum putant eo includi, & circumſcribi maieſtatem Diuinam, Quæ omnia complet, & continet. Quem errorem deteſtatus eſt Salomon in oratione dedicationis templi, & beatus Paulus Act. 17. Eodem etiam abutuntur fideles, cum impurè in eo verſando illud prophanant ſicut etiam vniuerſum religionis Diuinæ cultum. Hunc igitur abuſum fidelium potiſſimum, hoc loco taxat Eſaias; quod ex eo facile colligitur, quod ſtatim ita ſubiungit: ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Qui immolat bouem quaſi qui interficit virum, &c. Deus igitur, qui templorum conſtructionem, & dedicationem propter caſtæ religionis profeſſionem ſemper approbat, eorundem abuſum & prophanationem damnat, & reprehendit, non autem ipſa templa condemnat. Satanas verò ſuam impuritatem in locis prophanis, & minimè ſanctis conuenienter exerceri ſemper curauit. Hac de re plenius ſcripſimus in tractatu de templorum, & altarium conſtructione, & dedicatione.

EX IEREMIA.

IEREMIAE. 9. cap. ita ſcribitur; *Non glorietur ſapiens in ſua ſapientia, nec fortis in ſua fortitudine, ſed qui gloriatur, in hoc glorietur ſcire & noſſe me, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt ſolam Chriſti iuſtitiam quærendam eſſe, nec de operibus bonis vllam nobis eſſe curam debere, aut etiam in ipſis nullam delectationem capiendam, aut denique ipſa gloria, & commendatione nullatenus eſt digna. Vult enim locus ille nos ſine Deo nihil poſſe, quare ad ipſum ſemper eſſe confugiendum; ipſumque in omni re incœptanda, cogitandum eſſe; non

autem

autem opera noſtra reijcit, quæ paſſim atteſtatur Scriptura Sacra eſſe ad vitam æternam habendam neceſſaria, ipſiſque præmium, & gloriam deberi. De hac re ſatis fusè ſcripſimus in libris inſcriptis, *La maniere di cognoiſtre ſalutajre ment Ieſus Chriſt. &c.*

Ierem. 10. ita ſcribitur: *Scio Domine, quia non eſt hominis uia eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Quem locum deprauant, qui ex ipſo colligunt hominem carere libero arbitrio, nec ſuarum actionum Dominum eſſe, ſicut etiam non aliquid Deo cooperari; hoc autem non vult locus ille, ſed potius docet hominem ſine Deo nihil poſſe. Homo enim poſtquam in peccatum lapſus eſt, ab eo reſurgere, & verè pęnitere non poteſt, niſi Deus ipſum pręueniat. Quo ſenſu ita ſcripſit ad Damaſum B. Hieronymus, Liberum ſic confitemur arbitrium, vt dicamus nos ſemper Dei auxilio indigere. Homo enim libere cooperatur, diuino auxilio præueniente. Vult ergo dicere Propheta: Scio ad correptionem pertinere quod minus abs te adiuuor, vt perfectè dirigantur greſſus mei. Veruntamen noli ſic mecum agere, hoc ipſum tanquam in furore, quo iniquos damnare ſtatuiſti, ſed tanquam in iudicio quo doces tuos non ſuperbire.

Ieremiæ 15. ſcribitur ad hunc modum; *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me non eſt anima ad populum iſtum, &c.* Quo loco abutuntur ignoranter, qui ex eo colligunt ſanctos qui ſunt in cœlis nō orare pro hic mortalibus. Nam præterquam, quod aliud eſt loqui de ſanctis exiſtentibus in lymbo, & aliud de ijſdem in cœlo, nullo modo intendit propheta docere ſanctos pro nobis non orare, ſed nulla ratione Deum placari poſſe; (etiam ſanctis orantibus pro eo) populo in peccato perſeueranti. Nam vt nobis proſint orationes ſanctorum, neceſſe eſt nos eoſdem imitari in fide & obſeruatione mandatorum Dei. Non ergo ait pro populo Samuelem & Moyſen non orare, ſed nec eorum, nec quorumlibet aliorum orationes vtiles eſſe, ijs qui peccare non ceſſant.

Ieremiæ 17. capit. ita ſcribitur: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Quem locum malè intelligunt, qui ex eo concludunt ſanctos non eſſe orandos, aut etiam ab hominibus auxilia petenda non eſſe. Hoc ſiquidem loco admonet Propheta, Dominum Deum numquam eſſe deſerendum, vt contra eius voluntatem, gloriam & ordinationem, ab hominibus, auxilia petamus: vt faciebant Iudæi, qui relicto & comtempto Domini præcepto, ab impijs & idololatris opē poſcebāt, quod facere non poterant niſi recedēdo à Deo

Nos

Nos autem cum ſanctos oramus, & ab ipſis adiuuari petimus, à Domino non recedit cor noſtrum, quia eos oramus, vt nos apud Deum, cui ſunt quam nos gratiores & acceptiores, opitulentur: quare hoc textu nequaquã percellimur, quod fieret ſi ſanctos rogaremus vt beneficij & gratiæ largitores, non autem vt impetratores. Hoc autem non facimus, qui ſcimus à Deo omne bonum eſſe, ſed per humilitatem ſecuti Dei ordinationem ope adiuuari quærimus, quos apud ipſum plurimum poſſe non dubitamus: vt etiam nobis bene velle perſuaſi ſumus qui fratres noſtri ſunt, & in charitate perfecta Deo coniuncti, beatè uiuunt.

EX EZECHIELE.

IN Ezechiele. 18. cap. ita ſcribitur. *Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor.* Quem locum perperam exponunt, qui ex ipſo colligi volunt nullam reſtare ſatisfactionem exoluendam ei qui ad Deum cõuertitur, ſed ad gratiam, & uitam habẽdam ſola cordis contritione vel etiam iudicij ſciẽtia opus eſſe. At toto cœlo errant locum non aſſequendo, & ſcripturæ ſacræ repugnando, quæ ſæpius docet, remiſſa culpa, pœnam exoluendam relinqui. Vult igitur Propheta docere Deum non uelle peccatorum mortem, ſed conuerſionem & uitam, præſcribens interim modum uetæ & ſalutifere conuerſionis ad Deum, quam vult in eo eſſe, vt peccator agat pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, cuſtodiat omnia diuina præcepta, & faciat iudicium, & iuſtitiam. Illa etenim ſunt verba Prophetæ. Miror etiam Catholicos quoſdam, qui hunc locum aliter citant quàm legatur, ita ſcribendo. Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Non enim de ſolo gemitu loquitur Propheta, ſed de operibus pœnitentiæ, & de operibus iuſtitiæ: hæc ſunt enim ipſiſſima eius verba. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea (quod non faciunt qui peccata confiteri, & pro ipſis iuxta Sacerdotum ordinationem ſatisfacere contemnunt) & fecerit iudicium & iuſtitiam: uita

Digitized by Google

ta uiuet & non morietur: omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor in iuſtitia ſua quam operatus eſt, uiuet, &c. Ex hoc loco iudicandū pijs relinquo quàm ſit periculoſum ſcripturis addere aut demere, aut etiam ipſa in citando truncare. Docemur Prouerbiorum primo, quoſdam à Deo veniam & miſericordiam petere, quam non obtinent: quod etiam teſtantur Eſau & aliorum exempla. Agenda igitur pœnitentia, vt eam eſſe agendam in Eccleſia Deus præſcripſit, ſi miſericordiam à Deo conſequi velimus.

Ezechielis 28. cap. ita ſcribitur: *In multitudine negotationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate, & peccaſti, & eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te.* Hoc loco abutuntur, qui ita ex illo colligunt: Deus pœnam minatur mercatoribus, ergo mercatura peccatum eſt. Deus enim eo loco mercatorum peccata & abuſus, non autem mercandi artem damnat, vt litera facilè docet. Nota autem ibi mercatores taxari potiſſimùm, ob mercantiam rerum quæ voluptuariorum libidini ſatisfaciunt: Vide locum, idem reſpondeto locis, qui habentur Marc. 11. & Luc. 19.

EX OSEA.

OSEAE primo capite ita ſcribitur: *Vade, ſume tibi uxorē fornicationum, et fac tibi filios fornicationis.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt fornicationem non eſſe peccatum. Non fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale, docet beatus Paulus, cum ait, quòd Deus iudicabit tam fornicatores quàm adulteros. Et 1. Corint. 6. cùm ait quod fornicarij regnum Dei non poſſidebunt. Verba igitur prophetæ ſunt cum myſterio accipienda: hoc etiam adiecto, quòd Deus iuſtè omnia præcipit, & conſulit: vt etiam Iſraelitas ſpoliare Aegyptios.

Oſeæ 13. ita ſcribitur: *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Quem locum perperam intelligunt, qui ipſo effici volunt hominem nihil cooperari ad ſuam ſalutem, ſed poſſe tantum peccare: nihil prorſus operando, quod ſalute & vita æterna ſit

dignum,

Digitized by Google

dignum. Falluntur autem nec ſenſum Prophetę aſſequuntur,qui eos repræhendit,qui eleuarant cor ſuum, relicto Dei auxilio. Docet igitur eos , non niſi incommoda ſine Deo accipere poſſe,cum ipſo, eos ſemper proſpere , & feliciter acturos .

EX MALACHIA.

MALACHIAE 2. ſcribitur ad hunc modum, *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quem locum prauè detorquēt, qui ex ipſo effici volunt] nihil in Chriſtianiſmo præcipiendum . Nam hoc loco, & ſimilibus, admonetur populus, vt obediat Sacerdotibus & Prælatis ſuis , qui ſapientes, & in lege Domini exercitati eſſe debent vt ſubditos docere poſſint quod ipſis vtile & ſalutiferum eſſe à Spiritu ſancto edocti fuerint , ſiue Scriptura Sacra expreſſum ſit, ſiue non. Hoc docemur ita intelligi debere ex eo quod ſcribitur Deut. 17. vbi præcipitur populo dubitanti de aliquo religionis articulo,adire Sacerdotē, & eius ſententiæ,ac decreto inniti & ſtare , niſi peccare velit. Sacerdotum enim eſt docere , populi autem ipſorum decreta ſequi. Non ſunt enim Sacerdotes, vt homines tantum conſiderandi , ſed vt miniſtri Spiritus ſancti . Nam de ipſis ita dixit Chriſtus : Non eſtis qui loquimini , ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.

EX

Digitized by Google

EX HISTORIA MACHABEORVM.

IN fine ſecundi Machabæorum, qui eam ſcripſit hiſtoriam, petit veniam ſibi concedi: ſi minus dignè ſcripſerit. Vnde volunt nonnulli colligere libros illos non eſſe canonicos, nec eſſe à Spiritu ſancto, à quo videlicet, ſi profecti eſſent, author non peteret veniam. At falluntur, quia hoc eſt modeſtiæ humanæ ſemper ſeſe demittere, quod authoritati Spiritus ſancti nihil detrahit: probabile eſt etiam quòd illic excuſatio fit, non de re quæ deſcripta eſt, ſed de ſermone quo eſt propoſita. Nihil autē prohibet aliquem diuinitus ēdoctum eſſe, qui tamen eloquens non ſit. Dicebat enim de ſeipſo beatus Paulus, quòd imperitus erat ſermone, & ſi non ſcientia, ſimul etiam affirmabat, ſe non predicaſſe in ſublimitate verborum?

EX MATTHAEO.

MATTHAEI primo capite ſcribitur ad hunc modum. *Cùm autem eſſet deſponſata mater Ieſu Maria, Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto.* Quo loco, vt etiam eo qui habetur in fine eiuſdem capitis, in quo ita legitur. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum*, abuſi ſunt impudenter & impiè hęretici, qui opugnarunt Mariæ matris Dei virginitatem perpetuam. Dixit enim Euangeliſta. *Antequam conuenirent*, non vt futuram copulam indicaret, ſed vt rei iam geſtæ miraculum euiden-

tius

tius oſtenderet. Nec enim ex hoc verbo, conſequitur eos aliquando conueniſſe, non magis quàm ex illo: Iudas antequam pœnitentiam ageret, morte præuentus eſt: conſequitur illum poſt mortem pœnitentiam egiſſe. Illud etiam, *Donec*, nequaquam certum tempus hoc loco ſignificat, ſed infinitum: quemadmodum & in illo: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et rurſus in illo, quo de coruo à Noe ex arca emiſſo dicitur, Non eſt reuerſus donec ſiccarentur aquę. Ibidem ita ſcribitur: *Donec peperit filium ſuum primogenitum*. Quo loco ignoranter & blaſphemè abutuntur, qui ex eo colligunt virginem Mariam poſt Chriſtum, alios ſuſcepiſſe filios. Nam primogenitus, phraſi & vſurpatione Hebraica, is dicitur qui vuluam aperit, & ante quem nullus alius eſt genitus. Credamus igitur diuam Mariam perpetuò virginem extitiſſe, & verè Chriſti Ieſu Dei & hominis matrem eſſe: quod indicat Euangeliſta cum ita ait: pariet filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Item peperit filium ſuum. Quomodo enim peperiſſet ipſum, ſi eius vera mater non fuiſſet? Præbuit igitur verè materiam virgo Maria, ex qua ſubſtantia corporis & humanitatis Chriſti eſt diuinitus & miraculoſe à Spiritu ſancto formata: in qua noſter mediator eſt, vt per eius communicationem, diuinitatis participes efficiamur.

Matthęi 4. ſcribitur ad hunc modum. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Quo loco nequaquã ſane intellecto impiè abutuntur, qui ex eo colligunt verbum Dei ſolum, ideſt, prędicationẽ euangelij cum eius aſſenſu per fidẽ & fiduciam in Chriſti morte & Dei gratia, ſatis eſſe ad ſalutem ſine Sacramentis, mortificatione carnis, bonis operibus, & profeſſione externa, in certis traditionibus & ceremonijs per Eccleſiam ordinata & ſtabilita. Nam eo in loco docet Chriſtus, non fructus terræ ex ſe ſed per Dei gratiam habere vim nutricationis, quam poteſt Deus aliter quàm in pane conferre. De alimento autem animæ ſpirituali, non eſt inſtitutus ſermo. Nota autem obiter, quòd vt verbum creaturas, ita os Dei, ipſius potentiam ſignificat. Vt enim ex ore verbum procedit, ita creaturæ ex potentia Dei, qui verbo ſua omnia fecit, dixit enim & facta ſunt omnia.

Ibidem ita ſcribitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*. Quo loco ignoranter & impiè abutuntur, qui ex eo colligunt nec ſanctis, nec eorum imaginibus honorem deferri, niſi cum blaſphemia, poſſe. Nam in eo loco docet Chriſtus, vnum tantum

Deum

Digitized by Google

Deum ſolum eſſe agnoſcendum & adorandum, totius vniuerſi creatorem potentiſſimum, & gubernatorem ſapientiſſimum. Chriſtiani autem, nec ſanctos, nec eorum imagines, Deos eſſe putant, nec quaſi talibus ipſis ſeruiunt, & ſi religioſe & pie eoſdem colunt, & venerantur. Hic ergo nullatenus damnatur pia Chriſtianorum exercitatio in cultu ſanctorum imaginum, reliquiarum, &c. ſed idololatria, per quam ſemper annixus eſt impius ſatanas (cum quo agebat Chriſtus quando hæc protulit) ad ſeipſum transferre ſummum honorẽ & gloriã, ſoli rerũ omniũ creatori & moderatori Deo debitã. Hoc autem in propoſito non parum iuuerit aduertere, quòd ſatanas, Dei ſimia verſipellis & aſtuta, hominum ſalutis aduerſarius & & inſidiator cognitus, ſemper imitari (quo ad pernicioſa ipſius hypocriſis præſtare valuit) tentauit eam religionis, profeſſionis, rationem & formam, quam Dominus Deus ſuis fidelibus præſcripſit. Quod hinc dilucidum fit, quòd gentiles idololatras eas religionis ceremonias obſeruare fecit, quas Deus ſuo populo præceperat, quod ſi perpenderent turbulenti & blaſpemi noſtri temporis hęretici, erubeſcerent (ſi tamen vllo vnquam rubore perfundi poſſunt, qui cauteriatam habent conſcientiam) affirmare Chriſtianos ſuas, tam miſſæ, quàm reliqui pij cultus, ceremonias, à gentilibus & idololatris accepiſſe: quum clarum ſit è contrario factum eſſe. Sicut autem in veteri lege, quæ carnalis erat & cultum habebat externum potiſſimum, ſatanas in rebus talibus ſuam idololatriam poſuit, ita in noua lege quæ eſt ſpiritualis, & in rebus ſpiritualibus cõſumatur, in talibus ſuam idolomaniam exerceri fecit. Hinc eſt quòd quę in veteri teſtamento contra craſſiores idololatras, qui creaturas viſibiles, & opera propriarũ manuũ Deos eſſe putabãt, & vt tales adorabant, dicta ſunt: in noua lege de hæreticis, per quos Satanas (conuenienter ad legem Euangelicam, quæ eſt ſpiritualis) ſubtilius ſuam idolomaniã proponit & fouet, intelligi verè debẽt. Præferunt .n. hæretici à ſatana, propter ipſorũ ſcelera, Deo id iuſtè permittẽte, infaſcinati & deluſi, ſuas inuentiones & priuatas opiniones Deo aliter in Eccleſia Catholica docenti: & tradenti nec verentur (ò deteſtandã idololatria) ſuã ſalutem creaturæ panis, per ipſos polluti, tribuere. Interim etiam (ò cæcitas miſeranda) verum Deum & ſolum ſaluatorem Ieſum Dei & hominum vnicum mediatorem, qui ſolus eſt Deus & homo, quẽ abiecerunt, & reliquerunt impiè blaſphemando in abominanda & planè idololatrica ſua cœnula, & impura compotatiuncula, quam tamen Domini cœnam vocare non timent, adeo ſunt excæcati.

Mat-

Matthæi 5. c. ſcribitur ad hunc modum. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam (excepta fornicationis cauſa) facit eam mœchari & qui dimiſſam duxerit adulterat.* Quo loco prauè expoſito, abutuntur qui ex eo effici volunt licere viro coniugem ſuam adulteram prorſus dimittere, & quo ad thorum & quo ad uinculum, aliam ducendo. Nam hoc non vult Chriſtus, ſed tantum permittit uiro, cuius uxor adulterium commiſit, eam à ſuo thoro, quo ſe indignam tali infidelitate iudicauit, abijcere, vt ſic confuſa puniatur. Hanc autem eſſe Chriſti mentem ipſemet plenius manifeſtum reliquit infra. 19. cap. his uerbis: Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carne una. Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Illam autem dimiſſionem quam permittit fieri propter fornicationem, eſſe tantum debere ratione thori, & non ratione uinculi matrimonij, docet, cum ait, eum mœchari qui aliam ducit uxorem poſtquam ſuam abiecit, vt etiam eum, qui dimiſſam duxerit. Audiamus & Apoſtolum Paulum eandem rē pertractantem. 1. Cor. 7. in hæc verba: Iis qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à uiro non diſcedere. Quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat. An non, cædo, hoc nos in catholica Eccleſia obſeruamus, qui ob adulterium dimiſſos ſic manere, id eſt, abſque alio matrimonio, docemus atque præcipimus, ſemper conſulendo vt reconcilientur? Scimus alibi nempe Rom. 7. docuiſſe eundem Apoſtolum, quòd mulier non poteſt ſolui à lege viri, nec ulla ratione alij nubere, niſi mortuus fuerit uir eius. Quòd ſi aliquando Iudæis hoc permiſſum fuit ad duritiam cordis eorum, hoc nunc debet, nec poteſt fieri, quando uidelicet matrimonium eſt ſacramentum, ſignificans indiuiſibilem Chriſti & Eccleſiæ vnionem, vt docet Paulus Epheſ 5. c. Concludamus ergo cum Auguſtino libro 2. de Adulterinis coniugijs cap. 13. quod matrimonium ſoluit ſola mors coniugis, non in adulterium corruentis, ſed de corpore exeuntis. Si autem uiris hoc uideatur durum & dicant cum Apoſtolis: Quod ſi ita eſt, cauſa hominis cum vxore non expedit nubere: hoc accipiant & meminerint reſponſum, quod laſciua, ferocia & uerſipellia animalia, tum maximè cum in otio & delicijs enutriuntur, non niſi fræno extra domum, atque in domo compedibus, & baculo conſeruari, dirigi, & cohiberi poſſunt. Snnt fateor hinc inde multa incommoda, eaque difficilia: quia matrimonium non diſſoluitur, ſed

profe-

Digitized by Google

profecto longè plura, & multo peiora cerneretur (de quibus non poſſum breuiter dicere) ſi diuortium, & diſſidium vinculi concederetur. Prudenti autem, & diligenti marito, non impoſſibile, aut etiam non ita difficile eſſe puto, efficere, & conſeruare ſibi fidelem coniugem. Verùm, quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Qua enim menſura menſi fueritis remetietur vobis. Viri enim infideles, & adulteri, ſæpe puniuntur per vxores laſciuas, & prolem adulterinam atque ſuppoſititiam.

Ibidem ita ſcribitur: *Nolite iurare omnino, ſed ſit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quem locum perperam exponunt, & prauè detorquent, qui ex illo concludunt iuramentum nullo caſu concedi Chriſtiani, ſed ſemper malum eſſe. Quam malè autem locum illum exponant, fidem faciuut B. Pauli, & ſanctorum aliorum exempla, quos ſæpius iuraſſe ſacra ſcriptura fidem facit, vult igitur Chriſtus, nos iurando aſſiduos, & frequentes non eſſe, ne ita nomen dei ſanctum & terribile vileſcat, aut etiam ne aſſiduitate iurãdi periuremus aliquando, quod graue eſt peccatũ, vt ſcribitur Eccleſiaſtici 23. Aut etiam id cõſulit, quod eſt perfectionis Chriſtianæ, & ad quod contendere debemus, ſcilicet vt ſimpliciter, & non ſimulatè conuerſemur. Iurare autem cæteris adhibitis conditionibus, ſcilicet in iudicio, iuſtitia, & veritate, non eſt malum, nec verbo dei contrarium.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt omnem procedẽdi coram iudicibus formam apud Chriſtianos, reprehenſibilem eſſe. Hoc enim propoſitum (vt etiam multa alia quæ hoc capite proponuntur) vel ad conſilia referri debet, vel ita accipi, vt magis iniuriam patiantur Chriſtiani, quàm inferant, aut etiam compenſent zelo vindictæ: non autem quod zelo iuſtitiæ malum ſit coram iudicibus ius ſuum perſequi. Ad tribunal ſiquidem Cæſaris ſtare voluit Beatus Paulus. Vide ſimilia Lucæ. 22. & 1. Cor. 6.

Matthæi ſexto ſcribitur ad hunc modum: *Te faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera: vt tua eleemoſyna ſit in abſcondito.* Quo loco abutuntur qui ex eo colligunt non eſſe palam, ſed clam dandam eleemoſynam. Nam illis verbis non prohibet Chriſtus fieri eleemoſynam coram hominibus, ſed vanis gloriæ cupiditatem: quæ efficit vt perdatur merces bonorum operum. Cum etiam eodem capite prohibet Chriſtus, ne ſimus ſoliciti in cra-

ſtinum, non damnat rerum ad viuendum neceſſariarum prouiſionem, & curam, ſed anxiam diffidentiam, & nimiam ſolicitudiné, quæ ſpei in Dei prouidentia aduerſatur, & ad diuinorum mandatorum tranſgreſſionem impellit. Sciamus autem iuſtum nunquam fuiſſe à Deo derelictum, id eſt eum qui ſecundum ſuam vocationem ambulat, nec otio torpet: quare ita concludit Dominus, Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & omnia adijcientur vobis.

Ibidem ita ſcribitur: *Tu cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt publicas orationes, & proceſſiones reijci debere. Non enim damnat Chriſtus orationem quæ fit in loco publico, ſed ſiniſtram, & hypocriticam oſtentationis, & gloriæ inanis cupiditatis intentionem. Chriſtus enim ipſe, publicè orauit. Apoſtoli publicè orarunt: & Chriſtus præcepit orationes publicas à populo in Eccleſijs fieri, qui dixit templum eſſe orationis domum. Publicè igitur oremus, ſed intentio tota in Deum feratur, quod eſt patrem in abſcondito, & clauſo oſtio rogare. Sic enim precati ſunt antiqui Patriarchæ, Prophetæ, & ſancti reliqui, cuiuſcunque temporis fuerunt.

Ibidem ita ſcriptum habemus: *Orantes nolite multùm loqui.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt pſalmodias, horas canonicas, & cæteras longas orationes tolli debere ex Chriſtianiſmo, quo etiā referunt locum qui ſcribitur Ioannis quarto in quo dicitur, oportere veros adoratores adorare in Spiritu. Falluntur autem, quia Chriſtus non damnat longas orationes, qui ſæpius pernoctauit in orationibus, ſed eorum ſublatum vult errorem, qui putant ſe exaudiri in multiloquio, quaſi Deus non eſſet vbique præſens, & magis excitaretur ad exaudiendum alta, & importuna orationis voce, quàm cordis humili eleuatione, & affectione.

Ibidem ita ſcribitur: *Sic vos orabitis Pater noſter qui es in cælis, &c.* Quo loco abutuntur, qui inde effici volunt nullam orationem eſſe dicendam præter hanc à Chriſto traditam: quos apertè falli manifeſtum eſt ex eo quod Chriſtus orando non ſemper ea eſt vſus, ſicut nec Apoſtoli. Debemus ergo orare, vt negotijs, & neceſſitatibus noſtris præſentibus conuenit. Hæc autem dominica oratio, frequens, & aſſidua Chriſtianis eſſe debet, tum quia complectitur ea omnia in ſumma quæ à Deo poſtulare debemus, tum etiam quia à Chriſto ſummo doctore, & magiſtro noſtro, compoſita, & nobis

bis tradita eſt.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextra tua.* Quo loco non intellecto, abutuntur, qui ex eo colligunt damnari eleemoſynas quæ publicè fiunt. Non enim reprehendit Dominus eleemoſinas, & alias honeſtas actiones quę publicè fiunt, ſed inanem gloriam quæ in talibus agendis, multorum deprauat intentionem. Velle igitur videri ad inanem gloriam, non autem palam, & publicè honeſtè, & benè agere, damnatur. Cędo enim, quot honeſta, & præclara opera Chriſtus palàm, & publicè fecit? Sed etiam, vt nos doceret fugiendam eſſe inanem gloriam, ſæpius vbi aliquid præclare geſſerat à turba, in loca deſerta ſecedebat.

Matthæi. 7. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filijs veſtris, &c.* Vnde male colligunt non nulli, homines natura malos eſſe nec ipſos aliquid poſſe niſi peccare. Hoc autem quàm ſit falſum, & impium, facilè diiudicabunt, qui conſiderabunt deum feciſſe omnia valde bona Peccatum igitur eſt homini non eſſentiale, & naturale, ſed aſcititium Pulchra eſt hæc beati Chryſoſt. ſententia, lib. de virtuti, & vitijs. ſerm. 9. Si quis natura bonus fuiſſet: certè nunquàm malus effici potuiſſet: contra verò, ſi natura malus nunquam profectò bonus dici debet.

Ibidem ita ſcribitur: *Non poteſt arbor mala, bonos fructus facere, &c.* Quo loco ignoranter & apertè abutuntur, qui ex eo colligunt omnem humanum actum extra gratiam factum, eſſe malum, demeritorium, & etiam peccatum, nec poſſe eſſe vllam præparationem, ex parte hominis, ad gratiam iuſtificantem, ſed magis prouocari iram Dei. Hæc enim falſiſſima eſſe ſæpius docet ſacra ſcriptura, quæ, & ſi docet hominem ſuo libero arbitrio (quod à natura habet, & ita ipſi eſt eſſentiale, vt ſine eo non videam quomodo homo, & eſſe, & dici poſſit) ſolo, & ſine gratia Dei, non poſſe facere opera vitæ ęternæ meritoria tamen paſſim affirmat oportere ipſum concurrere, & diſpoſitionem quandam facere gratię Dei, quæ ſeſe hebet in hominibus, vt ad illam recipiendam diſponuntur. Huc referri poſſunt loci illi: Si credideritis, &c. Si uis ad vitam ęternam ingredi. Item ille, hominis eſt animam præparare. Item, & ille. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & ſimiles propemodum infiniti. Homo igitur, & ſi peccato eſt infirmus poteſt tamen Dei auxilium cogitando apprehendere, deſiderare, liberè recipere, & ei cooperari. Hoc igitur loco, non vult docere Chriſtus nihil eſſe in homi-

ne præter peccatum (quod clarum erit ei qui conſiderabit, quod ſicut locutus eſt de arbore mala, ita etiam facit verba de arbore bona) ſed vnunquemque ita loqui, & operari, vt intus affectus eſt: hoc eſt quod alibi dicit, cùm ait, quòd ex abundantia cordis os loquitur. Item, quod bonus homo profert de theſauro cordis ſui bona, & malus ſimiliter mala. Hæc igitur ſunt intelligenda de hæreticis, qui vt magis fallant, ſpeciem pietatis induunt, ſeſe transfigurant in angelos lucis, & nihil niſi ſanctuli eſſe apparent, quod ſignificat Chriſtus, cùm ait, eos venire in veſtimentis ouium: verum, cùm ſint intus lupi rapaces, & reproba ſit eorum mens, & coinquinatiſſima, vel etiam cauteriata conſcientia, non poſſunt bonos fructus facere, ſed malos. Vnde fit quòd ex operibus, non autem ex verbis, aut ex ſcriptis, quales ſint tandem dignoſcuntur: quòd indicat Chriſtus cùm ait in hunc modum, A fructibus eorum cognoſcetis eos. Hinc ergo diſcamus omnes hæreticos ſummè hypocritas eſſe, ſed non poſſe, quin tandem agnoſcantur operibus proprijs. Illi ſanè ſuo ventri ſeruiunt, non Chriſto, inquit Paulus, & quæ in occulto fiunt ab ipſis, turpè eſt etiam dicere quicquid exterius prætextant pietatis, cuius virtutem abnegant. Hoc qui neſcit, conſideret quæ morum corruptio, quę omnium ſtatuum confuſio, quę denique omnis generis mala, cum hęreſibus initium, & auctionem habuerunt: Hæreſes enim excęcant, & rectam conſcientiam tollunt. Auſim autem affirmare, hęreſes facilè, & quidem facilè excindi poſſe, ſi reijcerentur carnis voluptates, & quæ ad fœdam libidinem apertè ſpectant. Hinc enim turbæ.

Ibidem ſcribitur in hunc modum. *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Quo loco non intellecto, abutuntur, qui ex eo colligunt per doctrinam, & non per vitam, hęreticos dignoſci. Nam hic de vita doctrinę fideli teſtimonio, & comprobatione loquitur Chriſtus. Per vitam autem, & doctrinam diſcerni facilè intelliget, qui animaduerterit ſemper apud hæreticos mores corruptos fuiſſe; & omnia ſchiſmatibus oppleta, & turbata videri.

Matthęi octauo ſcribitur ad hunc modum; *ſicut credidiſti fiat tibi*. Quo loco minus intellecto abutuntur, qui ex ipſo colligunt Deũ ſemper talem inueniri, qualem quiſq; illum ſibi fore perſuadet. Nam dilucidum fit illo in loco agi de curatione pueri Centurionis, quam poſſe fieri etiam abſente Chriſto, credebat Centurio; Talem igitur fidem approbans Chriſtus, dixit hęc uerba. Fiat tibi ſicut credidiſti.

Falſo

Falſo igitur ſibi blandiuntur hæretici cum affirmant ſe non poſſe non conſequi Dei miſericordiam, quia perſuaſum habent eum miſericordem eſſe. Nam, & ſi Deus natura eſt miſericors, non tamen miſericordiam ſuam exercet erga reprobos, qui ad eam diſpoſitione carent, ſed erga ſolos electos qui ipſius mandata ſeruant. Non igitur veram fidem aut ſpem habent reprobi, & hæretici, ſed præſumptione, & inani fiducia tantùm ſeſe decipiunt. Illa autem Dei dona non recipiunt, quia per propria peccata Dei gratiæ obſtaculum ponunt. Sunt igitur neceſſariò emendandi mores corrupti, ſi hæreſes ſublatas voluerimus.

Ibidem ſcribitur, quòd Chriſtus ita dixit cuidam volenti ſepelire patrem ſuum; *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt Chriſtianos nullam habere de ſepulturis curam debere. Nam Chriſtus laudauit factū Magdalenæ, quæ effudit vnguentum ſuper ipſum, dicendo quod ſuam ipſius ſepulturam ita faciendo præuenerat. In ſcriptura laudantur illi qui aromatibus corpus Chriſti condierunt. Commendantur mulieres quæ in hunc finem aromata emerant vt venientes vngerent Ieſum. In veteri teſtamento, omnes ſancti ſummam adhibuerunt ſemper diligentiam, vt ſanctorum defunctorum corpora honorificè ſepelirentur. Ob hoc Tobias etiam Deo placuiſſe dicitur. Quare non eſt putandum, honore ſepulturæ priuanda eſſe ſanctorum corpora. Chriſtus enim hoc loco illud non prohibuit, ſed voluit docere fidem, & religionem Chriſtianam nullam pati neceſſitatem, id eſt, nihil eſſe humanum tam charum, & magnum, quod propter eam relinquere non debeamus. Hoc alibi, & ſi alijs verbis docet idem Chriſtus, cùm affirmat neminem ſe dignum iudicare, qui propter ſe non reliquerit patrem, matrem, ſororem, vxorem, & quicquid chariſſimum, imò etiam qui non ſeipſum abnegarit.

Mat. 9. cap. ita refertur Chriſtum dixiſſe: *Diſcite à me quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Quo loco non minus ignoranter quàm perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt quòd nullum eſt prorſus ſacrificium, nullaque pœna aut ſatisfactio pro peccatis in lege Euangelica, ſed ea quæcunque, & qualiacunque ſint ſola Dei gratia, & miſericordia per meritum Chriſti delentur, & non imputata abſorbentur. Nam clarum, & manifeſtum eſt ex ipſa litera Euangeliſtæ, & ex contextu prophetæ Oſeæ 6. cap. vnde hoc deſumptum eſt a Chriſto, illic ſermonem eſſe inſtitutum de

operibus miſericordiæ; (quale erat conuiuium quod faciebat Chriſto Matthæus) quæ Deus magis exoptat, & ab hominibus requirit, quàm victimas, & ſacrificia animalium. Hoc indicat Dauid his verbis Pſal. 50. Si voluiſſes ſacrificium dediſſem: vtique holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non deſpies. Item loquens de tempore legis Euangelicæ, & ſignificans Eccleſiam per ædificationem murorum Ieruſalem, ita ſubiungit. Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, &c. Illud ipſum fuiſſe docetur Eſaiæ 1. cap. Prefert ergo hoc loco Chriſtus conuiuium ex miſericordia, & charitate factum ſibi à Matthæo, ſacrificijs Phariſæorum (quæ faciebant, & quibus veſcebantur ſine cordis puritate, & miſericordia) qui illud conuiuium reprehendebant. Oſtendit quoque Chriſtus, ſe officioſè facere, manducando cum peccatoribus: quia videlicet eſt medicus, qui venit vt ægrotos, peccatores ſanaret. Non vult igitur tolli omninò in lege noua ſacrificium, qui in ea obtulit ſummum, & Deo acceptiſſimum ſeipſum in cruce ſacrificium, quod in ſua Eccleſia ſemper frequentari, & cum gratiarum actione (quod ſit in miſſa ſacratiſſimo legis Euangelicæ ſacrificio) recoli iuſſit: qui etiã omnes Chriſtianos fecit Sacerdotes, vt offerant Deo accepta ſacrificia ſcilicet ſeipſos, mortificando deſideria carnis; vt docet Paulus Rom. 12. (Quæ ſacrificia Euangelicæ legis perfectè fiunt à veris religioſis qui offerunt Deo accepta holocauſta, ſeſe totos in anima, & corpore ipſi deuouendo, & conſecrando, per vota paupertatis, obedientiæ, & perpetuæ continentiæ) ſed docet hominum opera bona, ex miſericordia, & charitate propter ipſum erga proximum facta, eſſe Deo acceptiora quàm ſacrificia beſtiarum, quæ deſideriorum carnalium mortificationem figurabant, & ideo erant tollenda, homine iuſtificato, & reparato, quia videlicet non iam beſtias, ſed ſe ipſum Deo offert per Chriſtum. Quòd autem non ſit fidendum Dei miſericordiæ, & Chriſti infinito merito, ijs qui perſeuerant in peccatis tempore legis Euangelicæ, teſta ius eſt quàm vt probari debeat: tota videlicet noui teſtamenti ſcriptura eo ſpectante, vt doceat ſanctè eſſe viuendum Chriſtianis, quia Chriſtus ſanctus nos vocauit in ſanctificatione, & non in immunditiam, quam qui repetierint, & ſecuti fuerint, ſemel gratis mundati, grauius punientur quam alij infideles. Hoc docetur apertiſſimè Heb. ſexto; & decimo, vt etiam 2. Pet. cap. primo. Libertas igitur Chriſtiana, quæ ſpiritualis eſt, & non carnalis: eſt poteſtas iam non peccandi, non autem

autem peccatorum velamen, qualem eam ſibi perſuaſerunt eſſe carnales, & libertini, delitijs excęcati, & miſerrima Satanæ mancipia. Quare fruſtra ſperant ſalutem per mortem Chriſti, & Dei miſericordiam, quæ eſt parata ijs tantum qui timent Deum, & non in peccatis perſeuerant. Nam Deus odit iniquos, & iniquitatem, quam vt deleret, vſque ad mortem crucis ſeipſum humiliauit. Venit ergo vocare peccatores, non quidem ad ſalutem, ſed ad pœnitentiam. Nam per viam ſalutis non tranſibit pollutus: nec in ilam ſanctam ciuitatem aliquid coinquinatum intrabit. Peccatores autem ſi peccatis purgati fuerint, & ſanctè vixerint, ſalutem conſequentur verè iuſti effecti: iuſtitia non tantum imputata, ſed inhærente, & inexiſtente. Quum igitur vocentur ad pœnitentiam peccatores, vt per eam iuſti effecti ſaluentur, ſuſtinere debent pœnam peccatis debitam, vt ita Chriſto patienti conformes facti, eius meriti participes efficiantur, & tandem ſaluentur ex hac pœna pro peccatis exoluenda, fundamentum habent ſatisfactiones, purgatorium, & indulgentiæ. Certum eſt enim ex ſcriptura ſacra, gratis remiſſa culpa, ſæpius relinqui pœnam exoluendam, & tollerandam, neceſſariò: ſicut etiam neceſſe eſt ſeruari ſanctitatem in baptiſmate acceptam, ambulando cum Chriſto in albis, ſi per eius meritum ſaluari volumus. Hoc indicat beatus Apoſtolus his verbis Heb. 3. cap. Videte fratres, nequando ſit in aliquo veſtrum cor malum, incredulitatis diſcedendi à Deo vero: ſed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque in finem firmum retineamus, &c. Hæc fusè tractauimus in libello cui titulum fecimus, *La maniere de cognoiſtre ſalutairement Ieſus Chriſtus*. Conſulet, & inde petet quæ hic ſubticemus qui volet.

Ibidem ſcribitur in hæc verba: *Fides tua te ſaluum fecit*. Item, *ſecundum fidem veſtram fiat vobis*. Quibus locis, & ſimilibus abutuntur, qui ex illis colligunt opera nullam prorſus habere commendationem apud Deum. Falluntur autem, quia etiam hi homines, quorum fidem videmus a Chriſto commendatam, opera habuerunt; vt cognoſcamus nunquam fidem, quæ renuit opera commendari in ſacra ſciptura, ſed eam tantum, quæ per charitatem operatur. Exemplo ſint hi, de quibus hoc capite agitur: exemplo ſit Magdalena: exemplo ſit bonus latro, qui bona multa eſt operatus Chriſtum honorando, ſocium increpando, & alia multa faciendo.

Ideo autem valde commendatur fides, quia eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & fundamentum totius boni: ſine qua homo non poteſt bona, & meritoria opera facere, ſicut nec arbor radicibus carens, fructus producere: vel etiam, quia non tam facilè fuit ipſam fidem humanis mentibus inſerere à principio: quare oportuit illam quaſi magis commendari, & frequentius prædicari quàm bona opera, quæ omni ſeculo Philoſophi laudarant, & docuerant. In Chriſtianis autem vt ſaluentur; neutrum ſine altero prodeſt. Habeamus igitur fidem per charitatem operantem, quam formatam dicunt theologi, ſi ſaluari volumus.

Matthæi decimo capite, ita Chriſtus dicebat Apoſtolis: *Nolite poſſidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, &c.* Quem locum manifeſtè deprauant, qui ex ipſo colligunt in Eccleſia nullas prorſus eſſe debere diuitias, ſed pauperes omnes ſacerdotes, & Eccleſiaſticos eſſe debere. Falluntur autem, quia quando Chriſtus hoc dixit, non ideo dixit, quòd egeni, & pauperes eſſe debeant Eccleſiæ, & verbi Dei miniſtri, (alioquin quomodo hoſpitalitatem ſecundum aliam ſcripturam exrcere poſſent?) ſed vt duo doceret: prius eſt quod ipſemet ſubiunxit, quia dignus eſt operarius mercede ſua: & vt ait Paulus: Is qui cathechizatur, debet communicare in omnibus bonis ei qui ſe cathechizat. Poſterius verò eſt, quòd nemo militans Deo, debet ſeſe implicare negotijs ſecularibus. Nemo enim poteſt ſeruire Deo, & mammonæ: vnde legimus Apoſtolos, qui orationibus, & prædicationi verbi Dei ex officio inſtantes eſſe volebant, diaconos elegiſſe, & inſtituiſſe, qui bonorum temporalium curam haberent, & gererent. Virtutum igitur inſtrumenta diuitiæ in Eccleſia retineantur, & conſeruentur, ſed per bonos, per fideles, & idoneos percipiantur, & diſpenſentur, reiectis fucis ignauis, qui fruges conſumere, & tantum deliciari, torpeſcere voluptuarique ſunt nati. Semper enim exiſti maui Eccleſiæ depauperationem, non eſſe eius reformationem, ſed certam euerſionem. In omni enim militia, neruus eſt pecunia. At Eccleſia, imò totus chriſtianiſmus, militia eſt. Sed hinc fundi noſtri calamitas, quòd abominatio deſolationis ſedet in loco ſancto, & tamen quotus quiſque id cogitat? aut ſi forſan cogitant aliqui, quis audet, vel etiam ſolo verbo, & conſilio mederi Eccleſiæ languefcenti? manus Domini eſt, quia folia ſicca, & decidua nos perterrefaciunt. Erubeſcant miniſtri verbi Dei ſi hoc non vident: Si autem vident & tacent, væ ter quaterque ipſis. Neſcio

etiam

Digitized by Google

etiam ſanè quid cogitant principes & magiſtratus, tam cognitos & pernicioſos abuſus tollerando. Cur enim ſcientes volenteſque miſeri ad abuſus fucorum intolerabiles, pernicioſiſſimè conniuendo peribibus?

Ibidem ita ſcribitur. *Vnus paſſer non cadet ſuper terram ſine patre veſtro, & veſtri capitis capilli omnes ſunt numerati, &c.* Vnde male colligunt nonnulli omnia neceſſariò fieri, nec vllam eſſe humanarum actionum libertatem. Quod quàm ſit abſurdum, luce ipſa lucidius eſt. Alioqui enim, quare Deus tot ſcripturas dediſſet, tot præcepta feciſſet, & tot magiſtratus rectoreſque dediſſet? Aſſerit igitur Chriſtus, vniuerſalem Dei de rebus omnibus prouidentiam, cui inniti debent qui grauia ſuſcipiunt onera, quæ ſine Dei auxilio exequi non poſſunt: cuiuſmodi maximè ſunt miniſtri verbi Dei, id eſt Eccleſiæ prælati, quos illic alloquitur Chriſtus.

Ibidem ita dixit Chriſtus. *Non veni pacem mittere, ſed gladium,* Quo loco ignoranter abutuntur illi, qui ex illo colligunt licitum eſſe eos qui credere nolunt ei, quod ſibiipſi perſuaſerunt eſſe Euangelium, interficere. At toto cœlo errant, quia Chriſtus ibi non loquitur de armis carnalibus, ſed de ſeparatione ab infidelibus, quicunque ſint illi. Senſus ergo loci eſt neminem tam charum & neceſſarium nobis eſſe, quem deſerere propter Chriſtum, & eius fidem, non debeamus, non quia miniſtri Eccleſiæ & verbi Dei, quorum ex beato Paulo, Arma nõ ſunt carnalia, ſed ſpiritualia impetu & necead ſuã recipiendã doctrinam aliquem cogere debeant. Non nego tamen interim eſſe principium ſecularium Chriſtianorum, fidem & religionem chriſtianam armis contra ſeditioſos hæreticos defendere. Eo enim uocantur, & eo fine in ipſorum inauguratione, à miniſtro Eccleſiæ gladium accipiunt, ad cuius nutum & conſilium illum ſtringere & vibrare debent. Miniſtri autem verbi Dei, gladium nec in manu nec in ore, nec etiam in corde habere debent. Cogere autem debent Chriſtiani principes, eos qui promiſerunt ſe ſeruare religionem catholicam, eandem profiteri, non autem id poſſunt facere, quibus nihil promiſimus, hæretici. Illi enim in noſtra Eccleſia baptizati, iurarunt, & promiſerunt ſe obſeruaturos noſtram religionem catholicam, quod numquã ipſis promiſimus de ſua. Quare nos iure illos cogere, vt ſeruent quod promiſerunt poſſumus, illi autem nos non poſſunt cogere, quippè qui ipſis nihil unquam promiſimus, ſed potius ipſos, & eorum abominationes ſemper deteſtati ſumus.

Mat-

Matthæi. 11. ſcribitur ad hunc modum. *Venite ad mè omnes qui laboratis & onerati eſtis, &c.* Quo loco nullatenus germane intellecto abutuntur hæretici, qui ex eo colligunt ſolum Chriſtum adeundum & rogandum eſſe, pro obtinenda peccatorum remiſſione. Hoc enim nequaquam docet Chriſtus, quem refert ſcriptura ſacra dediſſe Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata, aut eadem retinendi, vt ſcribitur infra. 16. c. & Ioan. 20. non etiam perſuadere intendit, nulla ab hominibus in poteſtate conſtitutis, data præcepta ſeruari debere: ſed monet ſine ipſo, & eius fide atque obeditione, neminem ad Deum acceſſum habere, nec eundem verè & ſalutariter cognoſcere. Vnde conſtat quòd extra Eccleſiam catholicam (in qua ſola veritatis doctor Spiritus ſanctus, manet & habetur) non poteſt eſſe cognitio Dei ſalutaris. Humanas namque ſcientias ſolum tenent, conſectantur & proponunt hæretici diuina & ſalutari cognitione prorſus deſtituti.

Matthæi. 13. ita ſcribitur: *Sinite creſcere zizania vſque ad meſſem.* Quem locum ignoranter & prauè in exoticum ſenſum detorquent, qui ex eo colligunt hæreticos non eſſe puniendos, ſed ſemper tolerandos, quicquid dicant & faciant. Nam manifeſtum eſt ex ipſo textu Chriſtum non ſimpliciter prohibuiſſe hæreticos puniri, qui toties in ſcripturis eos interfici præcipit, & ſuo ſpiritu animauit ſuos electos ad ipſorum internetionem, vt videre eſt Deuteron. 13. & 17. 3. Reg. 18. 1. Machab. 1. & 2. cap. & alibi ſæpius, ſed præcepiſſe adhiberi ſummam cautionem, ne ſimul triticum eradicetur. Hoc enim periculo ſublato, vtiliſſimum eſt hæreticos puniri & excidi, vt uidelicet expurgato ueteri, & arido eorum doctrinæ fermento, tota maſſa & congregatio fidelium ſincera conſeruetur. Tum enim eſt meſſis quam vult expectari Chriſtus, quia uidelicet ſatis diſcernuntur, & tales eſſe, id eſt hæretici, & obſtinatè Deo in Eccleſia repugnare cognoſcuntur. Secuta eſt igitur ſemper hoc Chriſti præceptum Eccleſia Catholica, quæ pro ſuſpicione ſola hęreſeos, neminẽ tolli uoluit, ſed rebelles & exoticã doctrinã inuehentes, etiã poſtquã edocuit & ſępius admonuit, reſecuit: & ſeditionis, rebellioniſque ergo, principibus & magiſtratibus Chriſtianis (qui debent ea potiſſimũ punire, & reprimere quæ fiunt contra Deũ, & eius religionem) puniendos tradit & permittit. Quem ſanè procedendi modum, nemo rectæ mentis repręhendet, ut etiam non poterit dubitare hæreticos contra hoc Chriſti mandatum facere, quando prætextu tollendorum abuſuum qui in Eccleſiam irrepſerunt, neſcio qua furioſa

vio-

violentia, vniuerſa quæ ſunt religionis Chriſtianæ funeſtant & euertunt, quod eſt triticum à domino Deo ſeminatum, eradicare. Eſt autem retinenda inſtitutio quæ eſt à Spiritu ſancto, ſublatis ſuperſtitionibus & abuſibus humanæ inſolentiæ, & imperfectionis. Docet etiam hęc parabola, ſemper in hac uita fore malos cum bonis mixtos.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Item: *Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei, &c.* Quo loco perperam intellecto abutuntur, qui ex illo effici volunt quoſdam credere, & bene agere non poſſe, quia videlicet Deus eos reprobauit: & ita illuminare nolit. Nam qui nec credunt, nec benè & laudabiliter uiuunt, non ſunt tales, quia Deus eos velit veritate & iuſtitia priuari, (Deus enim vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire) ſed quia ſibi & non Deo uiuere elegerunt, & conſueuerunt. Vnde factum eſt, quòd Deus iuſtus iudex, qui in multa patientia ſuſtinet uaſa iræ, tradidit illos in reprobum ſenſum, non quidem immittendo in illos malitiam, ſed iuſtiſſimè illos priuando Spiritu ſancto, electorum directore. Illo autem deſtituti, credere & bene agere non poſſunt. Deus igitur non eſt mali ſiue peccati author: ſed illud ſemper punit ſua iuſtitia: vt per gratiam, & miſericordiam omne bonum remunerat.

Matthæi. 15. ita ſcribitur: *Populus hic labijs me honorat.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt cantum Eccleſiaſticum, & omnes orationes vocales, repręhendi. Nam textus indicat manifeſtè Chriſtum non repręhendere ſimpliciter orationem vocalem, ſed eam tantum quę non proficiſcitur ex puro & deuoto corde. Hoc enim indicat id quod ſequitur in hunc modum: Cor autem eorum longe eſt à me. Corde igitur & voce orandum eſt, & ſi à corde præcipuè proficiſci debet oratio, vt Deo ſit grata. Is enim intuetur cor, & cum ſit ſpiritus, vult ſpiritu orari & adorari.

Ibidem ita ſcribitur. *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Itęm, *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*: quibus locis nimium apertè abutuntur, qui ex illis colligunt omnes ceremonias & traditiones Eccleſiaſticas eſſe reijciendas: Omnem etiam cultu religionis reprobandum, quem Deus non expreſsè præcepit in ſcripturis ſacris. Non enim de honeſtis, iuſtis, Eccleſiæ utilibus, & verbo Dei conſentientibus ceremonijs & traditionibus, ſanctorumque Conciliorum Decretis, illic agit Chriſtus, ſed de doctrinis impuris & iniuſtis, quas

contra

Digitized by Google

contra rationem rectam, & Dei præceptum, homines auari populo propoſuerant: cuiuſmodi erat, quòd quicunque bona ſua daret templo, eximeretur à ſubuentione egenorum parentum: quod planè aduerſatur Dei verbo & rectæ rationi, ut docet Chriſtus: quare & ipſum reprehendit, & quæ ſunt eiuſmodi omnia humana inuenta, non autem vllo pacto ceremonias, & traditiones Eccleſiaſticas, aut quemlibet dei cultum legitimum, & ſanctam fidei & religionis Chriſtianæ profeſſionem. Videtur enim Actuum. 15. & 2. Theſſalon. 2. & alibi ſæpius, quanta cum reuerentia retineri & obſeruari debent ceremoniæ, & traditiones Eccleſiaſticæ. Hic locus etiam nulla ratione percellit ſinceram vitæ monaſticæ profeſſionem, quam Deum plantaſſe ſatis cognoſcunt, qui legenda ſcriptura ſacra, paſſim comperiunt illam eſſe modum ſeu ſtatum perfectionis acquirendæ, & tutam ſecuramque (ſi verè obſeruetur) uitæ æternæ ſemitam. Hoc manifeſtè docetur Mat. 19. & 10. Luc. 9. Actuum. 4. 1. Cor. 7. & alibi ſępius. Reprehendit ergo illic Chriſtus omnem cultum hypocriticum, qui tum eſt cum exterius ſolum Deo ſeruitur. Talem namque plantationem non plantauit, nec amat, ſed reſpuit pater cœleſtis, qui ſpiritus eſt. Et ita quærit veros adoratores, qui illum adorent in ſpiritu & veritate. Timendum eſt autem ne eradicemur, qui Deo ex corde non ſeruimus.

Ibidem ita ſcribitur: *Quod intrat in os non coinquinat hominem.* Quo loco apertè, & perniciosè abutuntur hæretici gaſtrolatrę, qui ex eo effici volunt nullum eſſe peccatum cuilibet homini quolibet die veſci, quolibet cibo, contra quodlibet etiam Eccleſiæ præceptum. Nam certum & dilucidum eſt Chriſtum in hoc loco, non loqui de cibis prohibitis, quos numquam permiſiſſet edere ſuis Apoſtolis, cùm eſſet legis obſeruantiſſimus, ſed de quibuſdam ſuperſtitioſis manuum lotionibus, inter epulas Iudæorum ſuperſtitioſorum ſæpius repetitis, quæ ſiue fierent, ſiue non fierent non idcirco coinquinabatur conſcientia. Quare merito eos repræhendit Chriſtus, qui condemnabant ipſius Apoſtolos propter prætermiſſas eiuſmodi indifferentes ablutiones, quas ad ciuilitatem, & non ullo modo ad religionem retulerim. Manducare igitur lotis uel illotis manibus, hoc nihil ad conſcientiam, quæ re externa & corporata, à qua non attingitur, coinquinari non ualet. Secus autem longè eſt manducare cum tranſgreſſione alicuius pręcepti Dei in Eccleſia, quia hoc coinquinat hominem, cum illa à corde pręfracto & non obediente procedat. Sola igitur eſt tranſgreſſio præcepti quæ

ſpiri-

ſpiritualis eſt, & à corde procedit, quę coinquinat hominem, non autem cibus, cum omnis Dei creatura ſit bona natura & eſſentia ſeu creatione ſua. Videndum eſt autem, vt ſumatur cum Dei ordinatione, quam puto beatum Paulum appellare gratiarum actionem, ſine qua aut contra quam non ſumitur abſque coinquinatione, vt docemur in Adamo qui coinquinatus fuit eſu pomi uetiti. Notandum eſt autem hoc loco Deum qui ſcit hominem appetentem eſſe uoluptatum uentris, vtraque ex parte, omni tempore ab ipſo expetijſſe obedientiam, in eo ad quod illum natura pronum eſſe cernebat, vt ſic maius illius eſſet & obſequium & meritum. Inde etiam forſan factum eſt, quòd Deus ſemper grauiſſimè puniuit peccata gulæ & luxuriæ. Hæc aduertant qui Deo magis in ſalutem, quàm uentri ſuo, in propriam perniciem ſeruire volunt.

Matthæi decimo ſexto ita ſcribitur: *Super hanc petram ego ædificabo Eccleſiam meam.* Quo loco malè intellecto abutuntur, qui ex illo colligunt Papam id eſt primum Eccleſiæ Chriſti miniſtrum malè dici caput ſeu fundamentum Eccleſiæ, quia videlicet (aiunt illi) Chriſtus dixit ſuam Eccleſiam fundandam ſupra ſeſe, qui eſt Petra. Nam manifeſtum eſt ex litera ipſa, Chriſtum promiſiſſe beato Petro priuilegium & officium excellens in ſua Eccleſia, in compenſationem confeſſionis quam fecit de eius Diuinitate, humanitati perſonaliter & inſeparabiliter coniuncta. Quorſum enim ſpeciatim adiunxiſſet, ſe ipſi daturum claues regni cœlorum? Et ſi igitur ſolus Chriſtus verè & propriè eſt Eccleſiæ caput & fundamentum, qui eam ſuo ſanguine lauat, & purificat, quique ipſius unicus eſt ſponſus, & eandem ſuo ſpiritu fouet, & omnipotenti uirtute ſua ſuſtinet & firmat: tamen cum in cœlos conſcenderit, nec uiſibiliter in ea nunc aliquid miniſtret, operæ prætium & neceſſarium eſt in ipſa eſſe aliquem miniſtrum uiſibilem, qui eius uices ſuppleat, & hominibus corporatis corporaliter, & ſenſibiliter Diuina, & ſacra, per corporata, & ſenſibilia miniſtret. Talis fuit primus Beatus Petrus, cui, & ſi reliqui Apoſtoli in Apoſtolatus uocatione, & verbi Dei prædicatione pares erant, ipſo tamen in regenda Eccleſia inferiores fuerunt. Hoc dilucidum fit ex Actuum Apoſtol. in quibus ſcribitur, in Apoſtolorum conſeſſibus, B. Petrum primum loqui ſolitum, quod ita minimè feciſſet, niſi à Domino in primatum miniſterij ſe uocatum cognouiſſet. Hoc confirmat hic locus, vbi ſpeciatim dictum eſt ei, Dabo tibi claues regni cœlorum: is qui ſcribitur Luc. 22. Vbi ita dicitur: Rogaui pro te

Petre, vt non deficiat fides tua: tu ergo conuerſus, confirma fratres tuos: vt etiam is qui ſcribitur Ioan. 21. cap. vbi poſtquam eum Chriſtus ter interrogauit, an ſe plus quã alij diligeret, dixit ipſi: paſce oues meas paſce agnos meos. In Eccleſia igitur ex ordinatione Chriſti, quæ eſt ordinatiſſima, eſt quidã primus & pręcipuus miniſter eius uicarius, quem qui non agnoſcunt, Chriſtum, qui hanc ipſi delegauit poteſtatem, rectè agnoſcere non poſſunt. Qui enim miſſum à Deo ſpernit, Deum ipſum ſpernere aſſerit ſacra ſcriptura. Nulla quoque illorum eſt ratio, qui dicunt ſummos pontifices falsò gloriari de tali prælatura, quia dictum eſt, TIBI, non autem adiectum eſt, & ſucceſſoribus tuis. Nam talis poteſtas & adminiſtratio, data eſt ipſi Petro, non propter ipſum, ſed propter Eccleſiam, quæ cum duratura ſit vſque ad finem mundi, certum eſt talem poteſtatem & adminiſtrationem in ea requiri, non minus quàm tempore Apoſtolorum. Semper enim ouibus opus eſt paſtore, ignaris doctore, & infirmis directore atque gubernatore. Falluntur etiam & perniciosè locum iſtum exponunt, qui per claues, ſolam Euangelij prædicandi poteſtatem intelligunt. Nam hoc loco, agitur de poteſtate dimittendi vel retinendi peccata, conſcientias iudicando. Hanc quippè iudicij poteſtatem, quam à patre Chriſtus accepit, hic ſe delegaturum & traditurum Apoſtolis promittit: quam etiam poſt reſurrectionem exhibuit, vt ſcribitur Ioan. 20. his verbis, ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM: QVORVM REMISERITIS PECCATA REMITTVNTVR EIS, &c. Sunt igitur diligenter expendenda verba illa Chriſti: Tu es Petrus & ſuper hanc petrã, ædificabo Eccleſiam meã. Quibus docemur quòd in compenſationem, quia beatus Petrus primus fecit illam confeſſionem Diuinitatis & humanitatis Chriſti in qua confeſſione fundatur religio Chriſtiana & Eccleſia, is accepit eam à Chriſto poteſtatem atque dignitatem, quòd primus inter eos eſt habitus qui eam confeſſionem ad fundandam Eccleſiam prædicarunt. Ideo enim dicitur Petrus: & ſuper talem petram, Eccleſia ab ipſo fundata eſt: vt videlicet præcipuus, & primus eſſet promulgator eius confeſſionis, quæ ei primo à Deo reuelata eſt. Notatu tamen interim dignum eſt (meo quidem iudicio) quòd etſi ſummus Pontifex odiernus, ſucceſſit beato Petro in poteſtate adminiſtrandæ Eccleſiæ, non tamen in apoſtolatu, qui in eo conſiſtit, quod ad fundandam ſine reſtrictione Eccleſiam, à Chriſto ipſo miſſi ſunt duodecim, qui idcirco Apoſtoli ſunt vocati. Hoc autem quia etiam beato Paulo conceſſum fuit, ideo Apoſtolus meritò dicitur. Cer-

tum

tum eſt igitur nec ſummum Pontificem, nec alios Epiſcopos dici poſſe Apoſtolos. Hi enim per hominum electionem & manuum impoſitionem mittuntur. Nec ſanè illis calculum meum addiderim, qui affirmarent Epiſcopos noſtros non à Papa, ſed à ſolo Chriſto immediatè mitti & pendere: etenim ſi unus non ſit in Eccléſia miniſter cui omnes obediunt Chriſtiani, & à quo reliqui Chriſtiani mittantur & dependeant, non ſatis ſanè video qua ratione Eccleſia Catholica vna poſſit dici. Apta eſt huic propoſito figura quæ præceſſit in communicatione Spiritus ſancti, qui erat in Moyſe. Facit etiam ad rem quòd beatus Paulus ſcribit Timotheum accepiſſe gratiam Epiſcopatus, per impoſitionem manuum ſuarum.

Matthæi. 17. ita ſcribitur: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui: ipſum audite:* Quo loco abutuntur qui ex ipſo colligunt, nihili facienda eſſe quæ ab hominibus ſunt tradita, ſed ſolum Chriſti Domini verbum recipiendum. Nam quæ tradunt & præcipiunt Eccleſiæ paſtores, hæc dicitur præcipere & decernere Chriſtus, qui de illis ita dixit: Qui uos audit, me audit: & qui uos ſpernit, me ſpernit. Quæ igitur Apoſtoli & poſtea legitimè ordinati eccleſiæ Paſtores, in Concilijs generalibus ſanxerunt, hæc dicitur Chriſtus ſanxiſſe: in cuius Eccleſia, à Spiritu ſancto edocti & impulſi, talia decreuerunt. Vnum igitur Chriſtum doctorem Eccleſiæ audimus in Eccleſia per Apoſtolos, & alios paſtores loquentem: ſicut ipſe eſt pollicitus.

Matthæi. 18. ſcribitur in hunc modum: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipſum ſolum*: Quem locum malè accipiunt, qui ex eo colligunt hæreticos fidem corrumpentes deſerendos non eſſe, ſed tantum ſecretè admonendos. Nam illic Chriſtus, fratris correptionem omnibus curæ eſſe debere, citra illius ſcandalum & offenſionem docet, quatenus reſpublica nihil detrimenti accipit; aliter enim, non eſt neceſſariò obſeruandus hic progreſſus. Non legimus enim quòd Chriſtus ſecretè admonuerit Scribas & Phariſæos, quos tam acerbè coram populo reprehendit & increpauit: vt ſcribitur Matth. 23. nec etiam quòd hunc proceſſum ſeruarit erga illos, quos flagello ex templo eiecit. Mat. 21.

Mat. 19 ſcribitur in hunc modum. *Vnus eſt bonus, Deus*. Quo loco prauè intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt neminem bonum & iuſtum eſſe, aut dici debere. Nam Chriſtus non vult hic negare ſe bonum & iuſtum eſſe, aut etiam alios bonos & iuſtos eſſe poſſe, ſed omnem bonitatem ad Deum tanquam ad cauſam & princi-

pium,

Digitized by Google

pium, referri debere.

Ibidem ita ſcribitur. *Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata*. Quo loco perniciosè abutuntur, qui ex ipſo colligunt conſilia & omnia humana præcepta reiici debere tanquam auocantia à libertate Euangelica: quia ibi vt etiam infra. 22. Chriſtus viam ſalutis æternæ docens & aperiens, nihil adiecit de traditionibus, ceremoniis, & quibuſlibet aliis humanis decretis. At ſuam aut ignorantiam aut malitiam apertè produnt, ſcripturam truncantes, quæ alibi talia plurimum comendat: vt videre eſt in progreſſu eiuſdem capitis, in quo paulò infrà ita dicitur. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis: & veni, ſequere me. Cedo autem, hoc eſt conſilium an præceptum? conſilium ſanè eſt.

Matthæi 20. ſcribitur quòd *primi erunt nouiſſimi, & nouiſſimi primi*: Item quòd *ſinguli acceperunt ſingulos denarios*. Quo loco abutuntur, qui inde colligunt nullam eſſe diſtinctionem gloriæ in beatis, nec vllum operum meritum. Nam quòd ſit operum meritum, docet idem locus, vbi ita ſcribitur: Voca operarios & redde illis mercedem. Quòd autem ſint diuerſi gradus gloriæ beatorum, docet Paulus. 1. Corint. 15. quando ait, quòd ſicut ſtella differt in claritate, ita erit reſurrectio mortuorum: hoc etiam docet Euangeliſta qui ait, in domo Dei multas eſſe manſiones. Vult igitur docere hoc loco Chriſtus non eſſe noſtrum Dei opera ſemper iuſtiſſima reprehendere, aut de ipſo conqueri vllo pacto, qui eius gratię nos & noſtra omnia debemus. Non enim eſt inuidẽdum gratiæ alijs conceſſæ, ſed de ipſa collætandum.

Ibidem ita ſcribitur: *Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt poteſtatem exercent inter eos. Non erit ita inter uos*. Quo loco perperam detorto, abutuntur, qui ex ipſo colligunt omnes Chriſtianos eſſe æquales, nec vnum poſſe alteri quippiam præcipere. Nam illic Chriſtus, non tollit principatum, quem ipſemet in Eccleſia Apoſtolis conceſſit, quibus etiam promiſit iudicium duodecim tribuum Iſrael, ſed tollit & prohibet ambitionem, & affectum dominandi, quem etiam condemnat B. Petrus 1. Epiſt. cap. 5. & Ezechiel ca. 34. Vult ergo prelatos Eccleſiæ, ex charitate in Eccleſia miniſtrare, & non ex ambitione aut propter auaritiam, luxum, delicias & otium.

Matthæi 22. ita ſcribitur: *Quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem?* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt veſtimentorum

Digitized by Google

torum cultum pretioſum præcipi, aut ſaltem commendari. Falluntur autem, quia Chriſtus non intendit illic loqui de externo veſtimentorum cultu, quem ſuperfluum & ſuperbum ſemper damnat ſcriptura, tanquam multorum malorum, occaſionem ſed de interna animi charitate & puritate, quæ eſt neceſſaria ei omni qui vult Chriſti intereſſe. Ornatus igitur ſit ſimplex & mundus, non autem ſuperbus, delicatus & diſſolutus, cuiuſmodi mundus totus in maligno poſitus, magis, ac magis appetit & auget: in tegumentis ſupra modum luxuriantibus, tam viris, quàm fœminis, cum ſummo reipub. detrimento & Chriſtianiſmi dedecore atque ſcandalo peſſimo.

Matthæi 23. ita ſcribitur: *Nolite vocari Rabbi*. Item *Nolite vocari Magiſtri, &c.* Quem locum in ſuam perniciem exponunt, vt etiam illum Iacob. 3. in quo prohibet plures fieri magiſtros, qui inde colligunt eſſe contra ſcripturam & Chriſti doctrinam promouere Doctores, Bachalaureos & reliquos magiſtros, & etiam nominibus honoris illos donare. Nam Chriſtus ſolum affectum ambitionis, & inanis gloriæ hypocriſim damnat, non autem ipſas vocationis ſanctæ dignitates. Alioqui eadem ratione nec aliquem nominare principem, aut etiam patrem liceret, quia ibidem prohibet aliquem dici Rabbi, id eſt principem & ſuperiorem vt etiam patrem. Damnat igitur hypocriſim ſuperbiam & faſtum, non autem debitum prælatis, & ſuperioribus quibuſlibet honorem.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Decimatis mentam & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis iudicium, miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quo ſanè loco perniciosè abutuntur, qui illum ita exponunt quaſi perſolutio decimarum quæ fit paſtoribus Eccleſiæ, fuerit aliquid plane legale, quod videlicet cum lege Moyſis initium & efficaciã habuerit: & idcirco, cum eadem tranſierit. Nam certum eſt, ex ipſa etiam ſcriptura ſacra, perſolutionem decimarum omnium bonorum eſſe de iuræ naturæ, quod cum ſit perpetuum, non habuit initium & authoritatem à lege Moyſis figuris abolendis conſtante. Quare & ſi cum lege Moyſis currebat & obſeruatur, non tamẽ cum ea finem habere debuit, aut potuit, ſicut nec decalogus. Hoc facilè intelliget qui conſiderare volet Abrahamum in lege naturæ Melchiſedech Sacerdoti omnium, quę poſſidebat decimas dediſſe, vt ſcribitur Geneſis 14. cap. Sunt alij loci illud ipſum comprobantes plurimi, Sunt & rationes firmiſſimæ: quæ omnia, quia ſatis fusè explicauimus in noſtro tractatu de decimis, primitijs & oblationibus, non

Digitized by Google

repetimus. Inde ſumet ſi volet, cui placuerit de iuſta decimarum perſolutione in lege Euangelica plura videre.

Matthæi 24. ſcribitur in hunc modum: *Tradent vos in tribulationem, & occident vos:* Quo loco abutuntur, qui talia verba obiiciunt catholicis magiſtratibus, animaduertentibus in hæreticos. Nam certum eſt ex omni lege, dignum morte eſſe illum qui ſeditioſus conſurgit aduerſus principatus, & eorum decreta, maximè verò in fide, & religione. Principes igitur, & magiſtratus iuſtè, & ex officio in hæreticos animaduertentes, hic non condemnantur à Chriſto, ſed crudeles hæretici, qui contra tam Diuina quàm humana, Catholicam Eccleſiam blaſphemant, concordiam ciuilem tollunt, & omnia confundendo, crudeliter Chriſtianos, vt à fide auertant, diuexant & perſequuntur. In hæreticos igitur, & infideles quoslibet hæc dicta, non autem in Catholicos accipiantur.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, &c.* Quo ſanè loco ignoranter, & perniciosè abutuntur, qui illum de Pontifice Romano, primo Eccleſiæ Chriſti (à quo omnes reliqui pendent in miniſterio Eccleſiaſtico) miniſtro, exponunt. Certum eſt enim Chriſti Eccleſiam, prædicatione Beati Petri Apoſtolorum principis, Romæ fundatam eſſe, & ibidem eiuſdem ſanguine confirmatam, & ſtabilitam. Quare & ſi alibi & manſit & prædicauit Beatus Petrus, non autem alibi quàm Romæ Eccleſiam fundaſſe, & cathedram Chriſtianiſmi ſtabiliuiſſe propriè dicitur. Adde etiam quòd reprobatis Iudæis, & in eorum locum vocatis gentibus, conueniens valdè fuit Eccleſiam ibi præcipuè fundari, vbi Gentilium regia, & celeberrima ciuitas erat. Nam vt cum Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob fœdus perpetuò obſeruandum cum illorum poſteritate iniuit Dominus Deus, ita in lege Euangelica cũ Apoſtolis, & maximè cùm Beato Petro, ipſorum vertice, Eccleſiæ Chriſti primo præcipuoque miniſtro. Oportet igitur omnem prorſus Chriſtianum amplexari, & honorè digno proſequi, & ſedem Apoſtolicam Romæ ſtabilitam, & primum Eccleſiæ miniſtrum, vniuerſalem Chriſti Ieſu vicarium, cum plenitudine poteſtatis in ea ſedentem: diligenter tamen nobis interim cauendo ab abominatione deſolationis, quæ in loco ſancto ſeſſura prædicitur à Chriſto. Hoc autem fore puto, quãdo Antichriſtus, propter peccata populi, præualebit & expellet Chriſti Dei, & hominis veri fidei profeſſionem, conculcando locum ſanctum, & faciendo ceſſare iuge ſacrificium, quod eſt ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti, quod ſemper in Eccleſia.

Digitized by Google

cleſia Catholica, ex Chriſti inſtitutione, & præcepto, celebratum eſt in memoriam paſſionis ipſius, & ad eiuſdem participationem habendam. Hoc autem ſacrificium iuge, & Euangelicum, vocatur à Chriſtianis Miſſa. Forſan etiam abominatio deſolationis dicetur ſedere in loco ſancto, quando paſtores nec verbo, nec vita populum Dei paſcent, ſed vita carnali, & abominabili Chriſtianos ſcandalizabunt: & tum actum erit de religione Chriſtiana, & pura eius profeſſione, Chriſtianis aut ſeductis aut dubitantibus, diſſipatis, & errantibus ad inſtar ouium quæ ſunt ſine paſtoribus. Tum enim ſcandalizati multi à fide Catholica diſcedent: & ſi nimis imprudenter id facient. Nam ſicut Noe arca concluſus, non ſe in mare præcipitauit, turpium beſtiarum conſortium vitaturus: ita qui ſunt verè pij, & prudentes in Ecclesia Catholica, remanent cum impijs hypocritis. Non enim perfectè iuſtus eſt, qui peccatores ſufferre non poteſt. Hoc propoſitum confirmatur in Canticis, vbi dicitur quod electi ſunt ſicut lilium inter ſpinas: & quòd veniunt de cubilibus leonum, & de montibus pardorum: ut etiam ab Eſaia qui ait, permixtim habitare debere agnos, lupos, homines, ſerpentes, &c. & ab ipſo Chriſto, qui docuit regnum cœlorum eſſe ſimile ſagenæ miſſæ in mare, quæ continet bonos, & malos piſces. oremus ergo Deum pro peccatoribus, impuris, ignaris, & cæcis, vt dignetur eos illuminare, non autem eos proſcindamus ſuperbè, ſed cogitantes Dei eſſe gratiæ (qui poteſt eos illuminare, & perficere) quod meliores ſumus ipſis, compatiamur eos, benignè admoneamus, & corripiamus humiliter nos gerentes, Dei bonitatem noſtram infirmitatem adiutantem, ſemper conſiderando, & verè cum charitate apprehendendo.

Ibidē ita ſcribitur: *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic nolite credere.* Quo loco abutuntur, qui illum ad ſacrā Euchariſtiam detorquent. Nam Chriſtus de doctrina, & prędicatione, non autē de Euchariſtia ibi loquitur, vt textus ipſe docet. Prędterea ait hoc futurum in nouiſſimis temporibus, quod eſt argumento locum illū non poſſe intelligi de Euchariſtia in qua Chriſtū realiter, & perſonaliter contineri ſemper in Eccleſia traditum, & creditum eſt, & non tantum in nouiſſimis temporibus, quando debet impugnari iuge Miſſæ Sacrificium. Fit igitur ibi ſermo de hæreticis, qui ſectas debent facere multas, & varias in nouiſſimis temporibus, homines in deſerta, & penetralia deducendo, non autem de hoſtia ſacra, in

Digitized by Google

qua Chriſtum integrum contineri, & Scriptura Sacra, & Eccleſiæ traditione apertiſſimè docemur.

Ibidem ſcribitur in hunc modum; *Sicut Fulgur, & c.* Item: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt Chriſtum non eſſe corporaliter in hoſtia; quia videlicet non dicitur eum eſſe venturum ex hoſtia; Nam veniet iudicaturus viſibilis, & in propria ſpecie, non autem ſacramentaliter ſub aliena forma, in qua tegitur, & communicatur ad nutriendum, & non ad iudicandum: Eſt ergo Chriſtus conſiderandus mortalis, patiens atque ſatisfaciens: glorioſus in cœlo, viſibilis, beatificans atque etiam abſconditus in Sacramento, nutriens & iuſtificans, applicando ſuæ paſſionis meritum. Quando autem veniet ad iudicium (quòd præcedet ignis conflagrationis) ceſſabunt Sacramenta: Et ita Chriſtus, qui eſt ſub ſpeciebus panis & vini, non quidem deſinet eſſe, qui habet eſſe indeficiens, ſed deſinet eſſe in Sacramento. Sicut quando Deus ſeparatur ab homine, propter eius peccatum, non deſinit eſſe, ſed deſinit eſſe in homine per gratiam: ita quando deſinit eſſe creatura, deſinit Deus eſſe in ea. Sic nube interpoſita, ſol non deſinit eſſe, qui ſemper eſt in cœlo, ſed deſinit eſſe in terra per illuminationem. Ita etiam membro abſciſſo, anima quæ eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte non deſinit eſſe ſimpliciter, ſed deſinit eſſe in illo membro: Sic igitur Chriſtus qui eſt in Euchariſtia, per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, omnipotentia verbi Dei, omnem prorſus creaturam attingentis & continentis, factam, deſinit eſſe ſub ſpeciebus ſacramentalibus ipſis deficientibus per corruptionem; non tamen deſinit eſſe ſimpliciter, ſicut non ſimpliciter habet eſſe per talem conuerſionem, ſed tantum habet eſſe Sacramentale (per tranſubſtantiationem, per quam facilè intelligere poſſumus ſuppoſita Dei voluntate & ordinatione, cum efficacia ſui verbi omnipotentis corpus Chriſti eſſe verè, realiter & corporaliter, ideſt in uera & naturali corporis proprij ſubſtantia, in pluribus locis,) quod durat quandiu ſpecies ſacramentales ſubſiſtunt. Non etiam debemus turbari, ſi eſt inuiſibilis in Sacramento: Nam aliter non eſſet ibi ſacramentaliter, & vt fidei ſtatum decet: eſt ergo verum Chriſti corpus in hoſtia ſacra, verè & ſubſtantialiler, ſed ſacramentaliter, vt in cælo idem eſt viſibile in propria forma & ſpecie. Verum quæ ad hanc materiam ſpectant plenius & dilucidiùs propoſuimus ſex libris à nobis de hac re ſeparatim editis; quos qui legerit, hæc forſan faciliùs intelliget.

Matthæi

Matthæi 25. ita ſcribitur. *Oportuit te committere pecuniam meam nummularijs, & ego veniens recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura*. Quo loco prauè detorto, abutuntur, qui ex eo colligunt vſuram (quam tam ſæpè damnant ſcripturæ ſacræ) licitam eſſe. Nam hoc de vſu, & profectu gratiæ Dei ſpirituali intelligi debet, non autem de vſura pecuniaria. Fuſius hunc locum, & alios, qui huc ſpectant, diſcuſſimus in tractatu noſtro de vſuris.

Ibidem ita ſcribitur: *Ibunt hi in vitam æternam: alij verò in ſupplicium æternum*. Quem locum perperam exponunt, qui ex eo effici volunt nullum eſſe purgatorium, ſed tantum duplicem eſſe viam: ſcilicet in cœlum aut in infernum. Nam illic loquitur Chriſtus de ſtatu futuro poſt extremum iudicium, poſt quod nullum erit purgatorium quando videlicet omnes recipientur gloria æterna, vel ſupplicijs æternis adiudicabuntur. Non ſequitur autem inde quin tantiſper, dum iudicium illud expectatur, ſit purgatorium, quo imperfecti Chriſtiani purificantur, vt ſancti effecti, Deo verè ſancto tandem coniungantur, vt ſatis declarant ſcripturæ ſacræ. De purgatorio etiam fuſius diſputabimus proprio tractatu.

Matthæi 26. ſcribitur ad hunc modum: *Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*. Quo loco perperam, & ignoranter intellecto, abutuntur, qui ex eo colligunt verum Chriſti corpus non eſſe hic nobiſcum, nec verè recipi in hoſtia ſacra. Nam manifeſtum euadit ex ipſa litera, Chriſtum ibi loqui de ſe viſibili, patibili, & indigente officijs humanitatis atque ciuilitatis, ſicut tūc erat: non autem de ſeipſo perſonaliter ſemper in Eccleſia, & ſpiritualiter ad dirigendum, & etiam ſacramentaliter ad nutriendum, manente: ſicut eſt re vera in Euchariſtia, in qua meritum paſſionis ipſius, electis applicatur, per veram participationem propriæ eius humanitatis, in qua eſt Dei, & hominum mediator. Quare neceſſe eſt ipſi in ea coniūgi verè, vt per eum à Diuinitate vitam habeamus, vt clarè docetur Ioan. 6. Hunc modum loquendi diſcernes facilè ex eo quo ſcribitur Luc. 24. his verbis. Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cùm eſſem vobiſcum: Sic etiam intelligendus eſt diuus Auguſtinus, cùm ait corpus Chriſti eſſe in vno loco vſque ad iudicium. Nota etiam quod Chriſtus, phraſi ſcripturæ, dicitur non eſſe nobiſcum quando non videtur, vt fit in Sacramento altaris, & ſi in eo eſt realiter, ſubſtantialiter, corporaliter, & perſonaliter. Hoc etiam modo ait Paulus. 1. Cor. 15. quòd caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Quod ſanè non ita debet accipi, quaſi corpora non ſint reſur-

rectura in propria carne, & proprio ſanguine. Sed quia illa non habebunt illas qualitates, quibus hic mortalia afficiuntur. Ita etiam ſcripſit beatus Auguſtinus: non eſtis manducaturi corpus quod videtis, nec bibituri ſanguinem, quem effuſuri ſunt Iudæi. Quæ quidem verba non ita ſunt accipienda, quia non veram carnis, & ſanguinis ſubſtantiam ſumamus: ſed quia non modo corporali, ſed ſubſtantiali.

Ibidem ſcribitur in hunc modum. *Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum.* Quem locum apertè corrumpunt, qui illum exponunt de figura, & ſigno corporis Chriſti. Nam nullus prorſus tropus talis illic videri poteſt, vbi Chriſtus demonſtratiuè, & oſtenſiuè loquens, ait, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum. Ita igitur locum exponere, vel potius deprauare dicendo: Hoc eſt, id eſt, hoc, ſignificat corpus meum, eſt apertè addere ſcripturę. Non ſequitur enim: verbum eſt, hic ſignificatiuè accipi; quia alicubi ita accipitur, vt puta Ioan. 15. quando ita dixit Chriſtus, Ego ſum vitis, &c. Et 1. Corint. 10. quando ita ait Apoſtolus: Petra autem erat Chriſtus. Nam illic non agitur de Sacramento. Præterea etiam certum eſt illis in locis tropum ſubeſſe, quia Chriſtus, nec petra, nec vitis eſt. Hoc autem loco notandum quòd non ait Chriſtus, panis eſt corpus meum; ſed hoc (ſcilicet quod vobis trado manducandum) eſt corpus meum, vt videlicet doceat iam non ſubeſſe panem, ſed ſub eius ſpeciebus, proprium eius corpus contineri qui ab Eſaia Prophet. 45. dicitur eſſe Deus abſconditus, & propter quem etiam dicitur Deus eleuaſſe ſignum ſuum. Ideo enim iam panis, mentionem nullam facit poſt conſecrationem, & vocabulorum genera mutauit, vt intelligamus panis ſubſtantiam non remanere, ſed in corpus Chriſti mutatam eſſe per verbum dei à Sacerdote huius myſterij legitimo miniſtro prolatum, recta cum intentione. Sicut enim quem manducabat panem, in ſuam carnem mutabat Chriſtus, cum hic viueret, ita nunc virtute verbi, & omnipotentia diuinitatis vbique pręſentis, & ſi non vbique ſimiliter operantis panem (omnibus requiſitis pręſentibus, & vt ipſe inſtituit diſpoſitis) in ſuam carnem perſonaliter; & inſeparabiliter, diuinitati ipſi coniunctam, conuertit ſubſtantialiter. Quod autem hic locus nullum talem tropum aut figuram admittere poſſit, docent loci alij ſcripturæ ſacræ, in quibus de hac eadem re agitur, vt videre eſt Ioann. 6. 1. Cor. 10. & 11. & alibi ſæpius. Vnde clarè conſtat, locum enunciatiuè ſimpliciter, & cathegoricè accipi debere, nequaquam autē tropicos, & figuratè. Vbi

etiam

Digitized by Google

etiam diligenter notandum, quod vbi eſt tropus, præponitur ſuppoſitum. Illud autem quum nullum hic ſit, ſed tantum pronomem demõſtratiuum, & certæ realitatis oſtenſiuum, clarum eſt, & certum, nullum prorſus ſubeſſe tropum, ſed omnia demoſtratiuè, verè, & realiter accipi debere. Non enim, ait, hic panis eſt corpus meum, ſed HOC EST CORPVS MEVM, apertè demonſtrans ſe tradere verum corpus quod paſſurum erat. Nota etiam quòd quoties Chriſtus dicitur panis, id fit cum connotato, vt cum dicitur: Ego ſum panis vitæ. Aduerte etiam eos apertè decipi qui volunt pronomẽ, hoc, hic poni ſubſtantiuè, & materialiter, quaſi diceret, hoc, id eſt, hæc res, quæ panis eſt. Nam vbi de ſanguine agit, non dicit, hoc eſt ſanguis meus, ſed hic. Vnde dilucidum euadit pronomen, hoc, non accipi debere, ſubſtantiuè vbi de corpore agitur. Certò igitur tenendum, & credendum eſt in hoſtia ſacra, eſſe verum Chriſti corpus inuiſibiliter, & ſacramentaliter, quod in cœlo eſt viſibile. Illic autẽ incipit eſſe, non ſimpliciter, ſed per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Quare, non debet dici fieri ex pane, aut eſſe Deum panis, vt impiè blaſphemant hęretici, ſed vt Deus verus debet adorari, & ad ſalutem accipi, atque in memoriam ſuæ paſſionis offerri cum gratiarum actione. Hinc eſt quod quotidie in Eccleſia catholica offertur Chriſtus in miſſa, in ſuæ paſſionis memoriam, quam ſublatam volunt qui miſſę vnico nouæ legis ſacrificio detrahunt.

Ibidem ita ſcribitur: *Hoc facite in mei memoriam.* Quo loco abutuntur, qui ex illo volunt ſequi Chriſtum voluiſſe docere ſe tantum loqui de ſigno ſui corporis, quòd ad ſui memoriam habendam, frequentandum erat. Nam illis verbis, corporis proprij conſecrationem, oblationem, & manducationem in ſui ipſius recordationẽ præcipit. Illic enim, facere, idem eſt quòd ſacrificare: quo ſenſu ſæpè in ſcriptura vſurpatur, vt etiam ab eo ſignificatu pontifices dicuntur ſacerdotes, quia videlicet habent poteſtatem ſacrificium publicum peragendi.

Ibidem ſcribitur: *Bibite ex eo omnes.* Quem locum perperam exponunt, qui ex eo colligunt oportere omnes Chriſtianos corpus & ſanguinem Chriſti ſub duplici ſpecie ſumere. Nam, primùm certum eſt tum ſolos Apoſtolos, quos ſacerdotes ordinauit, & eos ſolos alloquebatur, adfuiſſe. Deinde non minus ſunt participes ſanguinis Chriſti, qui ſolam ſpeciem panis ſumunt, quàm qui ſub ſpecie vini eũ bibunt. Nã vtrobique eſt totus Chriſtus in corpore, ſanguine, anima, & Diuinitate: quare nulla re ad ſalutẽ neceſſaria priuantur Laici,

qui ſub ſola panis ſpecie (non ſine multis,& magnis rationibus) cõmunicant,nec pluſquam ipſi accipiunt Sacerdotes,qui tamen ſacrificantes,& miſſam celebrantes,quia paſſionem Chriſti,in qua ſanguis à corpore ſeparatus fuit,repręſentant,ſub vtraque ſpecie ſacrificium facere,& Chriſto communicare debent.

Ibidem ita ſcribitur. *Qui gladium acceperit,gladio peribit.* Quo loco apertè abutuntur, qui ex eo colligunt nullum bellum eſſe iuſtũ. Nam ibidem Chriſtus non prohibet omne prorſus bellum, aut etiã omnem ſui defenſionem,ſed aggreſſionem, vt etiam vindictam priuatam,quæ ex Dei præſcripto,& ex legibus petenda eſt, non autem in propria perſona execu tioni,demandari debet. Sui etiam defenſio cum moderamine inculpatæ tutellę non eſt prohibita.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma.* Quo loco abuntuntur, qui ex ipſo effici volunt nos ſemper eſſe in peccato. Nam hoc non intendebat docere Chriſtus, ſed magnam eſſe in homine ad peccandum pronitatem, & idcirco ipſi ſemper vigilandum, & cauendum eſſe. Si enim ſemper in peccato eſſemus,quicquid tentaremus,fruſtra præciperet,vt vigilemus ne intremus in tentationem;& etiam iniuſtè peccata puniret.

Ibidem ita ſcribitur: *Accipite,& manducate.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt nullum eſſe iam corporis Chriſti ſacrificiũ faciendum,quia videlicet illius non meminit,ſed tantum manducationis. Non enim ſequitur,non fecit illic mentionem expræſſam talis ſacrificij, ergo nullum eſt tale: Nam potuit alibi illud præcipi. Certum eſt autem Chriſtum tale ſacrificium præcepiſſe, cùm dixit, Hoc Facite, quod idem eſt,ac ſi dixiſſet, corpus meum ſacrificate in mei memoriam,recolendo paſſionem meam.

Matthæi 28. ita ſcribitur: *Docentes ſeruare mandata.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt nulla conſilia Chriſtianis ſeruanda eſſe. Nam qui præcepta proponit, conſilia non negat,quæ alibi ſæpius docentur, & conſuluntur. Nota autem hæreticorum ignorantiam,qui ferè ſemper negatiuè argumentantur.

Ibidẽ ita ſcribitur; *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quo loco abutũtur,qui ex eo effici volũt ſacra biblia lingua vernacula oĩbus paſſim exhibẽda eſſe, Nã aliud eſt populo prędicare ea quæ ſunt omnibus ad ſalutẽ neceſſaria,& aliud lõgè,ſcripturæ ſacrę myſteria eidẽ diuulgare; Illud namq; omnibus eſt neceſſarium,hoc autẽ multis inutile,nec dicam pernicioſum eſſet.Non tamen inde ſequitur malũ,eſſe ſacra biblia in linguã gallicam aut in aliã vernaculam conuertere.

Digitized by Google

Ibidē ita ſcribitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c.* Quem locum deprauant, qui ex eo colligunt infantes non eſſe baptizandos. Nam nimis durum eſſet in lege gratiæ, infantes fide alterius non conſequi gratiam, qui alieno tantum peccato coinquinati ſunt: aliter longè profectò nos docet Chriſtus veritatis magiſter, cùm ita ait, Sinite paruulos venire ad me, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Non tamen inde colligendum aliquos ſine baptiſmo ſaluari poſſe.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Quem locum perperam intelligunt & perniciosè exponunt, qui ex eo colligunt Chriſtum ibi id adimpleuiſſe quod promiſerat ſupra c. 16. quando videlicet dixerat, ſe daturum Petro claues regni cœlorum cum poteſtate ligandi & ſoluendi: quam poteſtatem, in ſola prædicatione verbi Dei poſitam eſſe uolunt. Nam & ſi ijdem poſſunt & debent prædicare verbum Dei, atque ſoluere ligareque peccata, non ſequitur tamen, quòd ſola prædicatione verbi Dei remittantur peccata: propter quæ tollenda, inſtituta ſunt ſacramenta, quorum paſtores ſunt miniſtri, & non tantum eſt præcepta verbi Dei prædicatio. Hoc indicat Chriſtus hoc loco, cùm de baptiſmo poſt prædicationem mentionem facit: plenius autem Ioan. 20. vbi inſufflando in Apoſtolos, dedit eis poteſtatem dimittendi peccata. Aliud eſt igitur longè prædicare verbum Dei, & aliud remittere peccata. Prædicatione namque verbi Dei, docentur homines & diſponuntur, vt cognoſcentes peccata ſua, faciant fructus dignos pœnitentiæ, ea deteſtando, relinquendo, & accuſando ſeu confitendo: vt a Deo, paſtorum (quibus eorum remittendorum, vt verbi Dei prædicandi data eſt à Deo poteſtas) miniſterio, eorum veniam conſequantur.

Talem autem poteſtatem Chriſti domini in paſtoribus eſſe docetur hoc loco, cùm ita ſcribitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Idem eſt enim ac ſi diceret: Poteſtis iudicium facere, quia data eſt mihi, vos ſcilicet mittendi, omnis poteſtas. Hoc etiamnum plenius docetur. Ioan. 20. cùm ita dicitur: Sicut miſit me uiuens pater, & ego mitto uos: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. Chriſti igitur tollunt poteſtatem, qui ea paſtores priuant, ſicut docet ipſe his verbis: Qui uos ſpernit, me ſpernit. In paſtoribus namque Chriſtus eſt agnoſcendus.

Digitized by Google

EX BEATO MARCO.

MARCI .2. ſcribitur adhunc modum: *Non poſſunt filij ſponſi ieiunare quandiu cum ipſis eſt ſponſus. Auferetur autem ab eis ſponſus, & tunc ieiunabant.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex ipſo colligunt Chriſtum reuera corporaliter & perſonaliter non iam eſſe cum Eccleſia militante. Nam Chriſtus loquitur tantum ibi de ablatione corporis uiſibilis, non autem de omnimoda ſeparatione ab Eccleſia cum qua ſemper eſt, (vt etiam ipſemet teſtatur) vſque ad conſummationem ſeculi quod ſanè intelligi debet, non de ſola præſentia ſpirituali, qua Eccleſiam ſemper ne erret dirigit & gubernat, ſed etiam de corporali.

Marc. 7. cap. ita ſcribitur: *In uanum colunt me, docentes doctrinas & præcepta hominũ, &c.* Quo loco praue expoſito abutuntur, qui ex eo colligũt Chriſtũ prorſus ea omnia damnare quæ ab hominibus præcepta & tradita ſunt, nec volunt aliquid recipiendũ tenendum & obſeruandum eſſe in Eccleſia, quod ſcriptura ſacra non contineatur, vel etiamnum exprimatur. Quare reijciunt ea omnia quæ Eccleſiæ Prælati, etiam in Concilijs generalibus congregati, de fidei & religionis Chriſtianę doctrina, profeſſioneque decreuerunt, atque per ſpiritum ſanctum tradiderunt: ſimul etiam omnes catholicas doctorum ſanctorum, ſacrarum ſcripturarum expoſitiones exſufflant, rident, contemnunt & conculcant, ſuas interim nænias commentationes, & vanna ſomnia, impiaque deliramentà pro ſacris ſcripturis nobis obtrudendo. Nam nihil prorſus eorum quæ contra, aut etiam præter doctrinam catholicam obſeruant & obtrudunt in ſcripturis ſacris (quas tamen ſemper in ore habent) continetur. Hoc notabit qui decipi nolet. Hoc igitur loco, non damnat Dominus ſimpliciter ea dogmata religionis & vitæ piæ præcepta, quæ ab hominibus præpoſitis Eccleſiæ fiunt, qui ſæpius iubet ipſis parendum eſſe, ſed eas damnant hominum traditiones, propter

quas

Digitized by Google

quas mandatum Dei relinquitur, id eſt, quæ planè aduerſantur diuinis præceptis & ſacris ſcripturis. Hoc autem notum eſt ex ipſo textu, in quo ita ſcribitur, Relinquentes mandata Dei, tenetis traditiones hominum. Item: irritum feciſtis præceptum Dei, vt traditionem ueſtram ſeruetis: Item, reſcindentes verbum Dei propter traditiones veſtras, &c. Vnde conſtat Dominum Chriſtum repręhendere eas hominum traditiones quæ aduerſantur diuino præcepto: qui forſan etiam taxat indifferentium traditionum ſuperſtitioſam obſeruationem neglecto interim & ſpreto Dei mandato, vt uidemus ab is fieri, qui camelum deglutientes, colant culicem. Retineantur igitur & diligenter pureque ſeruentur illæ tum traditiones, tum conſuetudines, quæ pietatem promouentes à Chriſtianis ſunt receptæ, & ſi ſcripturis ſacris (quibus conformes eſſe debent) nec exprimuntur, nec continentur. Nota enim ſcripturas ſacras quę ſunt traditæ Eccleſia iam prædicationes & traditionibus fundata, non eo fine nobis datas eſſe, vt nihil recipiamus, credamus & obſeruemus in religione Chriſtiana, quod ipſis non exprimatur, ſed potius vt eam omnem & doctrinam & religionis profeſſionem auerſemur & fugiamus quæ ipſis aduerſatur. Verbum Dei ſiquidem, & ſcriptum, & non ſcriptum in Chriſti Eccleſia agnoſcere debent fideles, & electi Dei: hæreticorum peregrinas doctrinas & falſas ſcripturarum expoſitiones, cum impura & impia eorundem religionis exoticæ profeſſione, omni cura & diligentia fugiendo.

Ibidem ita ſcribitur: *Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit ipſum coinquinare, &c.* Quē locũ perperā exponunt, qui ventris & eius inſaniæ patrocinia ſuſcipientes, nullum habendũ ciborum delectum volunt. Quare omni die quicquid contrà pręceperit Eccleſia, omni cibo pro libidine ueſcuntur. At deberent cogitare, Chriſtum hoc loco non inſtituiſſe ſermonem de cibis prohibitis, ſed de eſu eorum qui conceſſi erant, quos Iudæi ſuperſtitioſi non manducabant niſi ſæpius manus lauiſſent. Hanc autem nimis curioſam, & plus æquo ciuilem, aut etiam ſuperſtitioſam in edēdo manuum ablutionem, quia poſt habebant Chriſti domini Ieſu Apoſtoli, rebus grauioribus intenti, à Iudæis repręhenſi ſunt: aduerſus quos Chriſtus etiam ipſo tuetur & defendit hoc loco, non repręhendens interim vllo pacto utilem multis rationibus ciborum nonnullorum delectum, quem Chriſtus ſeruauit, & etiam Apoſtoli, iam lege Moyſis exploſa præceperunt vt ſcribitur Act. 15. Quod ergo intrat in os non coinquinat hominem, ſed tranſgreſſio præcepti quæ à cor-

Digitized by Google

à corde ſuperbo & inobedienti procedit, hominem coinquinat. Fuſiùs de hac re ſcripſimus in tractatu de ieiunio quadrageſimali & ciborum delectu.

Marci. 11. ita ſcribitur: *Et cùm introiſſet in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes, &c.* Quo loco ignoranter ſatis abutuntur, qui ex eo colligunt mercaturam non eſſe licitam. Nam Chriſtus eo facto non damnat mercatorum vocationem, reipublicæ & hominum conſociationi neceſſariam, ſed templi rebus ſacris & uſibus diuinis dicati & deſtinati, per talem negotiationem in eo factam prophanationem. Templis ſiquidem ſummus honos exhiberi debet quia rebus diuinis loca ſunt dedicata & conſecrata, vt ſæpius docet ſcriptura ſacra. Videant igitur quantum in Dei iudicio ſupplicium ſubituri ſunt, qui ea in templis animo & corporibus impuri committunt quæ ſcribere puderet, quum citra horrorem cogitari non poſſint. Permiſit Deus quondam ſanctum, & ipſius iuſſu conſtructum apud Iudæos admirabile templum, per infideles euerti, & religionis profeſſionem prohiberi propter vtriuſque abuſum. Illorum igitur malo edocti, templis honorem debitum deferre diſcamus, ne ſimilia, aut etiam grauiora in lege Euangelica longè profectiori patiamur. Pleniùs de hac re egimus in tractatu de templis ſacratis.

Marci 16. ita ſcribitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit: ſaluus erit:* Quo loco abutuntur, qui ex eo effici volunt, tum pueros nō eſſe baptizando, tū ſatis eſſe ad ſalutē, fidem & baptiſmū abſq; bonorū operū exercitio. Idē reijciunt pœnitentiā ſacerdotalē abſolutionē ſatisfactionem, purgatorium & ſimilia. Eſto enim cum Chriſtus miſit Apoſtolos prædicatum, de docendis & baptizandis adultis locutus ſit, non ſequitur tamen ideo, quòd pueros baptizandos eſſe negarit, qui ipſos ad ſe venire voluit. Illi enim, & ſi fide carent propria, poſſunt tamen ea, quæ eſt Eccleſiæ omnium matris per alios iuuari, qui alieno tantum peccato infecti ſunt. Non enim eſt Deus magis ſeuerus in puniendo, quàm miſericors in iuſtificando & ſaluando. Quòd autem ad eos ſpectat, qui bona opera reijciunt, ſola fide cum baptiſmo contenti, clarum eſt eos ſummo in errore verſari, nec quæ ſit Chriſtianorum vocatio intelligere. Nam cum in omni ſcientia & vocatione tum maximè in Chriſtiana eupraxia, ſeu perfecta actio & operatio finis eſt. Fruſtra igitur de fide & de baptiſmo gloriantur, qui opera bona non habent, cùm videlicet fides & baptiſmus hominem ad bona opera diſponant, dirigant & ducant. Ad hæc, ita ſit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, pollicitationem

habebat:

Digitized by Google

habebat: videndum tamen eſt interim quid ſit credere. Nam fides ſine operibus,non ea eſt quæ ad ſalutem ſatis eſt, vt diuinitus inſtructus, optimè docuit ſanctus Iacobus. 2. cap. ſuæ Canonicæ, ſed ea, quæ per dilectionem operatur, vt rectè ſcribit Apoſtolus ad Galat. 5.c.Sũt igitur opera neceſſaria ad ſalutẽ vt paſſim ſcriptura ſacra affirmat, quæ docet Chriſtũ ideo pro nobis mortuum, vt per eum ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia,omnibus diebus noſtris. Hoc eſt quod ipſi promittimus priuſquam baptizemur in nomine & ſanguine Chriſti Ieſu, cùm pollicemur nos abrenunciare carni, mundo, & Satanæ, atque etiam ſeruare & perferre ſanctitatem & veſtem illam quam induimus candidam, vſque ad ipſius tribunal. Hoc promiſſum, ſi non ſeruauerimus, præcioſo Chriſti ſanguini pro nobis effuſo, & in quo abluti ſumus, iniurij facti grauiter puniemur, vt docet Paulus Heb. 6.& 10.cap. vbi aſſerit quòd peccantibus nobis poſt acceptam veritatis notitiam, & guſtatum donum Dei cœleſte, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis iudicij expectatio. Hic, o Chriſtiani, ſatisfactiones & purgationes peccatorum poſt baptiſmum,cum contumelia ſanguinis & paſſionis Chriſti grauiſſima admiſſorum, e natas & extortas addiſcitote:& eluendorum eorum remedia Dei ſumma gratia conceſſa, amplexamini, & retinetote, Chriſto, quem in vobis ipſis poſt baptiſmum peccantes rurſus crucifixiſtis, compatiendo, vt iterum per eius meritum curemini & ſanctificemini.

Digitized by Google

EX BEATO LVCA.

LVCAE. 1. ſcribitur ad hunc modum: *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* Quo loco callidè abutuntur, qui ex eo colligunt corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Nam & ſi ſola ſubſtantia ſanctę virginis Mariæ, eſt materia ex qua primum formatum eſt Chriſti corpus, non tamen ſequitur quin in illud corpus mutetur ſubſtantia creaturæ panis, ob quam mutationem, non debet Chriſtus dici eſſe ex pane factus: nam erat priuſquam panis in illud conuerteretur, & ſi non erat in Sacramento. ſubſtantia igitur panis, eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ, ſed non corporis Chriſti, in quod conuertitur panis, vt ſub eius ſpeciebus, Chriſti corpus (in quo eſt Dei & hominum mediator) omnibus communicetur: & per eius medium, Diuinitatis beatificantis participatio habeatur, quò ſpectant omnia diuina myſteria. Quare hoc Sacramentum meritò ſummum iudicatur.

Lucæ 7. cap. ita ſcribitur. Dixit dominus ad mulierem. *Remittuntur tibi peccata.* Quo loco perperam accepto abutuntur, qui ex eo colligunt confeſſionē auricularem quæ fit ſacerdoti, ad habendam peccatorum remiſſionem, eſſe reijciendam tanquam vanam & inutilem: quia videlicet Chriſtus verus doctor, paſtor, & ſacerdos, abſque illa remiſit peccata Magdalenæ, & alijs pleriſque. At longè falluntur & errant apertè, qui modum operandi miniſtrorum in Eccleſia, ad eum quem Chriſtus uerus Deus & verus homo ſeruauit coarctare volunt. Nam non erat opus Chriſto confeſſionem peccatorum fieri, vt puta quem nihil latebat. Sciebat enim quid eſſet in homine, qui renes & corda ſcrutatur. Præterea nondum Chriſtus poteſtatem peccata dimittendi ſuis Apoſtolis commiſerat, quod poſtea fecit, vt docetur Ioan. 20. cap. vbi ita ſcribitur: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ab eo igitur tempore, oportuit peccata detegi Apoſtolis, & reliquis poſt eos paſtoribus & ſacerdoribus

Digitized by Google

bus Eccleſiæ,vt videlicet qui cordis occulta ignorant,per infirmorũ confeſſionem,& detectionem,morbum cui mederi ex officio debent intelligant & curent. An non autem leuius multò & faciliùs eſt ipſis peccatoribus ſuas infirmitates detegere ſecretò & in aurem ſuo patri paſtori & medico ſpirituali, cùm neceſſariò ſint detegenda, vt intelligatur quid ſit remittendum, & quid retinendum, quàm ſi palàm & publicè explicarentur? In lege autem Moyſis, qui ſua expiari peccata cupiebant, Sacerdotes adibant, & pro ratione & conditione delictorum, hoſtias afferebant: In lege etiam noua, vt in Actibus Apoſtolorum habetur: veniebant peccatores ad Apoſtolos, confitentes actus ſuos, &c. Qui igitur contemnunt datam in Eccleſia peccata dimittendi poteſtatem, à Deo ipſorum non conſequentur veniam. Nam vt pater qui iam non iudicat quenquam, dedit illam poteſtatem iudicandi peccatores filio: ita filius hinc diſcedens, Sacerdotibus & paſtoribus, per quos ſuam Eccleſiam gubernat corporatis hominibus in Eccleſia militanti, per corporatos miniſtros, ſacra & Diuina diſpenſans illam iudicij poteſtatem commiſit, quibus ita locutus eſt: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.

Lucæ 17. ita ſcribitur: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Quem locum malè intelligentes neſcio qui ignaui, & voluptatum amantes magis quàm Dei, illum contra bona opera Chriſtianorum & eorundem apud Deum merita perperam detorquent. Nam in eo loco non loquitur Chriſtus aduerſus bonorum operum merita & præmium, ſed à ſuis inanem gloriam, & iactationem de bonis actionibus tollere tentat: eos inſtruens, vt Deo gloriam omnem tribuant, qui ipſis præmium reſeruat. Quomodo enim bonorum operum merita & præmia negaret, qui tam crebrò de mercede & retributione in ſcripturis mentionem fieri voluit? Illi igitur, qui bonorum noſtrorum non eget, ſumus inutiles noſtris operibus bonis, non autem nobis atteſtante ſcriptura quæ ait, quia miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum electorum. Item, quòd non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis boni ſuorum electorum. Item quia oportet nos omnes ſtare ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Infiniti ſunt alij ſcripturæ ſacræ loci eò ſpectantes, imo tota doctrina Chriſtiana, ſiue verbo, ſiue ſcripto ſit tradita, eò tendit, vt homo iuſtificatus gratia Dei & merito Chriſti, bona opera faciat ad Dei gloriam, & ad ſuam ſalutem promerendam, quam

Chri-

Chriſtus dicitur promeruiſſe, qui acquiſibilem nobis eam fecit ſua paſſione. Nos enim arbores plantauit, vt fructum afferamus, ni excindi velimus. Quum autem me ita dicimus; ſic cum antiquis intelligi volumus omnem tractationem de ipſis, vt omnia ſemper ad Dei gratiam & Chriſti meritum referamus. Scimus enim & confitemur, quia gratia Dei eſt vita æterna, & quòd Deus cùm coronat noſtra merita, ſua dona coronat. Tanta eſt ſiquidem Dei bonitas & magnificentia, vt nobis meritò aſcribat, & pro merito præmiet, quod iuſtiſſime ipſi debemus. Sed dicamus cum Apoſtolo, O altitudo diuitiarum bonitatis Dei? &c.

Lucæ. 19. ſcribitur ad hunc modum: *Quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego ueniens cum vſuris vtique recepiſſem illam?* Quo loco malè intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt non eſſe peccatum pecuniam ſuam tradere ad uſuram. Nam manifeſtum eſt ex textu, Chriſtum per parabolam loqui, nec intelligere materialem & ſubſtantialem pecuniam, ſed dona gratię ſuæ, cuius excreſcentiam & fructum petit à quolibet, requirens villicationis rationem, vſuram autem, id eſt, lucrum ex mutuo proueniens, & principaliter intentum peccatum eſſe, illudque mortale, ſæpius teſtatur ſacra ſcriptura, vt videre eſt Luc. 6. Pſ. 14. Exo. 2. Deut. 28. & Ezec. 18. &c. Vſura autem peccatum eſt graue, quia naturæ repugnat contra quam eſt, quòd munus pariat repugnat verbo Dei, & tollit charitatem Dei & proximi. Nam homo auarus, non benefacit proximò in neceſſitate conſtituto, ex charitate propter Deum, ſed propter lucrum magis pecuniæ quam Deo ſeruiens, quare idolorum ſeruitus, vocatur auaritia. Vſura homines quoque ignauos facit, atque ad omne turpitudinis genus ocioſos adducit. Nihil eſt igitur, quòd vſuram excuſare poſſit, quia in argento, & in reliqua poſſeſſione, debemus ſequi Dei ſolius veri, omnium rerum Domini, & poſſeſſoris, regulam & ſtatutum: ſicut etiam in cibo atque in propagatione generis humani vbi non noſtram concupiſcentiam, ſed Dei ordinationem ſequi debemus. Quare Philauti, qui ſibi viuunt & placent, ambulando in ſuis adinuentionibus, relicta Dei ordinatione, in vſu rerum ab eo productarum, & poſſeſſarum, ab eodem poſita iuſtè damnantur, & tanquam hæretici (ſi fateri peccatum nolint) debent puniri. Vide extra in Clem. lib. 5. ex Concilio Vienenſi. Quòd ſi aliter aliquando principes permittant fieri ad vitanda peiora mala, non idcirco concedunt, aut approbant quod fit, contra Dei præcepta, nec etiam poſſunt ſi vellent. Quare quicun-

que

que illis in rebus aliter ſe gerunt quam Deus in Eccleſia pręcipit, mortaliter peccant, & grauiter puniendi ſunt omni lege naturali, ſcilicet, Diuina & humana. Fuſius de hac re egimus in tract. de vſuris.

Lucæ vigeſimo ita ſcribitur. *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem nō ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, &c.* Quo loco ignoranter nimium abutuntur, qui ex eo effici volunt, quòd inter Chriſtianos nulla eſt dominatio, aut ſaltem quòd Prælati Eccleſiæ nullum habent principatum. Nam eo loco damnat, & à ſuis abeſſe vult Chriſtus affectum dominandi atque imperandi, non autem negat in ſua Eccleſia eſſe poteſtatem, atq; principatū, qui Apoſtolis ita dixit: Sicut miſit me pater, ego mitto vos. Idem, Qui vos audit, me audit, qui uos ſpernit, me ſpernit: idipſum docet beatus Petrus cùm ſcribit ita Eccleſiæ prælatis. 1. cap. 5. Seniores qui in vobis ſunt, obſecro, paſcite qui in uobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed uoluntariè; neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo, &c. Id etiam docebat Deus per Ezechielem Prophetam. 33. & 34. cap. quum exprobabat Paſtoribus Iſrael, quòd cum auſteritate imperabant gregibus ſuis. Hoc igitur loco vult Chriſtus adimere ſuis Apoſtoli, & reliquis Eccleſiæ Prælatis, affectum dominandi per ſuperbiam, aut violentiam gentibus conſuetam, inter fideles autem & Dei electos in Eccleſia conuenientem, cum ſubditos amare & promouere, vt patres filios, in ijs qui ſunt ad ſalutem, debeant; non autem violento impetu tantum cohibere. Nam vbi Spiritus domini, ibi libertas. In Chriſtianiſmo etiam tanta debet eſſe & vigere amicitia, dulcedo & charitas, vt nemo ſeſe ſupra alium per ſuperbiam efferat, imò cum Paulo, Prælati debent ſe ſuorum ſubditorum ſeruos dicere per Dominum Ieſum. Hoc docuit Chriſtus ſuo exemplo, qui pedes Apoſtolorum lauit, & in eorum medio erat ſicut miniſter. Hoc etiam docet verbo cum ait: Qui maior eſt in uobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Vnde dilucidum fit, & in Eccleſia Chriſti eſſe maiores, præceſſoreſque & ſuperiores, amicè & familiariter ſuis ſubditis ſpiritualia miniſtrare debere, cùm videlicet omnis vocatio, ſit propter aliquam actionē reipublicę vtilem. Hoc conſueuit proteſtari primus Eccleſiæ militantis miniſter honores gratia ſemper vocatus a Chriſtianis Papa, cum ſe ſeruū ſeruorū Dei appellat. In Chriſti ergo Eccleſia, retinea-

tur principatus,& honoretur qui ad illum à Deo eſt vocatus, qui debet pro Eccleſia laborare ex charitate, imitando beatum Paulum, qui degebat cum ſuis gregibus,& ſubditis, tanquam ſi gallina foueret pullos ſuos, quem etiam ita amabant Chriſtiani,vt ſi fieri potuiſſet, eruiſſent & ipſi dediſſent proprios oculos. Vtinam tantum decorem, & ordinem in Eccleſia videamus ad Dei gloriam. Amen.

Lucæ 22. ſcribitur: ad hunc modum: *Amodò non bibam de generatione vitis, &c.* Quo loco prauè detorto, ignoranter, & impiè abutuntur, qui ex eo effici volunt ſolam panis, & vini creaturam percipi, & manducari in Euchariſtia ſacra. Nam manifeſtum euadit ex ijs quæ huic propoſito connectuntur, tam hic quàm in alijs Euangeliſtis, Chriſtum Dominum per generationem vitis intelligere non vini creaturam, & ſubſtantiam,ſed Diuinitatis beatificantis participationem quæ fit in ſacramento Euchariſtiæ mediantibus ſpeciebus panis & vini, ſub quibus realiter continetur, & communicatur verum Chriſti corpus, Diuinitati perſonaliter, & inſeparabiliter coniunctum, per quod ipſa Diuinitas electis communicatur: Illud atteſtante ipſo Chriſto his verbis: Qui manducat me, ipſe viuet propter me. Noſtrum autem propoſitum ex eo confirmatur,quod dicitur non ſimpliciter de generatione vitis, ſed de hac generatione vitis antonomaſticos. Nam vt inquit Zacharias bonum, & pulchrum Chriſti eſt, quod eſt frumentum electorum, & vinum germinans virgines. Et Eſa. cap. 25. his verbis: Faciet in hoc monte conuiuium pinguium, & vindemiæ deffæcatæ: Et ex eo etiam quod ait ſeſe. Illud bibiturum nouum in regno Dei, in quo certum eſt creaturam vini non bibi,ſicut nec panis ſubſtantiam mãducari. Intelligitur igitur Diuinitatis beatificantis participatio,per quam etiam ipſe Chriſtus homo beatus eſt factus: Et ideo, dicitur nobiſcum nouum illud paſcha manducare, & illud vitis genimen bibere: ob quæ Dei ſingularia beneficia, etiam gratias egit, & cum ſuis electis paſcha nouum manducaſſe verè affirmatur. Nam caro non prodeſt quicquam,ſed ſpiritus eſt qui viuificat. Quia autem ſpiritui viuificanti (quæ eſt Diuinitas) ſola Chriſti caro perſonaliter eſt vnita, idcirco neceſſe eſt nos verè, & realiter communicare eius carni, vt per eam, Diuinitatis ipſi coniunctæ participes efficiamur, ex Dei ordinatione propter quam ſcribit Paulus,quòd vnus eſt Dei, & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus, cui ex eiuſdem ordinatione nos qui corporales ſumus communicauimus mediantibus rebus corpereis,accipiendo videlicet ſacramenta,quæ ſunt ſigna viſibilia

Digitized by Google

ſibilia gratiæ Dei efficacis, quæ ex contentis, & opere operato gratiam conferunt, & omnium maximè Euchariſtiæ ſacramentum, quod ipſum omnis gratiæ authorem Chriſtum Ieſum continet, & exhibet. Notandum eſt autem diligenter, quod hinc etiam maximè confirmatur, Chriſtum Deum omnipotentem verè conſecraſſe corpus ſuum, & in illud tranſubſtantiaſſe panem: quia quoties in ſcripturis agitur de hoc myſterio, additur verbum, dicere, quod phraſi ſcripturæ eſt facere. Nam dicere Dei, eſt facere. Dixit enim, & facta ſunt Geneſis primo.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quo loco impiè, & ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt corpus Chriſti non eſſe verè, & realiter in altaris ſacramento, quia videlicet non debeat fieri commemoratio rei præſentis, ſed abſentis. Nam, & ſi Chriſtus verè, & perſonaliter præſens, in corpore glorioſo per fidem adoratur, & agnoſcitur, tamen eius paſſionis quæ præterijt, & nunc abſens eſt fit recordatio, & memoria in Sacroſancta Miſſa: quæ ideo inſtituta eſt, vt per eam fiat recordatio paſſionis Chriſti: quæ & ſi ab omni ſumente, & comedente corpus Chriſti fieri debet: illud tamen maximè, & expreſsè fit in ſacræ Miſſæ myſterio, vbi Sacerdos refert in tegumentis, & alijs ceremonijs, Chriſtum in actu paſſionis exiſtentem. Vnde etiam fit quòd ipſius Chriſti corpus, & ſanguinem ſeparatè conſecrat, offert, & ſumit; quod non faciunt alij quilibet, ſacroſanctæ Miſſæ myſterium munus peragentes. Eam autem memoriam ita debere intelligi de Chriſti (qui re vera præſens adoratur in hoſtia ſacra) paſſione in memoria reuocanda docet Paulus 1. Cor. 11. cum ait ita, Quotieſcunque panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis. Ergo Chriſti re vera præſentia recolitur, quæ abſens eſt, & præterijt paſſio, noſtræ ſalutis nunquam obliuiſcendum fundamentum.

Lucæ 23. ſcribitur ad hunc modum. *Chriſtus latroni, hodie mecum eris in Paradiſo*. Quo loco perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt nullum eſſe poſt hanc vitam purgatorium. Nam latro nunquam peccauit poſt primam cum Chriſto coniunctionem, in qua peccata quo ad culpam, & quo ad pœnam omnino dimittuntur. Purgatorium autem ponitur propter abluenda peccata commiſſa poſt baptiſmum, & primam cum Chriſto coniunctionem, pro quibus pœna eſt toleranda, vt docetur Heb. 6. & 10. 1. Corint. 3. Tob. 4. Eccleſ. 7. 2. Machab. 12. Ioann. 11. & 5. pri-

mæ epiſtolæ eiuſdem. Quum igitur in ſanctam Dei ciuitatem nihil coinquinatum intrare poſſit, & tot homines veniali peccato, & reatu pœnæ mortalium peccatorum aſtricti moriantur, oportet eos purgari poſt mortem, priuſquam gloria donentur. Hæc autem fuit ſemper in Eccleſia Chriſti fides Catholica.

Lucæ. 24. ſcribitur in hunc modum: *Palpate & uidete, quia Spiritus carnem & oſſa non habet ſicut me uidetis habere, &c.* Quo loco ignoranter & impiè abutuntur, qui ex eo colligunt in Euchariſtia nō eſſe verū Chriſti corpus: quia videlicet illic ipſius oſſa nō cernuntur aut palpātur. Nam qui ita ratiocinantur, ignorant conditiones corporis glorioſi & ſpiritualis, quod vt ſi velit is cuius eſt, videtur, vel non uidetur, ſi nolit videri: ita ſi velit tangitur, ſin verò nolit, ipſius oſſa minimè à mortalibus ſenſibus percipiuntur. Quod igitur Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam oſſa ſua tangi, videri & palpari propter iudicium & teſtimonium certum ac neceſſarium ſuæ reſurrectionis, aliquando uoluerit: hoc minimè conuincit ipſum non eſſe in hoſtia ſacra in qua eius oſſa non ſentiuntur. Non enim ſemper, ſed quando ei collibuit & decuit, oſſa ſua tangi voluit. Hoc palam fit ex eo quod reſurrexerit monumento clauſo: & intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis. In hoſtia igitur ſacra, & ſi re uera totus & integer anima & corpore Chriſtus continetur, non tamen eius oſſa ſentiuntur, quia id nō decet nec neceſſariū eſt, quia uidelicet illic eſt per modū ſubſtantiæ, & non modo quantitatiuo ſeu localiter. Hoc tamen & ſi mirabile eſt, non tamen impoſſibile cenſeri debet, maximè in corpore Chriſti, quod Diuinitati perſonaliter & inſeparabiliter coniunctum ex vtero virginis clauſo, & non fractis clauſtris virginalibus egreſſum eſt, atque ſæpius corporis glorioſi actiones habuit. In hoſtia igitur ſacra, & ſi re vera eſt Chriſti corpus, tamen illud ibi ſenſibus percipi, & agnoſci, nec decet nec oportet. Non inde tamen colligi debet aut poteſt, quòd in Euchariſtia ſit Chriſtus, ſpiritualiter tantùm, & non corporaliter, ſed quia eius corpus ſpirituale verè, & realiter, & ſubſtantialiter ibi continentur, ſacramentaliter concluſum, & manducatum realiter.

EX BEATI IOANNIS EVANGELIO.

IOANNIS ſecundo capitulo ſcribitur in hunc modum : *Quid mihi, & tibi mulier?* Quo loco non minus impiè quàm ignoranter abutuntur, qui ex ipſo colligunt ſacratiſſimam virginem Dei matrem non caruiſſe peccato actuali, nec ſine originali eandem eſſe conceptam. Nam teſtes quoſuis facio, ſi hinc aliquid ad peccatum originale, aut actuale probandum trahi poteſt. Quum enim ita dicit Chriſtus, Quid mihi, & tibi mulier, ſcilicet ſi vinum non habent? abſit quòd cogitemus Chriſtum Dominum matrem ſuam accuſare peccati, quin potius talibus verbis docet ſe habere poteſtatem faciendi miracula, non pro qualibet conſanguineorum indigentia, ſed pro gloria Dei, propter quam miſſus erat, vt etiam docuit Luc. 2. his verbis, matrem, & Ioſeph alloquens : Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ ſunt patris mei, oportet me eſſe? Senſus ergo præſentis loci eſt eiuſmodi : Si vinum non habent, nec mihi, nec tibi imputabitur, qui conuiuæ non autem conuiuatores ſumus. Præterea operatio miraculorum qua ſum præditus, tum manifeſtabitur quum venerit tempus a patre deſtinatum. Hic etiam : nec virginem peccaſſe, nec Chriſtum propter peccatum aliquod eam repræhendiſſe indicat textus ipſe, qui refert ipſam miniſtris dixiſſe, vt filij iuſſa explerent : quod illis facientibus, implendo hydrias aqua, Chriſtus matri obſequutus mutauit aquam in vinum. Cædo hoc feciſſet ſi in prædicta petitione mater peccaſſet? non ergo admonitione, aut etiam increpatio quælibet pec-

catum arguit, vt ſæpius hæretici contra Deum, & eius puriſſimam matrem ſacras ſcripturas torquent.

Ioannis 3. ſcribitur ad hunc modum: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum cælorum.* Quo loco tam impiè quàm pernicioſè expoſito abutuntur, qui volunt nō ex eo colligi neceſſarium eſſe omnibus baptiſmum aquę elementaris ad ſalutem, ſed ibi per aquam intelligi tropicos, & allegoricos Spiritum ſanctum, qui vim officiumque aquæ habeat. Aquam etiam carnis, mortificationem exponunt. At longè falluntur, totoque cęlo miſeri, & impij errant. Nam viſibilis ſigni perceptio omnino eſt neceſſaria, vt homo corporalis, corporati, & incarnati verbi Dei communis omnium ſalutis particeps efficiatur. Batiſmus igitur aquæ omnibus planè eſt neceſſarius, vt per eum configuremur, & ſimiles efficiamur, ſecundum Dei ordinationem, Chriſto in carne patienti, & proprio ſanguine conſperſo abluto, & circunfuſo: cuius quidem ſimilitudinem gerit baptiſmus per immerſionem, & ablutionē quæ in ipſo fit. Hic igitur, vbi de re agitur vitandus eſt tropus: vt etiam in illis Diuinis verbis: Hoc eſt corpus meum. Vtrobique enim cathegoricè, & realiter omnia ſunt exponenda.

Ibidem ſcribitur in hūc modum: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt intrare in regnum Dei.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt in baptiſmo, nihil addendum eſſe præter aquam: quare reijciunt omnes ceremonias, quibus in miniſtrando baptiſmo conſueuit Eccleſia ad ſecreta quædam indicanda, & ad myſticam, & religionis Chriſtianæ doctrinam innuendam, & proponendam, & propter infidelium, tum impias irriſiones, tum indignitatem atque incapacitatem (non oportet enim margaritas porcis porrigere, aut ſanctum dare canibus) occultandam. Hinc eſt quod reijciunt, & rident, ſi in baptiſmo conferendo addantur oleum, ſal, ſaliua, veſtis candida, cereus, & alia multa quæ non carent myſterijs; quæ quia non intelligunt ſeditioſi, rident, blaſphemantes ea quæ ignorant, vt à ſcriptura ſacra depinguntur. At longè falluntur, qui Spiritus ſancti in Eccleſia inſtitutionem auerſantur. Et ſi enim ſola aqua eſt de neceſſitate baptiſmi, cum verbo à miniſtro recta intentione prolato, tamen non ſine vtilitate, & myſterio talia adduntur, ad imitationem Chriſti, qui ſæpe per externa ſuos docuit, & miracula eſt operatus. Sciendum eſt enim in baptiſmo, quando aliquis initiatur Chriſtianiſmo, longam, & variam debere fieri catechiſim, quę vt melius memoria vulgò teneatur, non tantum verbum, ſed etiam rebus

Digitized by Google

rebus ſenſibilibus,& externis vt traderetur præceptum,& obſeruatum eſt. Chriſtus cæcum curaturus, ex ſaliua, & puluere lutum fecit, quod poſtea non ſine myſterio eius oculis appoſuit: ita in batiſmate conferendo, non citra ſecretum, & arcanum religionis Chriſtianæ, tam ſaliua quàm alia pleraque adduntur, quorum ſignificationem, & vſum docere deberent populum paſtores, vt ea quæ talibus ſunt ſignificata intelligeret, & ſeruaret, vt etiam confirmaretur, & muniretur in religione Chriſtiana, & fidei catholicæ profeſſione, aduerſus impios hæreticos. Fieri namque vix; ac ne vix quidem poteſt, vt populus in religione ita ab hæreticis varijs rationibus exagitatus: & diuexatus, non turbetur, aut etiam non à recta fide dimoueatur, niſi per paſtores, prædicatione verbi Dei, & explicatione myſteriorum religionis Chriſtianæ quæ oppugnantur, confirmetur, & muniatur; ſimul etiam vitæ probatæ exemplo contineatur, & commoueatur.

Ioannis quarto capite ſcribitur in hunc modum: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate adorare oportet.* Quo loco abutuntur, qui ex eo concludunt peregrinationes, & reliqua externa, quæ in Dei cultu fieri conſueuerunt, prorſus abijci debere. Nam Chriſtus Dominus non damnat externum cultum in Dei adorratione, ſed reprehendit cultum illum, vel qui exhibetur Deo falſo, vel illum qui exhibetur quidem Deo vero, ſed in rebus externis tantum, abſque fide, ſpe, & charitate interna, quod eſt hypocritarum, & non verorum Chriſtianorum. Docet ergo Chriſtus, veram adorationem eam eſſe qua verus Deus intetius, & exterius colitur. Talem autem eam eſſe, quam in templis Catholici exibent Deo, cantandis hymnis, canticis, miſſa celebranda, & alijs Chriſtiani cultus formis obſeruandis, nemo ſanæ mentis ignorare poteſt: & nullus niſi impudens, aut omnino deprauatus, negare audebit. Tales enim in Spiritu, & veritate Deum verum adorant. Percuperet autem Satanas Dei gloriæ, & hominum ſalutis perpetuus aduerſarius, omnia externi in Chriſtianiſmo ſublata eſſe, vt hoc pacto facilius Dei recordatione mentibus humanis elaberetur, & eiuſdem adoratio planè ceſſaret. Contra illud autem ſatanæ malignum propoſitum, inſtituit, & docuit ſemper Deus in Eccleſia cultus externi formas varias. plenius de hac re ſcripſimus in tractatu de adoratione.

Ioannis quinto capite ita ſcribitur: *Scrutamini ſcripturas, quia uos putatis in ipſis vitam æternam habere, Et illæ ſunt quæ teſtimonium*

perhibent de me, &c. Quem locum prauè exponunt qui volunt nihil aliud quærendum præter ſcripturas ſacras, quia videlicet non dixit Chriſtus, adite ceremonias, & traditiones quaslibet. At longè falluntur qui ſemper negatiuè argumentando, malè colligunt. Non ſequitur enim Chriſtus commendauit ſcripturas, ergo reiecit traditiones, quas alibi ſæpius commendat ipſa ſcriptura, & à chriſtianis vult obſeruari, etiam ſi ſcriptæ non ſunt. vide Act. 15. 16. & 2. Theſſ. 2. & 3. cap.

Ioannis ſexto capite ſcribitur in hunc modum: *Hoc eſt opus Dei vt credatis in eum quem miſit ille. Item: Qui credit in me habet vitam æternam.* Quo loco non nulli dupliciter abutuntur: ſcilicet dicendo ſolam fidem eſſe opus Dei, nec eum aliud à nobis exigere: atque etiam inde colligendo quòd in Euchariſtiæ ſacramento, & Chriſti corporis manducatione ſola fide opus eſt, qua videlicet eum pro nobis mortuum, & nunc in dextra patris pro nobis interpellare perſuadeamur. At longè falluntur: nam ſolam ſidem requiri nunquam docuit Chriſtus, qui dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata: ſed admonet ſine fide, quæ eſt opus, & donum Dei, nos in myſterijs fidei proficere, & aliquid intelligere non poſſe iuxta id quod prius Eſaias ſcripſerat in hunc modũ: Si non credideritis, non intelligetis ſeu nõ permanebitis. Hoc autẽ cum in omnibus Diuinis myſterijs ſit verũ, tum maximè in admirabili Euchariſtiæ ſacramento, in quo ſunt tot tantaq; admiratione digna, vt qui Diuinitus fidei dono adiutus, & fultus nõ ſit, ſtare nõ poſſit, imò ſtatim diſcedat, vt fecerũt Capernaitè, & ẽt Chriſti diſcipuli. Fidẽ igitur quæ eſt Dei opus, & donũ neceſſariã eſſe, vt hoc Diuini corporis Chriſti myſteriũ amplexemur, affirmat Chriſtus, nõ aũt fide tantũ, & ſpiritualiter (vt volunt nõnulli) illud eſſe apprehendẽdũ, & mãducandũ, qui poſtea ſubiunget hæc verba: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Verè autẽ ei quod eſt ſignificatiuè aduerſatur. Item, niſi mãducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis. Item, Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Ita qui manducat me viuet ipſe propter me. Fide igitur ſemper opus eſt, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: qua ſanè apertè carent multi, qui nihil niſi fidem in ore habent. Illi enim nihil niſi quod ſentiunt perſuaderi poſſunt. Sic ergo, & mores, & fidem in hominibus ſolius fidei nomine euertit ſatanas, per ſuorum mendaciorum miniſtros, qui nec opera nec fidem curant, ſuo uentri, & non Chriſto domino ſeruientes. At hæc via omnia apud Chriſtianos

turbandi,

Digitized by Google

turbandi, uiſa eſt Satanæ aptiſſima.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Nemo poteſt uenire ad me niſi pater qui miſit me traxerit eum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt hominem uiolentari, nec ullam habere libertatem arbitrij, qua poſſit bonum appetere, & perſequi, atque malum deteſtari & fugere. Nam tollere liberum arbitrium hominis, quid eſt aliud quàm hominem ex homine tollere, id eſt, dicere non eſſe hominem? Homo namque ad Dei imaginem & ſimilitudinem factus, ſua natura donatus eſt ſuarum actionum libertate; qua vti poteſt natura duce in actionibus humanis & moralibus, vt duce gratia in ijs quæ ſunt hominis Chriſtiani, & vitam æternam promerentur. Non vult igitur hoc loco Chriſtus docere hominem carere libero arbitrio, & eundem cogendum à Deo eſſe qui dicit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et ſi hæc feceritis, beati eritis: ſed admonet omnia fidei myſteria excedere humanam rationem, & nos indigere auxilio diuino, vt iis aſſentiamur & firmiter inhæreamus. Trahit enim Deus homines cùm uolentes eos eleuant ſupra humanum captum, vt ea credant eſſe uera, quæ non poſſunt capere, & intelligere, neque ſenſu, neque ratione.

Ibidem ſcribitur ita: *Erunt homines docibiles Dei ſeu docti à Deo.* Hoc loco non intellecto apertè abutuntur, qui ex eo colligunt licere quibuſlibet ſcripturam ſacram exponere, nec de doctoribus curandum eſſe. Huc etiam referunt illud Pſalmographi: Audiam quid loquatur dominus Deus. Item illud Prophetæ Ieremiæ: Non docebit unuſquiſque proximum ſuum, &c. Nam illis locis, docemur quanta ſit Dei familiaritas cum hominibus in lege Euangelica, vt etiam quanta ſit danda copia Spiritus ſancti: ſimul quoque hominẽ non poſſe capere myſteria fidei, & religionis Chriſtianæ, niſi à Deo ſupra rationem omnem eleuatus & tractus diuinitus edoceatur & confirmetur. Nam (vt ait Apoſtolus) fides donum Dei eſt: quare qui moribus corrupti ea priuati ſunt, in hęreſes labuntur, religionis Chriſtianæ arcana relinquendo & ridendo, quia videlicet excæcati ſunt.

Ibidem ita ſcribitur: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in vobis.* Quo loco abutuntur, qui ex ipſo effici volunt corpus Chriſti eſſe miniſtrandum omnibus Chriſtianis ſub vtraque ſpecie. Nam cum Euchariſtia ſeu hoſtia ſacra, & corpus Chriſti non ſit cibus corporis carnalis, & carnali modo ſumendus ſed animæ ſpiritualis panis ſub ſignis

viſi-

Digitized by Google

viſibilibus & corruptibilibus participãdus, non eſt putandũ corpus eſſe ſine ſanguine,& ita vnũ ab altero ſeiungi, vt ſeparatim ſumatur corpus & ſeparatim ſanguis. Nã vtrobiq; integer eſt Chriſtus in corpore, sãguine, anima & diuinitate. Quare,iuſtis de cauſis decreuit Ecclesia ad id potiſſimũ docendum Chriſtũ participari à Chriſtianis nõ ſacrificantibus ſub vna tantum ſpecie. Nec obſtat, quòd Chriſtus dedit Apoſtolis ſeipſum ſub vtraque ſpecie, quia tum cum ſacerdotibus agebat quos inſtituebat, & inſtruebat quæ ſit ratio Miſſæ ſeu ſacrificij Euangelici, in quo Sacerdotes qui referunt Chriſti paſſionem in cuius recordationem, memoriam & repræſentationem eſt Miſſa ab eo ipſo primùm inſtituta atque celebrata, & ſemper in Eccleſia catholica celebrata & obſeruata, debent ſumere corpus Chriſti ſub vtraque ſpecie, quia videlicet eundem referunt vt paſſus eſt. Hic autem non eſt abſurdum aut etiam mirum,aliquid immutatum videri, dando laicis Chriſtum ſub vna ſpecie,cum Apoſtoli formam baptizandi à Chriſto inſtitutam, & traditam, videlicet, In nomine patris & Filij & Spiritus ſancti mutarint, baptizantes in nomine Chriſti. Hoc enim ſi per Apoſtolos, Eccleſiæ miniſtros fecit Spiritus ſanctus Eccleſiæ perpetuus gubernator, quare idem non poterit in alijs myſterijs, & per alios miniſtros qui in Apoſtolorum locum ſucceſſere? Adde quòd Chriſtus, ſub ſpecie panis tantum, dicitur communicaſſe corpus ſuum diſcipulis euntibus Emaus. Huc etiam refert quod. Act. 2. ſcribitur, ſcilicet quòd Chriſtiani in primitiua Eccleſia quotidie conueniebant in fractione panis, id eſt, in communicatione corporis Chriſti, vbi vini nulla fit mentio, nec etiam cap. 20. Sed hinc omnes turbæ, quia hæretici carnales & animales myſteria fidei non poſſunt capere, cum ſpiritu Dei careant, quare carnaliter omnia accipiunt, & interpretantur, ſeipſos euertendo, & alios conturbando. Nota igitur Chriſtianæ, quòd alia eſt (& ſi eiuſdem rei) communio ſacerdotum ſacrificantium, & alia Laicorum. Hi enim ſub una tantum ſpecie communicare poſſunt, non autem illi, quia videlicet Chriſti paſſionem repræſentant, in qua ſanguis à corpore ſeparatus fuit. Non eſt tamen putãdum iam corpus & ſanguinem Chriſti ſeparari poſſe:nam Chriſtus iam mori non poteſt. Sunt igitur diuerſa ſigna, ſed unum tantum ſignatum: aliudque ſignificatur, & aliud continetur: Nam ſanguinis ſeparatio, in cruce facta ſignificatur, & integer viuuſque Chriſtus continetur. Vide plura in ijs quæ de hac re ſpeciatim in Caluinum ſcripſimus.

Digitized by Google

2. Ibidem in hunc modum ſcribitur: *Caro non prodeſt quicquam, Spiritus eſt qui uiuificat.* Quo loco malè intellecto, perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt in ſacramento Euchariſtiæ, non eſſe verum Chriſti corpus & naturale, nec oportere ipſius ullam carnem manducare, ſed tantum ſpiritualiter, per fidem, nos ipſi communicare in dextera patris ſedenti Deum conſtituiſſe. At ipſos in errore verſari facilè deprehenditur, ex eo quod Chriſtus Dominus ſatis manifeſtè de uera ſua carne manducanda locutus eſt. Secum enim pugnaret, qui priùs dixit carnem ſuam verè eſſe cibum & dare uitam. Senſus ergo loci eſt, quòd in hoc myſterio tam diuino, caro, id eſt carnalis intelligentia, non prodeſt quicquam, id eſt, non poteſt tam altum ſecretum capere, ſoli ſpirituali intelligentiæ penetrabile & comprehenſibile: quod indicat, quum ait, quòd Spiritus ſanctus eſt qui uiuificat, id eſt, quòd is proficiet in ſermone præcedenti, qui verba Chriſti ſpiritualiter, & de corpore ſpirituali, uero tamen corpore Chriſti intellexerit. Non eſt enim putandum corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe uiſibile, palpabile, diuiſibile, & corruptioni obnoxium, ſed ſpirituale, id eſt corpus habens ſpiritus conditiones, vt docet de corpore quod ad gloriam reſurrexit Beatus Paulus. 1. Corin. 15. Caro etiam poteſt dici non prodeſſe, quia non à carne Chriſti cauſaliter, principaliter & effectiuè habemus vitam, ſed per eius medium à Diuinitate, cui ipſa Chriſti caro perſonaliter & inſeparabiliter vnita eſt. Ideo enim ſubiunxit Chriſtus, quòd verba quæ locutus eſt, ſunt uita & ſpiritus, quia ſi ea ſpiritualiter accipiamus & non carnaliter, vitam habemus. Verba autem ſunt vita & ſpiritus: quia ei qui credit, per ea datur Spiritus ſanctus à quo eſt uita. Etiam hoc loco refellit duplicem Caperneitarum errorem, quorum prior eſt, quia putabant carnem Chriſti mortalem eſſe comedendam: Poſterior verò, quia putabant illam eſſe conuertendam in comedentium ſubſtantiam, vt fit in cibis communibus contra priorem ait, Verba ſunt ſpiritus: contra poſteriorem, uita in Euchariſtiæ igitur ſacramento, uera Chriſti caro accipitur & manducatur, ſed non carnali modo, quare dixerunt antiqui, nec uentrem nec dentes nos parare oportere, cùm uidelicet non ad morem comedendi ſacrificia Iudaica comedamus Chriſtum ea forma, qua eſt mactatus in cruce, ſed more Chriſtianorum illum accipimus, vt immolatus eſt ſecundum ritum ſacrificij Melchiſedeci. Si enim eius caro vt immolata eſt in cruce manducata fuiſſet, non profuiſſet, nec etiam omnibus hominibus ſufficere & ſatis eſſe potuiſſet ad manducan-

ducan-

Digitized by Google

ducandum, vt quiſque ex ea portiunculam acciperet. Nam Deus ordinauit nobis dare uitam, ſi ipſam manducauerimus, non paſſibilem aut diuiſibilem carnali modo, ſed ſpiritualem. Viuentem igitur & ſpiritualem eius carnem manducare debemus: Verba enim quæ locutus eſt, ſunt ſpiritus & uita, caro autem non prodeſt quicquam. Nam uera Chriſti caro quæ ſumitur & manducatur, eſt ſpiritualis, & glorioſa, & uiuens. Quare cum fide uiua eam ſumentes & manducantes, ſpirituales reddit & facit uiuere. Hęc expoſitio colligitur ex fine capitis, ubi ait beatus Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba æternæ uitæ habes. Vbi etiam animaduerſionem dignum eſt, quod Dominus percellit & accuſat Iudam. Inde enim forſan colligi poteſt illum fuiſſe primum ſacramentarium, verbo Chriſti minimè credentem. Aduerte interim quòd meminit ſuæ in cœlum aſcenſionis, cùm ita ait: quid ſi videritis filium hominis aſcendentem in cęlum, vbi erat priùs? vt doceret illam non repugnare ueræ manducationi ſui proprij corporis in terra, vt ſuæ Diuinitatis fidem in diſcipulis confirmaret, quam poſtea confitetur Beatus Petrus: Oſtendit enim his verbis aliter eſſe ſentiendum de ſuo corpore, quod miraculosè formatum eſt, & contra corporis naturam in cœlos aſcendit, quam de alijs corporibus. Opponit igitur manducationem ueræ & proprię carnis ſuæ, manducationi mannę, quòd erat ipſius figura. Docet autem talem manducationem fieri ſpirituali modo per fidem & ſacramentum, non autem carnaliter, & ſi uera caro manducari debet. Verum autem Chriſti corpus realiter & ſubſtantialiter manducari debere, docemur figura mannæ & agni paſchalis, quæ reuera manducabantur: quare & corporis Chriſti, quod figurabant, verè & realiter manducari debet.

Ioannis octauo capite ſcribitur ad hunc modum: *Nemo te condemnauit mulier? Nemo Domine, nec ego te condemnabo.* Quo loco pernicioſè abutuntur, qui ex eo colligunt adulteria & reliqua ſcortationũ fornicationũmq; genera, puniri non debere in lege Euãgelica. Nã Chriſtus nõ dixit ea nõ eſſe puniendã, ſed voluit docere ciuiliter & ex lege, agendum eſſe cum illa. Lex autem iubebat, vt teſtes primi lapidem in eam conijcerent. Quare illis, accuſante & perterrere faciente conſcientia, fugientibus, æquum fuit vt libera abiret maximè à Chriſto miſericordi & gratiæ authore, qui iudicium politicum & legale exercere nolens, iudicem Euangelicum & ſpiritualem egit, præcipiendo interim ne peccatum repeteret. Nullo igitur iure Euangelio, impunita remanere debent adulteria. Illa enim

ſi vt

ſi vt iuſtũ eſt acerbè punirētur, nos tot hæreſes & turbas minimè cer neremus. Qui.n. remanebit Spiritus ueritatis, & puritatis cũ hominibus impuris & penitus carnalibus? aut quomodo conſentient amicè qui falsò putantur filij & cognati, cũ non ueris ſuis patribus & conſanguineis? Quomodo etiam qui omnino ex peccato ſunt procreati, non quodlibet uitiorum genus amplexabuntur? Vę igitur ter; quaterque, væ illi patrię in qua minùs puniuntur adulteria, quin potius honorantur & euehuntur ad publicas etiamnum dignitates, & quidem nonnunquam Eccleſiaſticas, eaſque primas & maximas; fœda libidinis geminina & occultanda aut alio neſcio, quo longè ablegeanda, pręcædentium delictorum & præteritarum diſſolutionum, contra omne ius & fas pignora. O dedecus? proh pudor? Siccine tanquam Sodoma & Gomora ſemper peccata & ſcelera noſtra prædicabimus? Interim tamen vſque adeò cæci ſumus, vt de inuenta & propalata ſincera & pura religione gloriemur & inſoleſcamus. Cædo, fuit, ne talis primitiuæ Eccleſiæ forma? Erubeſcamus igitur cæci & miſeri, & pœnitentia Dei iudicio occuramus, niſi penitus excindi volumus.

Ioan. 9 cap. ad hunc modum: ſcribitur. *Deus peccatores non exaudit*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt miniſtros Eccleſiæ nihil Deo gratum efferre & Chriſtianis vtile miniſtrare poſſe, cùm uidelicet ſint peccatores. Aliud eſt enim loqui de oblationibus priuatis, & aliud de publicis. Sacramenta enim quæ non habent ſuam efficaciam à miniſtris, non poſſunt eam amittere propter ipſorum uitam corruptam, & ſi peccant, qui ea impurè & in peccato miniſtrant, alijs & non ſibi vtilitatem afferentes.

Ioan. 13. cap. ita ſcribitur. *In hoc cognoſcent quòd diſcipuli mei eritis, ſi inuicem dilectionem habueritis*. Quem locum perperam exponunt, qui ex eo colligunt opera Chriſtianorum eſſe tantum ſigna & teſtimonia probitatis & iuſtitiæ, quæ per fidem habetur. Nam bona opera quæ fidem ſupponunt, & etiam indicant, non ideo minus ſunt uitæ æternæ meritoria, quia fidei ſunt teſtimonia, vt fructus optimi non minus ſunt ſuaues & precioſi, quia indicant ſanas & bonas eſſe arboris radices. Opera igitur & fidem teſtantur eſſe bonam & præmio laudeque ſunt digna.

Ioannis 14. ca. ita ſcribitur: *Ego ſum via, veritas, & vita*. Quo loco abutuntur, qui ex eo concludunt fidem in Chriſtum ſatis eſſe ſine operibus. Nam fides talium Chriſti conditionum nullo pacto excludit opera bona, imò potius ipſa requirit & commendabilia efficit.

Digitized by Google

ficit. Nam non ſunt Chriſti, id eſt vitæ & veritatis participes, qui in ſanctitate & charitate non viuunt.

Ioannis 15. ſcribitur ad hunc modum: *Omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis*. Quem ſanè locum miuimè intelligentes deprauant, qui ex eo colligunt nihil planè in Eccleſia eſſe recipiendum, quod non tradiderit Chriſtus ſaltem per Apoſtolos, quibus præcepit vt docerent omnes gentes ſeruare quæcunque ipſis mandauerat. Nam eſto Apoſtoli docuerint plenè, & doctrinam Chriſtianam verbo, varijque ceremonijs & traditionibus perfecerint nihil ad hunc locum, in quo non Apoſtolis Eccleſiam docentibus, ſed de Chriſto ipſos Apoſtolos inſtituente agitur, vt manifeſtum euadit ex ipſa litera. Chriſtum autem non omnia, quæ à patre audiuit & didicit, Apoſtolis denudaſſe teſtantur ipſe ſcripturæ. Quid enim clarius loco illo, habeo vobis multa dicere, ſed non poteſtis portare modo: Spiritus autem ſanctus cùm venerit, docebit vos omnem veritatem? Nullam igitur iniuriam Chriſto, aut Apoſtolis irrogarunt poſteriores Eccleſiæ paſtores, illa per Spiritum ſanctum ſtatuendo, quæ prius incognita & inaudita in ipſa fuerant. Habuit ſiquidem Eccleſia ſuas ætates, quæ prius lacte, poſterius verò ſolido cibo vſa eſt. Semper autem domini fuerunt præcepta quę per ſpiritum fuerunt propoſita, ea ſcilicet quę per Spiritum ſanctum in Eccleſia ſtatuerunt legitimi paſtores. Omnia igitur nota fecit Chriſtus Apoſtolis, quæ ipſis conuenientia & neceſſaria erât pro ſuo tempore. Non autem prorſus & omnino cuncta, quæ à patre intellexerat, illis aut capere non valentibus, aut non indigentibus reuelauit: & ſi multa & quidem magna, & cognitu neceſſaria ſecreta ipſis detexit.

Ioan. 17. cap. ſcribitur, quòd *Chriſtus pro ſuis electis orauit*, vnde male colligunt nonnulli non eſſe nobis opus oratione, quia aliter videretur oratio Chriſti inſufficiens eſſe. At longè falluntur. Nam actiones Chriſti nos ad agendum inſtruunt, non autem ab actione reuocant. Non ſequitur enim, Chriſtus pro nobis orauit, ieiunauit, paſſus eſt, &c. Ergo talia non ſunt nobis præſtanda, imò contrà, debemus talia facere, vt Chriſtum imitemur: quia ea præſtitit, vt per eam acceſſum ad patrem habeamus, cùm ſimilia præſtare conabimur. Eius enim baptiſmus, noſtrum ſanctificauit: & paſſio ipſius, noſtras afflictiones Deo acceptas efficit, & ita de ſimilibus.

Ioannis decimonono ita ſcribitur: *Conſumatum eſt*. Quo loco abutuntur, qui ex eo effici volunt opera non eſſe neceſſaria Chriſtia-

nis,

nis, cùm videlicet Chriſtus omnia conſummarit. Nam illic fit ſermo de adimpletione legis, & perfectione redemptionis humanæ, non autem aliquo modo de operum neglectu.

Ioan. 20. ita ſcribitur. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quo loco perperam accepto abutuntur, qui ex eo colligunt non eſſe opus auriculari confeſſione, quia videlicet illic Chriſtus eam non præcepit. Non ſatis eam præcepit implicitè, qui dixit quædam peccata eſſe remittenda, quædam autem retinenda, eam autem poſtea Spiritus ſanctus in Eccleſia apertiùs docuit, & exerceri fecit. Non ſunt igitur audiendi qui hunc locum exponunt de ſola poteſtate prædicandi Euangelium: Nam illam alibi tradidit Chriſtus, qui hoc loco illud præſtat quod Matth. 16. cap. promiſerat. Certum eſt autem ſacramentalem confeſſionem hoc loco eſſe inſtitutam. Nam ſi Sacerdotes debent remittere, aut retinere peccata, oportet ea ipſis detegi: cùm videlicet non ſcrutantur corda & ſecreta conſcientiarum. Ut igitur, qui inſtituit iudicem, inſtituit & poteſtatem examinandorum teſtium: & ſi hoc non exprimitur, quia uidelicet non poteſt iudex ferre iuſtam ſententiam, abſque teſtium depoſitione. Ita etiam cùm Chriſtus dedit poteſtatem remittendi peccata ſacerdotibus, docuit ſatis confeſſionem peccatorum ipſis faciendam eſſe. Eſt igitur confeſſio auricularis de iure diuino in lege Euangelica: & ſi eius modus eſt de iure poſitiuo. Qua in re non ſatis diſtinguentes & exquirentes quidam Decretiſtæ, apertè & pernicioſè dixerunt illam eſſe de iure poſitiuo.

Digitized by Google

DE ACTIBVS APOSTOLORVM.

ACTV ita ſcribitur: *Sicut uidiſtis eum aſcendentem in cœlum, ita ueniet*. Quo loco abutuntur ignoranter, qui ex eo colligunt Chriſtum non eſſe in Euchariſtia. Nam non incipit eſſe in ea per loci mutationem, ſed modo ipſi ſpeciali & incomprehenſibili, per ſubſtantię panis conuerſionem in ipſum, quæ fit verbi Dei, vbique præſentis, & inſeparabiliter Chriſto coniuncti (quod diligenter notandum eſt in hoc myſterio, vt plenius intelligatur vel potius credatur) omnipotentia. Aliud eſt igitur longè, loqui de eius aduentu ad iudicium in forma propria & viſibili, atque de eiuſdem præſentia reali in Euchariſtia, in forma aliena, ad nutriendum in myſterio fidei electos. In Euchariſtia enim perſonaliter præſens eſt Chriſtus, non mutando locum, ſed conuerſione ſubſtantiæ panis in ipſum, quæ proprium locum illi cædit: remanentibus interim panis accidentibus, nulla in re per talem conuerſionem deterioritatis. Hoc autem myſterium perficitur uerbo Dei, quo omnia primum creata habent ſuam conſeruationem, cum facultate producendi ſibi ſimile. Quare non debet uideri impoſſibile, quòd verbo Dei ad hoc deſtinato, conuertatur ſubſtantia panis in corpus Chriſti, cùm ab initio mundi unumquodque procrearit ſibi ſimile, virtute huius verbi quod Deus protulit, ſcilicet: Creſcite & multiplicamini: Nec tamen ideò Chriſtus debet dici ex pane factus: quia non habet ſuum eſſe à pane, aut ex pane: ſed magis in Dominicam ſubſtantiam panis ſubſtantia conuertitur ad animarum nutritionem.

Act. 2. ſcribitur in hunc modum: *Non derelinques animam meam in inferno, &c.* Quo loco nequaquam intellecto abutuntur pernicioſè, qui per infernum exponunt ſepulchrum: quod faciunt, vt promoueant ſuum errorem, quo affirmant Deum non deſcendiſſe ad inferna, vt videre eſt ſæpius in peſtilentiſſimis impij Caluini ſcriptis.

Te-

Tenendum eſt igitur Chriſti animam ad infernum deſcendiſſe, vt patet ex his, quæ ſcribuntur Ephe.4.1.Pet.1.& Pſ. 15.& eiuſdẽ corpus in ſepulchro manſiſſe. Deus autem corpus à putrefactione in ſepulchro vindicauit,& animam ab inferno cum gloria reuocauit,eam proprio corpori reuniendo propter admirabilem, & glorioſam eius reſurrectionem perficiendam. Hoc autẽ myſterium ſummũ eſt,& reparationẽ humanæ primitiuæ, & ſigna certiſſima: cũ videlicet prius omnium, etiam piorum & ſanctorum animæ inferno retinerentur, & eorundem corpora in ſepulchris putrefierent, & corrumperentur. Hinc igitur manifeſtiſſimum euadit quanto in errore verſentur, & quanta cæcitate teneantur hæretici noſtri ſeculi, carnales, impij & cæci, qui omnia ſurſum deorſumque voluentes, ſub prætextu reformationis & purioris doctrinæ, fidem catholicam planè euertunt, & verbo Dei apertè repugnant.

Ibidẽ ſcribitur ad hunc modũ: *Non dabis ſanctũ tuum videre corruptionẽ.* Quo loco abutuntur impiè & ignoranter, qui ex ipſo colligunt corpus Chriſti non eſſe re uera in Euchariſtia quia videlicet illa corrũpitur. Nã quod in Euchariſtia corrũpitur,non eſt corpus Chriſti, quod eſt impatibile, & incorruptibile, ſed ſpecies panis, aut vini. Non debet autem videri mirum, quod corpus Chriſti maneat integrum corruptis ſpeciebus ſub quibus latet, cùm videlicet patiente humanitate,Diuinitas eidem perſonaliter & inſeparabiliter coniuncta,nihil paſſa ſit. Sic aqua extinguit ignẽ ferri igniti, ferro manente integro.Sic gladius corpus penetrat & occidit,anima illeſa remanente,Sic ſecuris ſecat arborem ſole irradiatã radio ſolis illeſo. Sic ignis corpus abſumit illeſa anima. Vt autem Iudæi infideles negabant Chriſti Diuinitatem, quum ipſius humanitatem pati cernebant: Ita hæretici, cum vident ſpecies hoſtiæ corrumpi, non poſſunt ſibi perſuadere in ea corpus Chriſti impatibile contineri: Verum placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Semper enim myſteria Chriſtianæ religionis deriſa ſunt, & blaſphemata ab impijs infidelibus, vt cum omni reuerentia & humilitate ſemper accepta à fidelibus fuerunt. Hoc eſt quare antiqui, cùm Miſſa erat celebranda, canebant: ſurſum corda. Item, Sancta ſanctis: Cathecumini etiam egrediebantur.

Ibidem ſcribitur ad hunc modũ. *Hunc Chriſtum Deus ſuſcitauit à mortuis,ſolutis inferni doloribus.* Quo loco ignorãter æquè,ac impiè abutũtur,qui ex eo colligũt Chriſtũ poſt mortẽ paſſum eſſe in anima, ſuſtinendo in ipſa inuiſibile, atq; incõpræhenſibile Dei iudicium,pa-

tiendo terrifica tormenta, quæ ſentire debent reprobi,& damnati: Nam conſtat ex verbo Dei expreſſo, nulla tormenta iuſtorum animas poſt mortem manere. Huc ſpectāt illi loci ſcripturæ: Beati mortui,qui in Domino moriuntur. A modò enim dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Item ſi iuſtus morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Chriſtum etiam,aut pro ſe,aut pro alijs poſt mortem aliquid paſſum eſſe,repugnat ei quod in cruce dixit,cū moriens acclamauit conſumata eſſe quæ ad noſtram redemptionem requirebantur omnia. Item cùm dicit latroni, hodie mecum eris in paradiſo. Cùm enim paradiſus ſit gloria,& quies perfecta, quomodo pati eum concedemus qui in paradiſo erat? Chriſtus igitur, cùm hic viueret tam in anima quàm in corpore paſſus eſt: Nihil autem poſt mortem pati potuit, iuſtus,& iuſtificans: cuius anima glorioſa ab inferis eſt reuocata, vt corpori à putrefactione preſeruato, ad reſurrectionem reuniretur.

Ibidem: Sacramentum Euchariſtiæ vocatur panis. Quo loco apertè abutuntur, qui inde colligunt in eo Sacramento non eſſe verum Chriſti corpus, nec panis ſubſtantiam in corpus Chriſti verè mutatam eſſe. Nam ſolentes denominari, & dici ſecundum quod ſenſibus patent: quare cùm in ſacramento Euchariſtiæ ſenſus nihil niſi panem agnoſcant, panis dicitur. Adde etiam quòd phraſi ſcripturæ ſacræ,res in quas aliæ ſunt mutatæ, retinent nomen rerum in ipſas mutatarum. Sic Adam Euam vocauit, & carnem ſuam; Sic ſerpens in quem conuerſa fuit virga Moyſis, dicitur virga;ſic qui à cæcitate per Chriſtum curati erant,dicebantur cæci, quum dictum fuit, quòd cæci videbant,& ita de ſimilibus. Sic igitur verum,& naturale Chriſti corpus,in quod conuerſa eſt per omnipotens Dei verbum,panis ſubſtantia dicitur panis. Adde etiam quòd verus eſt panis, qui de cœlo deſcendit, vt ſcribitur Ioan.6.

Act. 3. ſcribitur in hunc modum de Chriſto: *Quem oportet cælū retinere quoad venerint tempora refrigerij,&c.* Quo loco minimè intellecto abutuntur,qui ex eo colligunt Chriſtum Dominum non eſſe in hoſtia ſacra verè,realiter,ſubſtantialiter, & perſonaliter. Nam ſi diligenter inſpicerent ſcripturam,viderent,quòd ſicut illa affirmat eum eſſe in cœlo:ita & eundem in terra nobiſcum corporaliter, & ſi non corporali ſpecie permanere ſepius docet. Si igitur credunt ſcripturæ dicenti illum eſſe in cœlo,credant itidem illi affirmanti eſſe nobiſcum, non tantū ſpiritualiter, ſed ſubſtātialiter, & in corpore proprio,licet inuiſibiliter pro noſtra ſcilicet præſenti hic cōditione,quæ

Digitized by Google

non eſt viſionis,& plenæ fruitionis,ſed fidei,& ſpei. Quare hic non eſt abſconditus Deus, verè tamen nobis coniungitur: quia re vera ille caput noſtrum eſt, qui ſumus membra corporis eius caro de carne,& os de oſſibus eius. Ex quo igitur conſummatum fuit per verbi incarnationem cum natura humana matrimonium, ſemper verum fuit illud Prophetæ,Emmanuel,id eſt nobiſcum Deus, qui ſubſtantialiter, & perſonaliter ſeſe communicat ſuis electis,medio ab eodē ordinato,ſcilicet ſumenda hoſtia ſacra,vt oportet,& conuenit. Qui igitur Chriſtum ſubſtantialiter, & corporaliter ab Eccleſia hic militante ſecernunt,diuortium inter ipſum, & Eccleſiam eius docent: quod ſcripturæ, & Dei ordinationi aduerſatur. Credamus igitur quia ſcilicet tantum myſterium, nec intelligere, nec cernere poſſumus)Chriſtum totum,& integrum in corpore, anima, & Diuinitate ſeſe Eccleſiæ ſuæ communicare,tam in cœlo,quam in terra, ſed hic inuiſibiliter,illic autē viſibiliter,vt ſcilicet obſeruetur ratio ſtatus viſionis,& fidei: hoc autem poteſt qui eſt omnipotens plus valens præſtare,quàm creatura poſſit mente,& cogitatione cōſequi. Facti enim huius tam admirabilis ratio eſt,potentia infinita facientis Dei,quem fatendum eſt aliquid poſſe facere, quod capere minimè valemus: Credimus autem eius verbo, quem certò ſcimus mentiri non poſſe. Credamus igitur(quia credenti omnia ſunt poſſibilia)& admiremur tantum myſterium, captiuantes intellectum noſtrum in obſequium Chriſti,vt merito fidei ſaluemur. Videamus igitur diligenter ne impiorum, & reproborum more eà blaſphememus ſecreta, quæ animales aut etiam carnales ignoramus, cæci,& hebetes propria iniquitate facti. Scire namque,& cogitare ſæpe debemus. Deum omnipotentem,& veracem ſua ſecreta uiſibilibus ſignis propter fidei exercitationem occultaſſe. Quoniam igitur de mirabilibus,quæ fiunt circa hoc ſacramentum quæſtio eſt, ad fidem ſemper confugiamus, quæ ad confirmandum cor ſincerum ſola ſufficit. Memores ſemper interim eius Chriſti dicti, quod ſcribitur Matt. 19. ſcilicet quòd, & ſi apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum tamen omnia ſunt poſſibilia. Mirum eſt autem quòd dubitamus de poteſtate eius, quē credimus omnipotentem eſſe. O ſeculum noſtrum impurum corruptum, & cæcum.

Act.4.c.ita ſcribitur: *Nō eſt aliud nomē ſub cœlo datū hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri: & non eſt in alio ſalus quàm in Chriſto.* Quē locū prauè detorquent,qui ex illo colligunt ſanctos nō eſſe orandos,nec alia vlla media ſalutis eſſe quærēda,præter fidē Chriſti Ieſu.

L 2 Nam

Digitized by Google

Nam præces ſanctorum, ieiunia, vota, peregrinationes, ſatisfactiones pro peccatis, & ſimilia fidei exercitia, nos non impediunt quò minus in Chriſto vno mediatore, & redemptore ſalutem quæramus; ſed magis nos ipſi coniungunt, vt etiam ſacramenta externis, & corporalibus in rebus ſuſcepta. Scimus enim illa omnia non nobis prodeſſe, niſi per meritum Chriſti, cui etiam nos coniungunt, vt eius meriti, & paſſionis efficiamur participes. Vnum igitur mediatorem & ſaluatorem Chriſtum Dominum noſtrum agnoſcimus, & amplexamur, non negligendo tamen interim ea media, quibus ipſi coniungi, vt per ipſum ſaluemur, poſſumus.

Ibidem ita ſcribitur. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*. Quo loco perniciosè, & impudenter abutuntur, qui ex eo colligunt reijcienda eſſe Eccleſia prælatorum, & principum Chriſtianorum præcepta. Nam tales etſi homines ſunt, tamen Dei vicarij in eius gubernanda Eccleſia exiſtimari debent, quibus obedire debemus quatenus tales ſunt, id eſt, Dei vicarij ex eius volũtate, & verbo præcipiẽtes. Tunc enim qui eos contemnunt, Deum contemnere dicuntur; quia qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, cum videlicet omnis poteſtas ſit à Deo. Secus eſt autem, ſi contra Dei verbum aliquid imperarent. Nã tunc Deo magis quã hominibus obedire oporteret. Hoc vtinã conſideraretur à multis infœlicis huius ſeculi proteruis.

Ibidem ita ſcribitur: *Omnia erant Chriſtianis communia*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nobiles nõ debere tot terras, & ſubditos habere: Nã Euangeliũ quod vult reddi Cæſari, quæ ſunt Cęſaris, non tollit poſſeſſionem, proprietatem, & poteſtatẽ ſeu ordinationẽ quamlibet ciuilẽ, honeſtã, & iuſtam, quod indicat Apoſtolus cùm ait: Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ. Omnia ergo debent eſſe inter Chriſtianos cõmunia, quo ad effectũ, & pium Chriſtianumque vſum. Nam quòd aliqui ſua vendebant, & afferebant pretia ad pedes Apoſtolorum, volentes, libereque non autẽ coactè id faciebant.

Actuum 8. ſcribitur ad hunc modum: *Quum audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſolymis quòd Samaria recepiſſet verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem*. Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt Petrum non fuiſſe cæteris Apoſtolis ſuperiorem. Nam non eſt miſſus ab aliquo in particulari, ſed ab illis congregatis qui Eccleſiam repræſentabant. Non fuit autem beatus Petrus ſuperior tota Eccleſia, ſicut nec nunc eius ſucceſſor Papa: quare non eſt mirum ſi ab Apoſtolis congregatis, id eſt ab Eccleſia, miſſus eſt. Adde etiam quòd ſuperior poteſt inferio-

Digitized by Google

rum rogato, & conſilio aliquid ſuſcipere, quare non efficiatur inferior,

Actuum 10. ſcribitur ad hunc modum: *Ait Petrus, Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum, & vox dixit ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Quo loco minus ab ipſis intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt nullum eſſe faciendum ciborum delectum. Nam illic non eſt ſpiritus ſancti intentio agere de cibis, ſed de hominibus ad fidem conuertendis, vt ipſa litera docet. Adde etiam quod Eccleſia nullum cibum immundum eſſe cenſet, ſed cum gratiarum actione vult percipi, & cum Dei ordinatione, iuxta Pauli Apoſtoli doctrinam, & præceptum. Plenius de hac re ſcripſimus in tractatu de quadrageſima.

Ibidem ita ſcribitur: *Petro venit obuiam Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit eum. Petrus vero eleuauit eum, dicens: Surge, nam, & ego ipſe homo ſum.* Quo loco perperam accepto abutuntur, qui ex ipſo concludit nullum honorem eſſe deferendum hominibus in dignitate conſtitutis, & maximè magnum illum ſummi Pontificis honorem, ideò aduerſantur, ſubſannant, & eijciunt. Nam & Petrus benè fecit, & Cornelibus ſimiliter bene. Petrus enim Cornelium ſurgere fecit, vt indicaret (ſequendo Chriſti præceptum) ſe inanis gloriæ affectu non duci, ſed omnia in Deum, qui per eum mirabilia operabatur, referre. Cornelius ēt laudandus eſt, quod Petro, Dei Chriſti Apoſtolo, & legato, honorē detulerit. Qui .n. legatum recipit ut legatum, eum qui legauit recipere cenſetur. Hoc etiam indicat Chriſtus cum ait. Qui vos recipit, me recipit. Hoc ēt forſan fecit Petrus, quia multi erant ita deluſi, vt deos putarent quos miracula oprrari cernebāt, vt ſcribitur de Paulo, & Barnaba Act. 14. & 19. c. ſic ſcribitur: hic Paulus auertit multā turbā dicens, quoniā non ſunt Dij qui manibus fiunt. Adde ēt quòd nō poterat ille Cornelibus ſemper adiacere pedibus Petri, & ideo oportuit Petrū ex honeſto, & decoro, illū vt ſurgeret mouere. Notandum ēt quòd Paulus, & Silas nō reprehenderunt cuſtodem carceris quādo procidit ante pedes eorū, vt ſcribitur Act. 16. cap. Nec etiam Eliſeus Sunamitidem aduolutam ipſius pedibus honoris, & reuerentiæ gratia, vt ſcribitur 4. Regum. Beatum Apoſtolum, puto, imitatur ſummus pontifex, qui Chriſtianos ſuis pedibus aduolutos, vt in ipſo Chriſtum cuius eſt vicarius agnoſcant, & honorent, ſurgere facit. Talem autem honorem, etiam vſque ad pedum oſcula, nunquam reprehenderunt aut etiam aſpernati ſunt pij, & docti Chriſtiani, qui Chriſti inſtitutionem in

Digitized by Google

Eccleſiæ adminiſtratione agneſcentes, eum in ipſius vicario ſemper honorarunt. De tali honore forſan hæc ſunt intelligenda. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ, nutrices tuæ, & puluerem pedum tuorum lingent. Notabunt locum quibus placebit, ſed interim nobis dolendum eſt, quòd officioſi non ſunt omnes noſtri Prælati. Hinc enim fundi noſtri calamitas. Nam certo eſt quòd duplici ſunt honore digni qui benè præſunt presbiteri. Iuſtus autem eſt Deus, qui vult illos ignobiles, & contemptibiles eſſe qui virtute, & zelo Dei deſtituti, ſola ambitione, & auaritia Eccleſiæ dignitates perniciosè, & iniuſtiſſimè inuaſerunt. Non poteſt enim dimpati Deus iuſtiſſimus inutiles fucos, & ventres pigros operariorum, & officioſorum paſtorum honore donari, & gaudere. Sunt autem omni iure veri, & officioſi Sacerdotes magis quam reges honorandi. Quanto enim animus præſtat corpori, & ſpiritualia æternaq; caducis, & corporalibus, tanto maior eſt Sacerdotum quam Regum vocatio. Quum ergo gradus honoris ſequatur dignitatem vocationis (nã omnes homines natura ſunt æquales,) quare dedignãtur Dei Sacerdotes honorare Deum, cuius ſunt vicari, & miniſtri, in ipſos agnoſcendo, qui terrenos principes propemodum adorant ipſorum manus oſculando, genua amplexando, atque etiam genibus poſitis manibusque complicatis omni cum reuerentia, humilitate, & timore eoſdem deprecando? aut ſanè Dei memoriam eiusque religionẽ ſublatam prorſus volumus, aut talpis cæciores ſumus, inebriati vino calicis fornicationum magnæ illius meretricis quam deſcripſit Apocalypſis. 17. capite beatus Ioannes Euangeliſta.

Act. 13. ita ſcribitur: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes.* Quo loco abutuntur, qui ex illo colligunt non eſſe puniendos hæreticos, ſed vnumquemque eſſe relinquendũ ſuæ libertati. Nam eo loco recenſent Apoſtoli præceptum, quod habebãt de deſerendis Iudæis incredulis, quos Deus reprobarat. Prę terea aliud eſt longe loqui de fide recipienda, & aliud de eiuſdẽ profeſſione. Fidem enim recipere eſt liberum, ſed receptam profiteri, ex traditione & conſuetudine Eccleſiæ, eſt neceſſarium. Quare nos poſſumus cogere ad confeſſionem fidei, & ad promiſſionem ſeruandam hæreticos, qui in noſtra Eccleſia ſunt baptizati, & eius fidei profeſſionem ſunt polliciti. Illi autem, non poſſunt, niſi contra

omne

Digitized by Google

omne ius, & æquum, nos cogere aut etiam impellere ad confeſſionem ſuæ impietatis, quam nunquam recepimus. Illos autem a nobis cogi, & retractarios grauiſſimè puniri debere, docet Apoſtolorũ facta, qui illos ſatanę cruciandos tradiderunt, & etiã morti occumbere fecerunt. Huc referri poteſt locus ille Lucæ nono. Neſcitis cuius Spiritus filij eſtis.

Ibidem ita ſcribitur: *Dauid quum in generatione ſua adminiſtraſſet voluntati Dei, dormiuit, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt ſanctos poſt hanc vitam nos non iuuare. Nam intentio Apoſtoli eſt non de oratione agere, ſed probare Dauidem vidiſſe corruptionem. Quod autem Dauid mortuus profuerit populo, patet. 4. Reg. 19. vbi ſcribitur Deum conſeruaſſe vrbem, & populum propter ſe, & Dauidem.

Act. 15. ſcribitur ad hunc modum: *Dixit beatus Iacobus: Ego iudico, non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum, &c.* Quo loco minus intellecto abutuntur, qui ex eo effici volunt quòd beatus Petrus non fuit Apoſtolorum vertex, & princeps: quia videlicet in illo concilio non Petrus ſed Iacobus ſententiam tulit. Nam (hoc etiam prætermiſſo quòd beatus Iacobus erat Epiſcopus Ieroſolymitanus) clarum eſt ex præcedenti litera beatum Petrum ſententiam de re controuerſa in illo concilio tuliſſe, quam reliquis omnibus tacendo approbantibus, beatus Iacobus admonet vt talis per beatum Petrum lata ſententia ſignificetur ſcriptò Eccleſijs. Sic enim habet litera: Iudico, id eſt ſequendo Petri ſententiam, bonum, & vtile dico non inquietari eos qui ex Gentibus conuertuntur, ſed ſcribere ad eos, &c. Primatus autem Petri in Eccleſiæ Chriſti directione, ſatis docetur Mat. 16. Ioan. 21. Et in Actibus Apoſtolicis, ſæpius cum beatus Petrus primus proponitur, loquens de ijs quæ ſunt fidei, & profeſſionis Chriſtianæ.

Act. 17. ſcribitur in hunc modum: *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli, & terræ cùm ſit Dominus, non in manufactis templis inhabitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, &c.* Quo loco peſſimè abutuntur, qui ex eo colligunt malè, & contra ſacram ſcripturam nos affirmare Chriſtum Deum, & hominem eſſe perſonaliter in hoſtia ſacra, & in templis eſſe re vera. Nam dilucidum fit ex ipſo textu, ipſum Apoſtolum non negare Deum eſſe vbique, ſed reprehendere Gentilium falſam, & impiam de Deo perſuaſionem, quia exiſtimabant Deum definitiuè, & circũſcriptiuè loco certo ita contineri vt alibi non eſſet. Illi enim varios Deos ad

mittebant,& colebant,quibus opus erat protectione, & defenſione humana: Deus autem uerus Chriſtus Ieſus, eſt quidem vbique, & omnia continet per ſuam Diuinitatem, in humanitate autem, ipſi Diuinitati perſonaliter, & inſeparabiliter coniuncta,non eſt vbique, ſed ex ipſius ordinatione eſt in cœlo viſibilis, & in hoſtia ſacra inuiſibilis,& ſacramentaliter, pro conditione noſtri ſtatus, & neceſſitate noſtræ ſalutis. Vtrobique autem nullo indiget: quia eius corpus eſt iam impatibile, & immortale,& ſi accidentia quibus tegitur, & inuoluitur Dominum illud corpus,ſunt corruptioni, & alijs alterationibus obnoxia quare aliquo indigent vt conſeruentur, cum videlicet ex Dei ordinatione per illa corporata ſigna,corpus Chriſti,vt per illud vitam habeamus, nobis communicetur. Illic igitur eſt adorandus Chriſtus Deus æternus, & omnipotens, quem ignorabant Athenienſes. Is autem non manibus humanis, aut aliquo indiget, ſed dat vitam,& omnia ſuſtentat,Chriſtus in hoſtia verè Deus, ſed abſconditus propter fidei ſtatum.

De eo Eſaias apertè locutus eſt cap. 45. his verbis: Deus noſter eſt Deus abſconditus,Non ergo Deum eſſe in templis dedicatis, aut in ipſis orari debere negat, cum videlicet ſcriptura affirmet templum dedicatum, & conſecratum, eſſe domum Dei, & domum orationis: illudque ſanctificare ea quæ in eo ſunt, & fiunt, vt docetur Mat. 23. cùm dicitur templum ſanctificare aurum quod in ipſo eſt, ſed docet Deum eſſe infinitum nec vllo loco circunſcribi aut etiam definiri, qui omnia continet. Aduertendum eſt igitur verbum,habitat,hoc loco non ſignificare eſſe, ſed circunſcribi, & concludi, quomodo putabant idololatræ Deum in ſuis templis manere. Fuſius de hac re ſcripſimus in tractatu de templis Chriſtianorum.

Act. 20. cap. ita ſcribitur: *Argentum, & aurum aut veſtem nullius concupiui (ſicut ipſi ſcitis) quoniam ad ea quæ mihi opus erant & ijs qui mecum ſunt miniſtrauerunt manus iſta.* Quo loco,& ſimilibus ignoranter, & impiè abutuntur, qui inde colligunt oportere Prælatos Eccleſiæ etiam prædicatores, & doctores operari manibus proprijs vt victum ſibi comparent. Nam textus ipſe manifeſtè docet Paulum id feciſſe,non vt daret præceptum id faciendi, ſed vt ma magis ad Euangelium alliceret, & omni via atraheret qui omnibus omnia factus eſt vt omnes Chriſto lucrifaceret. Ait enim ſe id feciſſe vt ſuſciperet infirmos,& etiam quoniam beatius eſt dare quàm accipere. Hoc ſuum factum declarat. 1. Cor. 9. vbi ait,ſe non eſſe vſum

illa poteſtate accipiendi temporalia ab ipſis Corinthijs, quibus ſemi nauerat ſpiritualia; non quia id licitè facere non potuiſſet, ſed quia non tam expediebat. Sic enim ait. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum ne eſt ſi carnalia veſtra metamus? Si alij poteſtatis veſtre participes ſunt, quare nō potius nos? Sed nō uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Item. Si volans hoc ago, mercedem habeo, &c. Contra verbum Dei igitur cogere volunt Eccleſiæ miniſtros vbi manibus proprijs victum comparent, neſcio qui ſeditioſi & uentres pigri ipſimet, aut funeſti & ſubdoli operarij. Adde quòd aliud eſt iudicandum de Paulo Apoſtolos, diuinitus edocto Spirituſancto, & de noſtris miniſtris Eccleſiaſticis, quibus ſtudendum eſt, vt intelligant quæ poſtea populum doceant. Cædo autem ſi manibus eſt operandum Eccleſiæ miniſtris, quare non pariter aut etiam maiori ratione Principes Nobiles, Medici, Aduocati, Procuratores, Iudices, Præſides & reliqui omnes cuiuscunque vocationis ſint, manibus laborare debent? Nam ſi inde eximuntur, & excipiuntur propter dignitatem vocationis aut exercitium, officium & curam eiuſdem, quanto magis id verum & legitimum cenſeri debet in Eccleſiæ miniſtris, qui omnibus alijs hominum generibus, & ſunt vocatione facile ſuperiores excellentioresq;, & etiam officij executione longè magis impediti, & addicti? Hi enim ſemper ſuo populo inuigilare & ad laborare tenentur docendo, orando, aut ſatisfaciendo.

EX

EX EPISTOLA BEATI PAVLI AD ROMANOS.

ROMANORVM. 1. cap. ita ſcribitur: *Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Itẽ: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, &c.* Quibus locis perniciosè abutuntur, qui ex illis colligunt nullum eſſe in hominibus liberũ arbitriũ, ſed omnia Deo eſſe totaliter tribuenda, tanquam authori, ſiue ſint bona ſiue mala. Nam ſapientiſſimus ille & intellectu difficillimus Beatus Paulus, illis locis non vult docere hominem nihil operari & carere libero arbitrio, nec etiam Deum eſſe authorem malorum, aut ad ea impellere, ſed potius affirmat quanta ſit Dei punitio in illis, qui cum ipſum cognoſcunt, non glorificant & recognoſcunt eundẽ honeſta conuerſatione, & ſancta apertaque eius nominis confeſſione. Hoc indicant Apoſtoli verba eiuſcemodi: Reuelatur ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iuſtitia detinent, qui cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt. homines ergo reprobos tradidit Deus in reprobum ſenſum, & in paſſiones ignominiæ, non malitiã in ipſis immittendo; qui veritatis & ſanctitatis eſt fons & author, ſed gratiã ſuã, quia ſe indignos reddunt, & oſtendũt ſubtrahendo, aut negando. Hinc autem enaſcuntur error & deprauatio, quia videlicet homo Dei illuſtratione & auxilio deſtitutus, præceps fertur in uitia & errores; quod hodie experimur, quando propter abuſum gratiæ & cognitionis legis & veritatis Euangelicæ, multi à Deo derelicti, abiecta & conculcata, blaſphemataque veritate Euangelica, hæreſes & omne impietatis impuritatiſque genus amplexantur, ſequuti uanos Philoſophos qui ſeruiunt creaturæ potius quàm creatori. De tali Diuina punitione quam nunc uidemus & experimur, Theſſalonicenſibus ſcripſit in hæc uerba Apoſtolus. 2. ad Theſſal. 2. Quia charitatem veritatis non receperunt vt ſalui

fierent:

fierent: ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt ueritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Manet igitur ſemper in homine libertas qua qui abutitur ſibi magis quàm Deo viuens, Dei gratia priuatur, & ſic omni ſcelerum labe conſpurcatur, & omni errore innoluitur, qui ſine Deo nihil poteſt facere, & cum eodem magna præſtat & efficit.

Rom. 2. cap. ſcribitur in hunc modum: *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt: eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis coſcientia, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt fruſtra datam eſſe ſcripturam, cum videlicet naturaliter ea, quæ in lege ſunt tradita, homines & cognoſcere & facere poſſint. Nam & ſi ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus diuini in creatione, qua rationis participes, & ad Dei ipſius imaginem & ſimilitudinem facti ſumus, tamen lex, ſeu ſcriptura reformat naturam noſtram, per peccatum non quidem ſublatam, ſed læſam, & multum obſcuratam. Præterea vltra cognitionem & poteſtatem naturalem, opus eſt ad vitam æternam habendam, fidei myſteriorum perſuaſione & gratiæ auxilio, in vincenda corruptione & imbecillitate naturæ. Hæc igitur docent Sacræ ſcripturæ. Ignorat autem illa ratio & natura: qua tamen ſi homo rectè vtatur, illa non denegabuntur à Deo, qui nunquam deeſt homini in neceſſarijs & facientibus quod in ſe eſt, ſemper dat gratiam. Hæc autem magna ſunt, & explicatiori indagatione indigent quàm ferat præſens noſtrum inſtitutum.

Rom. 3. cap. ſcribitur. *Eſt Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nihil doctrinæ eſſe ad hominibus recipiendum, quia videlicet omnis homo mendax. Nam Apoſtolus vult docere Deū ſemper eſſe veracem, & non poſſe fallere, aut etiam falli, quare firmiter inhærendum eſſe eius promiſſis. Prǫterea tandiu ab hominibus doctrinam accipimus, quandiu videmus ipſos ea tradere, quæ rectæ rationi & naturæ conueniunt. Aliud eſt etiam longè, recipere Dei doctrinam per homines miniſtros, vt fit in concilijs generalibus, vbi Deus vtitur hominibus vt organis, vt ſuam ueritatem & ſalutarem doctrinam ſuæ Eccleſiæ denunciet. Nam tum non eſt hominum, ſed Dei doctrina.

Ibidem ita ſcribitur: *Cauſati ſumus omnes ſub peccato eſſe. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Quo loco pernicioſiſſimè abutuntur, qui ex

eo

eo effici uolunt neminem poſſe eſſe ſine peccato: quare homines abſterrent & reuocant, ne tentant uiuere ſanctè & purè, quaſi hoc ſit impoſſibile homini iuſtificato,& gratia Dei adiuto. At erant manifeſtiſſimè & turpiſſimè,nequaquam ſenſum Apoſtoli aſſequentes, qui eo loco non loquitur de hominibus iuſtificatis, vt talibus, ſed de omnibus hominibus, antequam per Chriſtum purgentur & iuſtificentur. Vult ergo docere Apoſtolus, homines omnes peccato natura infectos, non potuiſſe ſanari & iuſtificari per legem, ſed neceſſariam omnibus eſſe fidem in Chriſtum, in quem credentes baptizari in nomine ipſius, & eiuſdem mandata ſeruare neceſſe eſt,ad vitam æternam habendam per nomen & meritum eius. Idem docebat Eſaias cum dicebat,quòd omnes iuſtitiæ noſtræ ſunt tanquam pannus menſtruatæ. Idem Dauid & alij Prophetæ cum homines omnes ſceleribus conſtrictos eſſe affirmant, non autem vllo pacto loquuntur de hominibus per Chriſtum iuſtificatis, qui ſunt puri & mundi per ſanguinem & meritum Chriſti effecti, & poſſunt tenenturque ſanctitatem illam conſeruare bona faciendo, & mala omnia vitando, iam non amplius tyrannidi, atque dominationi peccati ſubiecti, vt rectè & apertè infrà docet Apoſtolus his verbis: Iam non dominabitur in vobis peccatum, quoniam non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Hic autem notandus & vitandus eſt aſtus Satanæ, qui homines in peccatis tanquam vitatu impoſſibilibus, detinere adnitens,quibuſdam perſuaſit hoc multum facere ad augendam Dei gratiam & Chriſti meritum,ſi dicamus omnes homines etiam baptizatos non poſſe eſſe ſine peccato: cum contra hoc ſit Dei potentiam & Chriſti paſſionem imbecillem dicere & non efficacem ad iuſtificandum. Nam ſi adhuc in peccatis ſumus, nec ea vitare poſſumus, fruſtra uidetur Chriſtus eſſe mortuus, & fruſtra in eius nomine baptizati ſumus. An non etiam potentiùs videbitur Adami peccatum in perdendo genere humano quam Chriſti obediens iuſtitia in eodem reparando? Sic autem ſolet Satanas prætextu augendę Dei gloriæ, eam tollere, aut oſcurare: quod etiam facit quando prætextu gratiæ eius miram liberalitatem & potentiam in hominis creatione minuit, liberum ipſius arbitrium negando. Hæc fuſiùs tractauimus ſex libris de modum ſalutariter cognoſcendi Chriſtum, &c.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Arbitramur hominem iuſtificari per fidē ſine operibus legis.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt opera non requiri in Chriſtiano, vt per Chriſtum ſaluetur, ſed ſolamfidem ſufficere. Nam Paulus ipſe hunc nodum ſol-

uit,

Digitized by Google

uit, cùm ait ſine operibus legis ſcilicet veteris, quæ neminem ſuis ceremonijs ad perfectionem adduxit, infirma & carnalis exiſtens. Non eſt autem ſibi contrarius Paulus, qui toties opera commendat & neceſſaria dicit: imò etiam explicat, quæ ſit fides intelligenda, cui iuſtificatio tribuitur, ea ſcilicet quæ per dilectionem operatur, vt ſcripſit Ga. 5. cap. Vnde profectò dilucidum ſit opera bona eſſe neceſſaria, & non tantum hoc: ſed etiam per ea nos iuſtificari, cùm uidelicet ea fides ſola nos iuſtificet, quæ per charitatem operatur. Operantem autem puto intelligendam eſſe fidem, quando etiam eſt uotum & propoſitum bene operandi, quod bono latroni non defuiſſe exiſtimo, qui etiam bona opera fecit, Chriſtum aduerſus alterum latronem defendendo. Hoc apertiſſimè declarat beatus Iacobus cùm ait Abrahamum non ex fide nuda & deſtituta operibus, ſed operoſa fuiſſe iuſtificatum. Vnde tandem concludit opera nos iuſtificare. In baptiſmo enim quando ſanguine Chriſti abluimur, an non pollicemur nos ſanctè uicturos & benè operaturos ad Dei gloriam? An non ait Paulus Ephe. 1. quòd Deus creauit bona opera vt in illis ambulemus? An non paſſim ſcriptura ſacra eos damnat, qui opera non habent? Quomodo autem nos in Chriſtum fidem haberemus ſi Chriſto non cooperaremur, nec ipſi conformes eſſemus? Fides quidem poteſt eſſe ſine operibus, ſed illa dicitur à diuo Iacobo eſſe mortua, & dæmonibus etiam tribuitur. Simus igitur in Chriſti Eccleſia, non tantum numero, per nudam & externam profeſſionem, ſed etiam meritò, per fidem viuam, & operum bonorum ex charirate operationem. A iuſtificatione igitur, opera præcedentia, non autem ſequentia, aut etiam gratiam Dei concomitantia excludit hoc loco Apoſtolus. Nam ex noſtra cooperatione cum Dei gratia, noſtra eſt ſalus. Ad hæc attendat qui ſaluari per Chriſtum voluerit. De fide autem & eiuſdem excellentia, pleniùs diſputauimus in libro, qui inſcribitur: Thriumphus & excellens Victoria fidei, &c.

Romanorum quarto capite ſcribitur in hunc modum. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Quo locò manifeſtè abutuntur, qui ex illo colligunt ſolam fidem ſine iuſtitiæ operibus ſufficere homini Chriſtiano ad ſalutem. Nam beatus Paulus, cùm tribuit iuſtificationem fidei, nunquam ab ea ſeiungit opera, ſed cum ea & in ea, ipſa complectitur. Quæ autem contra opera videtur dicere, ea ſunt ſemper intelligenda de operibus veteris & ceremonioſæ legis, ſine quibus vult homines iuſtificari, non tamen

abſolutè

Digitized by Google

abſolutè ſine operibus : quod etiam manifeſtum eſt ex Abrahamo, quem profert in exemplum, qui & ſi iuſtificatus eſt ſine operibus legis ueteris, cùm videlicet ei reputata ſit fides ad iuſtitiam, non in circuncifione, ſed in præputio, non tamen iuſtificatus eſt ſimpliciter ſine operibus, qui contra ſpem, in ſpem credidit: qui exijt de ſua terra & cognatione in alieno ſolo peregrinaturus, qui proprium filium quantum in ipſo fuit, immolauit, & multa alia propter Dei gloriam & fidem operatus eſt. Videatur igitur propoſitum beati Apoſtoli, vt ipſius ſenſus habeatur, quod quia non faciunt neſcio, qui Cinoriſtæ & altè ſapientes Corticarij Theologi, omnia turbant, & fidem populi euertunt ſecum. Reputatum eſt igitur Abrahamo ad iuſtitiam, quia credidit Deo affirmanti, quòd copioſa futura erat ipſius poſteritatis: non enim conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm eſſet ferè centum annorum, & emortuam vuluam Saræ, & in repromiſſione etiam Dei, non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere: Ideò reputatum eſt illi ad iuſtitiam. En igitur fidei meritum, ſcilicet Deo adhærere & fidere, & ſi ea dicit quæ naturam omnem excedunt. Hoc autem ſcriptum eſt (inquit Apoſtolus) non propter ipſum, ſed & propter nos, quibus ea proponuntur credenda, quæ nec ſenſus, nec ratio capere pōteſt: credimus autem ea vera eſſe, quia Deus qui eſt omnipotens, & verax cui idirco fidimus, ea affirmat. Vide igitur connectionem Dei promiſſionis ſeu reuelationis, & affirmationis cũ noſtra fide, ex quibus nobis naſcitur fiducia, qua Deo nos in hæremus, & uictores euadimus per Deum. Hæc eſt enim victoria quæ uincit mundum fides noſtra. 1. Ioannis. 5. cap. Pleniùs de hac re ſcripſimus in libro, qui inſcribitur: *Le triumphe & excellente uictoire de la foy.*

Ibidem ita ſcribitur: ***Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.*** Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt peccatum in homine iuſtificato manere, ſed non imputari, quia credit in Chriſtum, quare homines à peccato abſtinere non dicunt requiri, ſed tantum credere Chriſti paſſionum eſſe ſatisfactionem. Quantopere autem fallantur, teſtis eſt ipſa ſcriptura, quę affirmat nihil eſſe damnationis in ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, & eos qui ſecundum carnem vixerint morituros, uicturos autem ſi ſpiritu facta carnis mortificauerint. Quid autem ſibi vult tale Satanæ commentum? An non enim ſic plus efficaciæ haberet ad perdendum & inquinandum inobedientia Adami quàm Chriſti obeditio ad ſanctificandum & ſaluandum?

Digitized by Google

dum? Coinquinationem enim Adami traſgreſſio nobis indidit, quam Chriſti obedientia & ſanguis non tollunt, ſi peccatum ſemper in nobis re uera manet,& quin peccemus efficere non poſſumus. Mirum autem iſtud eſt ſanè. Nam Chriſtiani qui ſunt baptizati & aſcripti in militiam Chriſti, militabunt Satanæ peccando, & non ipſi Chriſto ſanctè viuendo, & carni, mundo, Satanæque reſiſtendo? Longè profectò aliter ſentit Apoſtolus, cuius hæc ſunt verba Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita per unius obeditionem iuſti conſtituentur multi. Item: Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia: vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in uitam æternam. Item vbi ſpiritus Domini, ibi libertas. Item: Si mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? Conſepulti enim ſumus cum Chriſto Ieſu per baptiſmum in mortem: vt quomodo ipſe ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitę ambulemus. Item: peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia, non ergo manet in iuſtificatis peccatum, qui etiam non ſunt iuſti, imputata ſolum iuſtitia, ſed realiter inhærente & inexiſtente, non minus quàm infulit peccatum.

Rom. 5. ca. ſcribitur ita: *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: non ſolũ autẽ, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quòd tribulatio patientiã operatur: patientia autem probationẽ probatio uerò ſpem: Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Quo loco perniciosè abutuntur neſcio qui habentes libertatem, quam dedit Chriſtus velamen ſuæ nequitiæ, qui affirmant ſe eſſe certos & ſecuros ſalutis, & uitæ æternæ, etiam ſi malè uiuant. Nam clarum eſt eiuſmodi ſpem & confidentiam ſalutis ijs tantum ineſſe poſſe, qui ſanctè viuunt, nec ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt, dicente ſcriptura. Qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe ſicut Deus eſt ſanctus. Chriſtianum eſt igitur & tutum cum timore & tremore ſuam ſalutem operari benè viuendo: contra verò periculoſum & præſumptuoſum eſt malè viuendo, & carnis delicias ſectando cum Chriſto crucifixo tandem velle regnare. Stat enim elegans hæc ſententia, ſcilicet. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Item & illa, fures, fornicarij, ebrij, & ſimiles regnum Dei non poſſidebunt.

Rom. ſexto capite ita ſcribitur: *Gratia Dei, vita æterna.* Quo loco abutuntur, qui inde colligunt nullum eſſe operum meritum, nec propterea dari vitam æternam. Nam non ait Apoſtolus, gratia

Dei,

Dei,vita æterna,& non ex operibus:quod eſt ab hęreticis adiectum, qui nunquam modum ſeruare norunt. Melius autem theologi, qui affirmant vitam æternam expectari, & ad eam homines peruenire, partim per gratiam Dei, & partim per merita bonorum operum. Eſt ergo vita æterna, & ex gratia, & ex operibus: ſed quia cauſa eius præcipua eſt Dei gratia, ad quam omnia noſtra bona ſemper referre debemus. Idcircò, dixit Apoſtolus gratia Dei eſſe vitam æternam: non quia dicere non potuiſſet ſtipendium bonorum operum eſſe vitam æternam, quod ſæpè teſtatur ſacra ſcriptura. Hic ergo non damnatur bonorum operum meritum, ſicut nec Luc. 17. cap. quando ſcribitur quòd debemus dicere nos eſſe ſeruos inutiles, vbi docemur ſemper eſſe laborandum, nec à bonis operibus quieſcendum, quoad finis noſtrę vitæ venerit, quando videlicet ignis probabit quale ſit vniuſcuiuſque opus, & illud quo manſerit mercedem accipiet, vt ſcribitur. 1. Cor. 3. c. Hic namque non eſt expectanda merces, ſed in futuro, quando coronabimur propter opera quæ hic ſerui diligentes (& quidem non iactabundi & elati, ſed humiles atque noſtra exſtimatione inutiles,& ſi nobis vtiliſſima ſunt bona opera) fecerimus, per Dei gratiam: ad quam ſemper, tanquam ad cauſam, & ad radicem, vt etiam ad liberum arbitrium, tam bona opera quam eorum merita referre cum ſacra ſcriptura debemus.

Rom. 7. ſcribitur in hunc modũ: *Ego carnalis ſum venundatus ſub peccato. Quod .n. operor, nõ intelligo. Nõ .n. quod volo bonũ, hoc ago: ſed quod odi malũ, illud facio. Nunc autẽ iam nõ operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Quo loco abutuntur ignoranter contra gratiam Euangelicam, qui ex eo colligunt ad huc in regeneratis manere reuera peccatum ipſumque concupiſcentiæ fomitem peccatum eſſe contendunt. Nam manifeſtum eſt ex ipſo textu Apoſtolum loqui de homine nondum iuſtificatio, qui quidem duce natura & lege docente, vult facere,& amat bonum quod exequi non ualet, quia adhuc eſt ſub poteſtate peccati. Secus autem longe eſt de homine iuſtificato, in quo non dominatur peccatum, vt iam ab Apoſtolo dictum eſt. Noſtram expoſitionem confirmat finis capitis, in quo ita habetur: Infœlix ego homo, quis me liberabit, de corpore mortis huius? Sequitur reſponſio: gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Eandem etiam confirmat initium octaui capitis, vbi ita ſcribitur: Nihil ergo damnationis eſt ijs qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant: lex enim ſpiritus uitæ in Chriſto Ieſu, liberauit me à lege peccati & mortis. Vndę collige

quòd

Digitized by Google

quod in fine præcedentis capitis,loquebatur de homine non regenerato in ſua perſona, vt nunc de iuſtificato in eadem ſua perſona.

Roman. 8. cap. ita ſcribitur: *Certus ſum quòd neque mors, neque aliquid aliud me ſeparabit a charitate Dei.* Quo loco abutuntur,qui baptizati malè viuendo putant ſe certò conſecuturos vitam æternã: Nam hæc quæ dicuntur hoc capite,ſunt intelligenda de iuſtis, & veris Chriſtianis,pro quibus ſunt hæ promiſſiones,& multæ aliæ,ſicut pro reprobis,& fictis Chriſtianis ſunt variæ comminationes. Mirũ eſt autem,& dolendum quòd inſolentes hæretici,qui cauteriatam habentes ſuam conſcientiam nec ſentiunt nec apprehendunt, quanto in periculo verſentur, non ceſſante gloriando præſumere de noſtrorum atque electorum promiſſionibus: vt etiam nonnulli pij atque electi plus æquo videntur reproborum, & impiorum commitationes timere atque apprehendere. At horum longè leuior eſſe debet reprehenſio, cum videlicet piarum ſit mentium illic agnoſcere culpam, & timere vbi culpa nulla eſt, & melius abeſſet metus.

Ibidem ita ſcribitur: *Exiſtimo quòd non ſunt condigne paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Quo loco perperam expoſito abutuntur, qui ex eo colligunt humana merita non poſſe nos iuuare coram Deo, ſiue ſint noſtra ſiue aliena: Nã longè eſt aliud dicere noſtras actiones, & paſſiones non eſſe condignas,& in pretio,& dignitate,non correſpondere vitæ æternæ, atq; eaſdem nullius eſſe vtilitatis. Fatemur igitur cum Apoſtolo noſtras actiones non eſſe correſpondentes in dignitate, & valore vitæ æternæ, ſed etiam negamus cum ſcriptura, eas nullius eſſe meriti apud Deum,qui ex pacto,& promiſſione eis reddit vitam æternam. Senſus igitur Apoſtoli eſt, quòd humanæ actiones abſque merito Chriſti non ſunt condignæ, ſi conferantur gloriæ æternæ, quare vult nos ipſi Chriſto compati, vt ipſi, patiendo propter iuſtitiam conformes facti, & eidem inſiti, & complantati ſimilitudini mortis eius, vitam æternam per Dei gratiam, & ipſius meritum benè viuendo conſequamur. Sic enim forſan intelligendum eſt noſtra opera eſſe meritoria vitæ æternæ, quia per ea Chriſti viua membra efficimur, & ita participes ſumus meriti illius, quod ex condigno meretur vitam æternam. Hoc enim docere videntur tot loci qui fidei quæ nos Chriſto coniungit ſalutem tribuunt. Nam per fidem, & bona opera coniungimur Chriſto, qui factus eſt nobis iuſtificatio, ſalus, & redemptio, vt qui gloriatur in

Domino glorietur vt ſcribit beatus Paulus 1. Cor. 1.

Rom. 9. ſcribitur in hunc modum. *Non ex operibus ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori.* Item: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Item: *Miſerebor cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cuius miſerebor.* Item. *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Item. *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, &c.* Quibus locis, & ſimilibus ignoranter, & perniciosè abutuntur, qui illos ita exponunt, quaſi nihil planè homini tribuendum ſit, quod ad eius ſalutem attinet: quòd eiuſdem opera, nihil mercedis coram Deo mereantur: quòd homo careat libero arbitrio: & denique quod Deus velit ita quoſdā damnari, vt ab ipſo reprobati, ſaluari nulla ratione valeant. Item illos autem errores inciderunt, quia fruſtatim diſſectant, & arripiunt hos locos, non attendentes ad præcedentia, & conſequentia: nec tenentes aut conſiderātes beati Pauli propoſitum eſſe; docere Deum nemini (ſi omnia ad viuum receſentur) debitorem eſſe, (Nam, quis prior dedit Deo vt illi retribuat?) ſed omnia eſſe accepta ferenda gratiæ, & beneplacito ipſius, qui & ſi vult omnes homines ſaluos fieri, vt ſcribitur 1. Tim. 1. cap. & pro omnibus homo factus eſt, & mortuus tamen quoſdam ſpecialiter elegit ab æterno, quibus confert ſingularia dona, & priuilegia in hoc mundo, quæ non confert alijs, qui electi nō ſunt, ſed reprobi appellantur, qui tamen non poſſunt de Deo iuſtè conqueri, quia nemini debitor eſt, & qui etiam omnibus offert media ſalutis neceſſaria, etiamnum ijs qui reprobi ſunt, & damnandi. Non quidem, quia inuiti, & neceſſitate aducti à Deo per eius erga eos reprobationem, & præſcientiam infallibilem, & certam ipſorum damnationis futuræ cognitionem damnentur, ſed quia ſibi relicti, liberè mortem elegerunt, & dilexerunt ſecundum carnem viuendo non autem vitam æternam, mandata Dei ſeruando, quod eſt medium vitæ, & ſalutis æternæ.

Scito igitur, & certum teneto Deum infinitè bonum, & miſericordem nunquam vlli homini denegaſſe media ad ſalutem neceſſaria; qui omnes ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem fecit, & ita libertatem, & actionum propriarum poteſtatem omnibus dedit in creatione, vt etiam poſtea, pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus ſacramenta inſtituit, vt omnes redempti per ipſum ſaluentur. *Si igitur* quidam damnantur, vt multos damnatos iri certum eſt, non Deo ſuam damnationē imputent, ſed ſibi, qui noluerunt vti medijs à Deo ſibi datis, & conceſſis, vt per ea ſalutem conſequerentur. Nam cùm

Deum

Digitized by Google

Deum eſſe cognouiſſent,non ſicut oportet eum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & maluerunt ambulare in proprijs adinuentionibus, mundo, & carni viuendo quam in ſemitis Domini rectis,ipſius ſpiritu facta carnis mortificando. Fateor autem Deum non voluiſſe omnes à vijs iniquis conuertere, & ad iuſtitiam adducere,vt legitur feciſſe in multis per vehementem quandam impulſionem,ſed noluit,volens oſtendere in quibuſdam ſe eſſe iuſtam, vt in alijs ſuam bonitatem & miſericordiam indicat. Non autem quæcunque poteſt, eadem vult, & facit: quare imperitè nimium agunt qui ita ratiocinantur:quum Deus hoc poſſit,quare non fieret? O homo?tu quis es qui reſpondeas Deo?Nunquid dicit ſigmentum ei qui ſe finxit,quare me finxiſti ſic? Scias autem Dei prædeſtinationem,& reparationem nulli imponere neceſſitatem, & auferre libertatem,& ſi vtrunque certum,neceſſarium,& infallibile eſt. Vera eſt igitur, & verbo Dei conſentiens illa Catholica antiquorum doctrina,qua ita docent:Si tu non es prædeſtinatus,fac vt prædeſtineris, Illam enim tradit beatus Paulus in poſteriori ad Timoth. 2. cap. his verbis: Cognouit Dominus qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed, & lignea,& fictilia,& quædam quidem in honorem,quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis,(nota hoc) erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Idem videtur docere beatus Petrus 1. Petri. 1. his verbis: Fratres ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem,& electionem faciatis. Electio igitur in nobis ſicut etiam reprobatio, conditionem habet. Quare nemo aut neceſſitatem prætexat, aut Deum accuſet ſi damnatur: ſed magis ſibi ipſi imputet, quum dicat Propheta, O Iſrael? perditio tua ex te,& ſalus ex Deo. Oſeæ. 13. c.

Rom. 10. ſcribitur in hunc modum: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio ad ſalutem*. Item: *Qui credit in illum, non confundetur*. Item: *Quicunque inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit.* Quibus locis apertè abutuntur, qui ex illis colligunt non eſſe opus ſacramentis, nec alijs multis ceremonijs, & traditionibus quarum frequens eſt vſus in religione Chriſtiana. Nam propoſitum Apoſtoli, eſt docere finem legis eſſe Chriſtum ad ſalutem omni credenti in eum. Credere autem in eum Chriſtum, non eſt ſimpliciter (vt falſo, & pernicioſe putant nonnulli) hanc habere perſuaſionem,quòd pro nobis eſt mortuus, & quod in eius ſanguine baptizati, & abluti ſu-

mus,ſed illi obſequi,ab eo pendere,& ipſi confirmari, & compati ſicut membra eius uiua,& cohęrentia, per colligationem,& iuncturã quam ipſe in Eccleſia poſuit, vt ſcribitur Epheſ. 4. Colloſ. 2. vbi docet Apoſtolus oportere Chriſtianos eos fugere qui inflati ſenſu carnis ſuæ ſeſe ſubtrahunt à communione doctrinæ, & profeſſione Eccleſiæ catholicæ, non tenentes caput ex quo totum corpus, per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum,creſcit in augmentum Dei. Corde igitur credamus, ſed etiam ore confiteamur, & ita ceremonijs traditionibusque confiteamur,& profiteamur Chriſtum, vt ipſum, edocta per Spiritum ſanctum Eccleſia catholica profitetur,& ſemper profeſſa eſt. Nam cum ſola ſua ſponſa Eccleſia catholica, quæ eſt columna,& firmamentum ueritatis ſemper manet Chriſtus, in qua ſola inueniri poteſt, non autem in Satanicis ſynagogis hæreticorum, quæ ſunt meretrices,& Satanæ concubinæ, cum quo miſerrimè fornicantur, relicto Chriſto præſtantiſſimo,& pulcherrimo Eccleſię catholicę ſponſo.

Rom. 11. ita ſcribitur: *Quòd ſi delibatio ſancta eſt,& maſſa: & ſi radix ſancta, & rami, &c.* Quo ſanè loco tum imperitè tum pernicioſè abutuntur, qui ex ipſo colligunt filios Chriſtianorum vteris matrum adhuc concluſos,vel etiam in lucem iam ſuſceptos, ſine ſacramenti baptiſmatis omnibus ad habendam ſanctificationem neceſſarij, ſuſceptione puros, mundos, & ſanctos eſſe. Nam ſanctificatio virtuteſque tam morales quàm etiam Chriſtianæ, non ſunt aliquid hæreditarium, & connaturale, ſed aſcititium hominibus, quos Paulus Ephe. 2. cap. vult omnes naſci filios irę: & Chriſtus aſſerit oportere renaſci ex aqua, & Spiritu ſancto, vt intrent in regnum cœlorum. Generat igitur homo Chriſtianus hominem illumque impurum non autem Chriſtianum, & ſanctum. Generatione enim,& propagatione iſta carnali,quæ ſemper propter feruorem,& pruritum libidinis fœditatem,& ſpurcitiem quandam coniunctã habet homo etiam purus, & ſanctus, impuros, & peccato infectos filios procreat: non minus quam granum mundum, excuſſum, nudumque ſui generis granum producit paleis, & ſpicis inuolutum. Docet igitur hoc loco, & ſimilibus Apoſtolus, inſignem eſſe Dei optimi maximi fauorem, & beneuolentiam erga Iudęos, Abrahę fidelis Dei ſerui poſteros, propter electionem, ſi tamen eundem in fide, & mandatorum Dei obſeruatione prompta ſequantur: aliter enim eſſent veri,& germani Abrahę, quibus in ipſo facta eſt promiſſio,filij, ſed carnis quę promiſſionem non habet. Hoc apertè docetur

cetur Geneſ. 17. vbi ſcribitur quòd peribit quicunque de ſemine Abrahæ circuncifus non fuerit. Vnde colligo ſimiliter non eſſe ſanctos, ſed periturus quicunque ex Chriſtianis & ſanctificatis parentibus procreati, baptiſmate ſacro abluti & regenerati non fuerint. Nã non ab hominibus per carnalem procreationem, ſed à Spiritu ſãcto per ſacramenta hominibus datur ſanctificatio. De hac re perelegans & eruditum opuſculum emiſit hiſce diebus dominus Franciſcus Belgarius pequilio Epiſcopus Metenſis.

Ibidem ſcribitur in hunc modum: *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia non eſt gratia.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nihil prorſus eſſe tribuendum Chriſtianorum operibus, ſed omnia planè & totaliter gratiæ Dei accepta referri debere. Nam hoc loco Apoſtolus non loquitur de operibus Chriſtianorum, ſed de operibus baptiſmum & gratiam præcedentibus. Nam de electione hic ſermo eſt inſtitutus. Falluntur autem in hoc, quia loquuntur de operibus Chriſtianorum, vt de operibus purè humanis, tum etiam quia opponunt opera bona Chriſtianorum gratiæ, à qua proficiſcuntur, in qua fiunt, & ſine qua, non plus ea dicimus eſſe vitæ æternæ meritoria, quàm corpus viuere ſine anima: ipſa ſiquidem operatur in nobis Spiritus ſanctus, qui illorum eſt principium & cauſa, vt anima actionum humanarum.

Roma. 12. ſcribitur in hunc modum; *Non vos defendentes chariſſimi; ſed date locum iræ, &c.* Quo loco ignoranter & pernicioſè abutuntur, qui ex eo effici volunt quod inter chriſtianos, magiſtratu & ſuperioritate ſeculari non eſt opus. Nam hoc loco, non loquitur Apoſtolus de vindicta malorum, quam exercet magiſtratus, quæ eſt illa quam Deus ſibi reſeruat & facit, tum per ſe, tum per magiſtratus & poteſtates ſeculares, gladio in malorum vindictam munitas, ſed de priuata vltione, quę proficiſcitur ex malo vindictæ appetitu & non ex bono zelo iuſtitiæ, priuata igitur authoritate & vindicta, non debent Chriſtiani ſeſe defendere, & illatam ſibi iniuriam vlciſci, ſed via iuſtitiæ, ex cuius zelo ad Dei gloriam & malorum correctionem, propter bonum publicum, non eſt malum ſeſe defendere, ſicut nec etiam per ſeipſum, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Rom. 13. ca. ſcribitur ad hũc modũ. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c.* Quo loco abutũtur nimiũ ĩperitè, qui ex eo colligũt prĩcipes ſeculares eſſe ſuperiores prĩcipibus, & Prælatis Eccleſiaſticis illorũq; eſſe ĩ oĩ chriſtianorũ cõgregatione præſidere: nec

Concilium œcumenicum poſſe congregari, niſi id fiat per Reges & Imperatores illic iure præſidentes: Nam beatus Apoſtolus hoc loco non vult docere prælatos Eccleſiæ vocatione & dignitate eſſe inferiores principibus ſecularibus, ſed fidem, & religionem Chriſtianam non eximere homines ab obedientia principum ſecularium, in ijs quæ ſunt tempoſalia. Politicum namque ſtatum non mutat fides, vt ſepè teſtatur ſcriptura ſacra. Hoc igitur loco proſequitur Apoſtolus, quòd præmiſit præcedenti capite de vindicta ſumenda, quàm vt priuatam damnauit, itanunc cum ſit legitimè eam probat & commendat. Principes autem Eccleſiaſticos longè eſſe ſecularibus quibuſlibet ſuperiores, hæc vnica ratio, ex multis electa facilè conuincit: quia homines, qui naturali conſtitutione ſunt omnes æquales, vocatione diſtinguuntur. At certum eſt, & omnibus cognitum, vocationem Sacerdotum, & Eccleſiæ miniſtrorum, eſſe longè digniorem vocatione Principum mundi, cùm videlicet hi ad temporalia illi verò ad ſpiritualia diſponenda vocati ſint. Quare dixerunt antiqui, quòd quanto animus corpori præſtat, tanto dignitas, & vocatio virorum Eccleſiaſticorum eſt excellentior vocatione Principū terræ, & mundi. O vtinam vtrique, quæ ſuæ ſunt vocationis intelligerent, & præſtarent. Sic enim facilè omnia parata tranquillaque videremus, & haberemus: quod aliter fieri nequaquam ſpero. Vnde enim pax niſi ex iuſtitia? Quomodo autem iuſtè agi dicemus quandiu qui dignitates ſuperiores, tam in Eccleſia quàm in politia occupant priuata commoda ſectabuntur, relicta priuata vtilitate? de hac re plenius egimus in libello cui titulus eſt præfixus: Neceſſarius modus tollendæ religionis diſcordiæ, &c.

Rom. 14. capite ſcribitur ad hunc modum; *Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui manducat per offendiculum*, Item: *tu fidem habes penes temetipſum, habe coram Deo. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo quod probat.* Quo loco, vt etiam toto hoc capite, abutuntur, qui ex eo colligunt errorem nimis frequentem, ſcilicet nullum eſſe in Chriſtianiſmo ciborum delectum, ſed omni die quemlibet poſſe omni cibo ex animi libito veſci. Quod quàm ſit abſurdum, facilè intelligent quibus placuerit conſiderare Deum omni tempore aliquem ciborum delectum, præcepiſſe, vt videlicet homo ei obediret in eo, quod ipſi natura eſt gratiſſimum, ſcilicet in cibo. Hinc eſt, quòd in natura creata ante peccatum Deus prohibuit eſum ligni ſcientiæ, boni, & mali: poſt peccatum, in lege naturæ, nonnullos prohibuit cibos, ut teſtatur hiſtoria Geneſeos. in lege Moyſis

copio-

Digitized by Google

copioſius idem fecit, & in lege Euangelica idem præceptum, & ſi non eodem modo, continuare voluit: ſcribitur etiam Act. 15. cap. quomodo Apoſtoli certis ciborum generibus Chriſtianis interdixerunt. Hoc etiam cernitur in Eccleſię Catholicæ Decretis, conſtitutionibus, & praxi, vbi ſemper fuit facta quædam ciborum delectus certo tempore faciendi mentio. Hæc autem in re, Eccleſia nihil ſtatuit cõtra Apoſtolum, qui hoc loco nõ loquitur de omni ciborum genere ſimpliciter, ſed potiſſimum de his cibis, qui lege Moſayca prohibiti erant, quorum eſum vult eſſe liberum, & indifferentem Chriſtianis, modo tamen ſemper citra ſcandalum, & fratris offendiculum fiat. Nequaquam autem intendebat Apoſtolus docere Eccleſiam non poſſe ciborum delectum certum præſcribere: aut non peccare, qui cibos ab ea iuſtis de cauſis prohibitos manducarent, etiam citra omne ſcandalum, ſed prohibitionem ciborum lege Moſayca vetitorum iam nullam eſſe lege Euangelica recepta, & promulgata. Aliter enim ſecum pugnaret Apoſtolus ipſe, qui nuſquam non docet, & præcipit obſeruare Eccleſiæ decreta, conſtitutiones, traditiones, & conſuetudines, tanquam Dei præcepta, & mandata, quia videlicet Eccleſia à Spiritu edocta, & directa, talia pręcipit. Vult igitur Deus hominem rationis participem, vti diſcretione in ijs rebus ad quas naturà eſt propenſus, & valde pronus, ſcilicet in cibo, & coitu: in quibus rebus belluæ quæ ratione carunt, diſcretione vti non poſſunt. Ventrem igitur tam ſuperius quàm inferius, ratione domemus, & refrenemus, ſi puri homines, & ſinceri Chriſtiani eſſe volumus.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Alius iudicat diem inter diem, alius, autem iudicat omnem diem: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Quo loco imperitè abutuntur, qui ex eo colligunt, quòd etiam ſi dies feſtos obſeruaret non ſit malum, tamen nemo ad illorum obſeruationem cogi debeat. Nam clarum eſt ex ipſa litera beatum Apoſtolum illic loqui de manducatione carnis, quam aliqui omni die manducabant, alij verò minimè. Sic enim habet qui conſequitur textus. Et qui manducat, Domino manducat, &c. vbi etiam aduertendum, illum loqui de carnis manducatione omnibus diebus indifferenter facienda, quoniam adhuc de abſtinentia carnis certis diebus obſeruanda, nihil præceperat Eccleſia. Tum enim nempe ante ſufficientem Euangelij promulgationem, & ſi legalia erant mortua, non tamen Iudæis erant mortifera. Si autem de diebus feſtis expoſueris eodem excides, Nam de ipſis idem dicendum quod de-

cibis reſpondimus. Vbi verò tam de abſtinentia ciborum, quàm de dierum feſtiua obſeruatione ſtatuit Eccleſia, talis abſeruatio non eſt indifferens, ſed neceſſarie. Diſtingue igitur tempora, & attende ad ſcriptorum propoſitum, vt ſine errore in ſcripturis ſacris poſſis verſari. Aduerte igitur in legendo beato Paulo, eum nunquam damnare dies feſtos ab Eccleſia inſtitutos, & celebratos, ſed vanam tam Iudęorum quàm Gęntilium in eiſdem obſeruationem. Feſtorum autem dierum celebrationem fuiſſe in Ecclefia iam inſtitutam, & obſeruatam, tempore Apoſtolorum, docet primũ caput Apocalypſis, vbi de die Dominica agitur, de hac refuſius ſcribimus in tractatu de feſtis Chriſtianorum.

Rom. 15. capite ſcribitur in hunc modum: *Vnuſquiſque placeat proximo ſuo in bonum ad ædificationem*. Quo loco ignoranter nimium abutuntur, qui ex eo colligunt opera noſtra ad proximum referri debere, tantum vt illum ædificeremus, & non ad Deum, vt apud illum mereamus. Nam opera noſtra ita debent ad proximum dirigi, vt ſemper ad Deum prius referantur, propter quem benefacimus proximo. Non ſequitur igitur, debemus placere proximo in ædificatione, ergo opera noſtra nihil merentur apud Deum. Nam vtrunque ſimul eſſe poteſt, & debet: nam Dei, & proximi dilectio ſubordinatur.

Rom. vltimo ita ſcribitur: *Obſeruare eos qui diſſentiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis faciunt, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt tollendas eſſe profeſſiones religioſorum, quia videlicet diſſentiunt à communi Chriſtianorum profeſſione. Nam illic Apoſtolus damnat hæreticos, qui ſectas introducebant, proponendo doctrinas hęreticas, & in Eccleſia non receptas, & probatas. Patet autem illud etiam non poſſe intelligi de veris monachis, qui non prædicant, & profitentur aliam fidei doctrinam, contra aut etiam præter eam, quam Eccleſia Catholica probat, & tradit. Et tantum abeſt, quod ſeruiant veri monachi ſuo ventri, vt etiam propter ventrem domandum, omni ex parte ſcilicet ſuperne, & inferne ieiunijs, & alijs conuenientibus exercitijs, paupertatem, obedientiam, & caſtitatem voueant. de hac re plenius à nobis dictum eſt in libris, quibus monachatum aſſerimus.

Digitized by Google

EX PRIORI EPISTOLA BEATI PAVLI AD CORINTHIOS.

PRIORIS ad Corinthios primo cap. ſcribitur ad hunc modum. *Non glorietur omnis caro in conſpectu Dei, ſed quemadmodum ſcriptum eſt: Qui gloriatur in Domino glorietur.* Quo loco abutuntur ignoranter, qui ex eo colligunt in Chriſtianis opera bona non requiri, aut ſaltem apud Deum nullius eſſe meriti. Hoc enim nequaquam intendit perſuadere Apoſtolus, ſed docet omnes hominum conatus nullius eſſe efficaciæ ad vitam æternam habendam abſque Chriſto vnico mediatore & redemptore omnium, qui Dei ſingulari gratia & bonitate datus eſt nobis & per eum benè operantibus, & ipſi in bonitate conformibus promiſſa eſt Dei gratia, ſalus & uita æterna. Hoc indicant eius uerba, quæ ſic habent: Ex ipſo autem (ſcilicet Deo) vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio. Sic igitur hoc propoſitum intelligito, hominum Chriſtianorum opera ſunt meritoria vitæ æternæ, ſed ex pacto & promiſſione. Pactum autem illud Dei liberalitate, & gratia fundatum, in Chriſto poſitum eſt, vt neceſſe ſit ipſi reuera coniungi fide, ſpe & charitate antequam operibus noſtris debeatur vita æterna. Talia autem opera noſtra ſunt digna vita æterna, quia Spiritus Dei & Chriſti ea in nobis cooperantibus operatur. Quum ergo bona opera Chriſtianorum efferimus, in Domino gloriemur.

Prioris Corint. 3. ita ſcribitur: *Cùm enim quis dicat: Ego quidem ſum Pauli: alius autem, ego Apollo: nonne homines eſtis? &c.*

Quo loco abutuntur, qui illum contorquent aduerſus varias religioſorum profeſſiones, quorum vnus dicit: Ego ſum diui Benedicti: alius, Sum diui Franciſci & ita de reliquis. Nam clarum eſt ex ipſa litera, Apoſtolum eos redarguere qui putabant ſe eius eſſe à quo baptizati fuerant, ab vno quàm ab altero datum baptiſma præſtantius & efficacius eſſe iudicantes. Et ita ſectæ fiebant in Eccleſia. Re-

Religioſi

ligioſi autem non putant ſuæ ſalutis & fidei authores, quos in religionis & fidei Chriſtianæ profeſſione duces probatiſſimos ſequuntur: ſed habent perſuaſum ſe non poſſe de ſalute periclitari, ſi illos imitentur, quorum exitum conuerſationis certum eſt fœlicem fuiſſe. Illos igitur duces ſequuntur in militia Chriſtiana ſub Rege & Domino Chriſto, ſicut gregarij milites Regi, ſub huius, vel illius ducis gubernatione militant: non quidem Ducem, ſed Regem pro fine ſuę militiæ habentes, & cogitantes. De hac re fuſius egimus in noſtris admonitionibus ad religioſas, &c.

Ibidē ſcribitur in hunc modū. *Fundamētum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Quo loco ignorāter abutuntur, ſeditioſi, qui ex eo colligūt malè eos dicere qui affirmāt beatū Petrū fuiſſe Eccleſię fundamentū. Nam & ſi in ſolo Chriſto per fidem fundatur Eccleſia Dei ſponſa, tamē Apoſtoli per quos illa Eccleſia ædificata eſt, dicuntur eſſe fundamēta, quia videlicet illorū medio reliqui inhærent & ſuperſtruuntur Chriſto. Hoc docet beatus Apoſtolus Ephe. 2. cap. his verbis. Eſtis ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Idem docetur Apocalyp. 2. cap. his verbis. Et murus ciuitatis habet fundamenta duodecim, & in ipſis nomina duodecim Apoſtolorum & agni. Quum ergo Apoſtoli dicantur fundamenta Eccleſiæ, non eſt mirum, nec abſurdum videri debet, ſi beatus Petrus eorum corriphæus & primus dicatur ſpecialiter fuiſſe Eccleſię fundamentum. Hoc docuit Chriſtus Matth. 16. his verbis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam.

Prioris Corint. 6. cap. ſcribitur in hunc modum: *Empti enim eſtis pretio magno.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt eſſe blaſphemos, & derogare Chriſti merito, qui affirmant opera requiri vt cœlum ingrediamur. Nam ſemper quum de bonis operibus & eorum meritis loquimur, præſupponimus Dei gratiam & Chriſti meritum, quæ duo non reijciunt, aut excludunt, ſed prærequirunt bona & meritoria opera. Nos ergo ſumus redempti pretio magno, ſcilicet, ſanguine Chriſti, non vt nihil operemur, ſed vt per eum redempti & iuſtificati, ſanctè viuamus, & per bona opera ad vitam æternam perueniamus. Hoc indicat loco iſto Apoſtolus, ſi diligenter inſpiciatur. Illius namque hæc ſunt verba: An neſcitis quia membra veſtra ſunt templum Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.

Prioris

Prioris Corint. 7. cap. ita ſcribitur. *Propter fornicacionem vnuſquiſque habeat vxorem ſuam: & vnaquæque virum ſuum habeat.* Quo loco ignoranter expoſitò perperam abutuntur, qui ex eo colligunt oportere vnumquenque coniugari, aut ſaltem neminem prorſus peccare, qui coniugem accepit. Nam textus Pauli ad literam, & ex eius propoſito, exponi debet de cohabitatione carnali perſonarum iam matrimonio coniunctarum, prius quàm fideles eſſent à qua abſtinere debere homines ad fidem conuerſos, quidam apud Corinthios affirmabant, quibus ita vt hic ſcribitur, reſpondet Apoſtolus. Quod autem non præcipiat omnibus matrimonium, patet ex ipſomet, qui conſulit uirginibus vt ſic permaneant, ſcilicet virginitatem perpetuam ſeruando. Idem etiam 1. ad Timoth. 5. cap. ait mulieres volentes nubere, poſtquam ſeſe Deo dicarunt, primam fidem irritam facere, & damnationem ſibi acquirere.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Qui non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm vri.* Quo loco abutuntur apertè, qui inde colligunt Sacerdotes, religioſos, religioſasque poſſe cum velint matrimonium contrahere. Quantopere autem fallantur, docet ſcriptura ſacra, quæ paſſim affirmat vota & promiſſa eſſe Deo reddenda, ni velimus condemnari à Deo: quod apertè indicat noſter Apoſtolus. 1. Timot. 5. cum ait fœminas eas, quę poſtquam ſeſe dedicarunt Dei cultui, & ſeſe ipſi conſecrarunt, volunt nubere, damnationem ſibi acquirere, quia primam fidem irritam faciunt. Hoc igitur loco non loquitur Apoſtolus de perſonis voto, ad ſeruandam perpetuam caſtitatem addictis, ſed de ſolutis, monetque unicuique tentandas eſſe proprias vires priuſquam vitæ genus ſuſcipiat, à quo poſtea reſilire non liceat. Quod autem ad perſonas voto caſtitatis perpetuę aſtrictas attinet, conſulerem duo diligenter ſeruanda eſſe, prius eſt, vt non facilè ad votum emittendum accedant & recipiantur, & ſi inter religioſas perſonas educari à primis etiam incunabulis quibuſlibet vtiliſſimum & ſanctiſſimum eſſe iudico. Poſterius verò eſt, vt illud exercitij genus, quod caſtas perſonas decet & conſeruat ſectentur, de Deo & de eius admirabilibus operibus ſæpius cogitando, in illiſque meditando, frequenter orando, æterna nouiſſimaque memorando, ſcripturas ſacras (quæ ſunt caſtorum libri) ſæpiſſimè legendo ſobrie viuēdo: confabulationes perſonarum carnalium fugiendo, ne mores bonos corrumpant colloquia praua, & ante omnia, otium, malarum artium notiſſimum & pernicioſiſſimū magiſtrum auerſando & propellendo. Nam quomodo caſtè uiuerent,

rent. & non vterentur iuuenes tan maſculi, quàm fœminæ cum in ocio degunt, lautè uiuunt, vtramq; in aurē dormiūt, & totos dies noctesq; delicijs vacant, curioſa ſectantes, & cū perſonis carnalibus & mundanis carnalia mundanaque confabulando agitant & pertractant? An non hoc eſt retroſpicere? An non cordis carnalis hęc ſunt indicia? Tribuendum eſt igitur imprudentiæ & diſſolutioni quarundam perſonarum voto caſtitatis perpetuæ aſtrictarum, ſi vtuntur atque non ſine magna, vel etiamnum maxima difficultate integram caſtitatem ſeruare poſſunt. Nam ſi incaleſcere nolunt, cur ad ignem accedunt? Huc namque in ſinu (teſte Sapiente) quin exardeſcamus nequaquam geſtare poſſumus. Dicere autem neminem poſſe perpetuam caſtitatis integritatem conſeruare, eamque in vitæ diſcrimen maſculos, aut etiam fœminas adducere, eſt planè erroneum, atque doctrinæ Spiritus ſancti in Eccleſia Catholica ipſius integræ caſtitatis vota perpetuò ſeruanda recipientis & docentis contrarium. Non eſt ſiquidem impoſſibile maſculum, aut fœminam cœlibem perpetuo degere: quum carnalis copula non *indiuiduorum* & particularium (quibus forſan tamen eſſet aliquando ſalubrior) ſed ſolius ſpeciei conſeruationi ſit neceſſaria. Hinc eſt, quod nunquam diſpenſat Eccleſia in voto perpetuæ caſtitatis quòd ſanè iuſtiſſimum eſſet & fieri forſan deberet ſi quibuſdam eſſet impoſſibilis & mortem afferret. An non etiam (nam quiſque iure poteſt ſe vitamque tueri) alterutro coniugum diutino morbo laborante & impotente effecto liceret alteri aliunde petita carnali copula vitæ diſcrimen effugere? Quis non videt igitur quàm ſit abſurdum affirmare lethale eſſe carnali carere copula? At homines delicati & carnales à carnalibus & indoctis quibuſdam medicis facilè perſuademur perpetuam caſtitatem pernicioſam & exitioſam eſſe humanis corporibus: conſulo autem electis Dei vt nunquam putent corporis morbos ſanandos eſſe animi morbis, ſed perſtent in doctrina Eccleſiæ quæ vota perpetuæ caſtitatis nunquam approbaſſet ſi illa impoſſibili & pernicioſa eſſet. Sed carnales facilè uincuntur, & perſuadentur, vt carnalia ſectentur: verbum autem Domini manet in æternum quo docemur hoc genus dæmoniorum eijci continuato ieiunio (nam ſine Cerere & Baccho friget Venus) & oratione. Tu igitur qui caſtè uiuere cupis ieiuna, ora, & verbum Dei lege, vel audi, & mihi crede carnis ſtimulos facilè domabis, ſuperabiſque. De hac re ſatis fuſè ſcripſimus in libris editis aduerſus carnales fœminas, quæ abeuntes retro poſt Satanam & primam fidem irritam facientes, violatis re-

ligionis

Digitized by Google

ligionis monaſticæ votis,nupſerunt ſacrilegè atque impiè.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem: & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: Alioquin filij veſtri immundi eſſent. Nunc autem ſancti ſunt, &c.* Quo ſanè loco minimè intellecto abutuntur, qui Dei in Eccleſia de neceſſario pueris baptiſmo vt ſanctificentur præceptum conuellentes, affirmant eoſdem ſanctos eſſe ab ipſa propagatione, & origine. Quomodo enim hoc docere ſanctus Apoſtolus, qui Eph. 2. capite affirmat tam clarè omnes naſci filios iræ? Hinc autem dilucidum euadit cum hoc loco non loqui de talibus parentibus accepta puerorum ſanctiſſicatione,quod ait ſimiliter virum aut mulierē infidelē per fidelem ſanctificari,ſed de auocatione ab impuro,& immundo idolorum cultu, & ſancta ad Chriſtianiſmum attractatione quæ fit in domeſticis infidelibus per fidelium honeſtam, benignam, placentem,& probatam conuerſationem quæ nec in parentibus nec in filijs eſſet ſi matrimonio coniunctorum ſtatim,& ſemper fieret ſeparatio propter religionis diuerſitatem. Hanc exſpoſitionem deſumpſi ex tertio capite prioris Epiſtolæ beati Petri,vbi ad hunc modum ſcribitur. Similiter, & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant,conſiderantes in timore caſtam veſtram conuerſationem. Sancti ergo dicuntur eſſe tales liberit vt etiam coniunges,& alij domeſtici infideles,quia retrahuntur ab impuritate idolatriæ, & alliciuntur ad ſanctitatem Chriſtianiſmi in baptiſmo acquirendam per honeſtam, pacificam, & familiarem coniugum Chriſtianorum conuerſationem, non autem vllo pacto quia ſancti naſcantur. Nam ex illis aliqui ex infidelibus ambobus parentibus ſunt extorti, non mirum autem ſi propter alterum tantum parentem fidelem dicantur ſancti, & fideles quum iure ciuili cenſeantur generoſi, & nobiles qui altero tantum nobili, & libero parente ſunt nati.

Ibidem ita ſcribitur: *Pretio empti eſtis,nolite fieri ſerui hominum.* Quo loco ignoranter abutuntur,qui ex eo colligunt nulla hominum mandata,& præcepta Chriſtianis recipienda,& ſeruanda eſſe. Nam non vult Apoſtolus Reges, magiſtratus, & quoslibet alios ſuperiores non habere poteſtatem tradendi præcepta, quæ teneantur Chriſtiani ſeruare,ſed ait non oportere Chriſtianos fieri ſeruos hominū id eſt,nunquam hominibus contra Dei voluntatem,& præceptū placere at que obedire:quum oporteat magis obedire Deo,qui nos pretio

tio magno redemit, & ita eius ſumus iuſta acquiſitione, quàm hominibus, à quibus nihil niſi paruum recipere & habere poſſumus. Deo igitur imprimis & ſuper omnia obediamus, cuius maximè ſumus, & à quo omnia ſumma habemus, & expectamus: Interim tamen quod hominibus debemus, & illæſa conſcientia præſtare ipſis poſſumus, prǽſtemus & reddamus: quia vocatio Euangelica non liberat à conditione politica. Hoc paulò ante indicabat Apoſtolus cum ita dicebat: Vnumquemque ſicut vocauit Deus, ita ambulet, quod in omnibus Eccleſijs doceo, &c.

Prioris Corin. 8. ca. ſcribitur in hæc verba: *Eſca nos non commendat Deo, neque enim ſi manducauerimus, abundabimus neque ſi non manducauerimus, deficiemus.* Quo loco abutuntur, qui ventri ſuo ſeruientes, inde colligunt non eſſe debere inter Chriſtianos ciborum delectum: Nam vt iam ſpripſimus, & ſi cibi ex ſua natura ſunt indifferentes, nec nos Deo commendant, nec animam coinquinare poſſunt, cum videlicet corporati ſint, & in ventrem, non autem in animam, intrent: tamen tranſgreſſio præcepti Dei, in eius Eccleſia, quæ fit in ciborum prohibitorum eſu, animam coinquinat, vt videtur in pomo quod comedit Adam. Paulus igitur non loquitur hic de præcepto Eccleſię, quo ad cibos vetitos, ſed docet ceſſaſſe ceremonialem, & Iudaicam ciborum obſeruantiam, non interim tamen volens affirmare quin Chriſtiani teneautur ex conſcientia, etiam citra omne ſcandalum ſeruare ciborum delectum ab Eccleſia pręceptum. Nam etſi ſtatim in primitiua Eccleſia, ferè perpetuo ieiunantibus Chriſtianis, ciborum & ieiuniorum præcepta non fiebant, non tamen ſequitur quin poſtea iuſtiſſimè facta ſint: Si autem interceſſiſſet aliquod Eccleſiæ præceptum, vt iam factum eſt, non ita locutus fuiſſet Apoſtolus.

Prioris Corinth. 9. cap. ita ſcribitur: *Si Euangelizauero, non eſt mihi gloria, neceſſitas enim mihi incumbit: Væ enim mihi ſi non euangelizauero.* Quo loco perperam intellecto abutuntur, qui ex eo effici volunt nullam gloriam aut mercedem deberi bonis operibus: quum videlicet opus præſtātiſſimum ſit prędicatio verbi Dei, quam hic (aiunt) Apoſtolus dicit non mereri gloriam. Nam non eſt intelligendus hic locus ſimpliciter de gloria & mercede, quæ, via iuſtitiæ communi, redditur bonis operibus, ſed de excellenti operis ſupererogationis gloria, & mercede, de qua hic gloriatur & non vult eam euacuari Apoſtolus. Quod enim prędicabat, hoc erat uocationis debitum officium: quod autem nihil acciperet ab his qui-
bus

bus prædicabat, hoc erat ſupererogationis & gloriæ maioris, de qua hic agit. Omne igitur opus bonum gloriam & mercedem meretur: ſed quod vltra præceptum & debitum ſupererogatur, hoc adhuc inſignior & maiori gloria dignum cenſeri debet.

Ibidem ita ſcribitur: *Omnibus omnia factus ſum*. Quo loco perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt licere Chriſtianis ſeſe accommodare qualibet in re cuiuſlibet religionis hominibus, modò intus fides ſit recta in corde. Falluntur autem, & agunt contra ſcripturam, quæ exteriorem fidei promiſſionem vult fieri & præcipit, vt ipſam fidem in corde requirit. At enim Chriſtus: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: qui autem negauerit, & erubuerit ſermones meos coram hominibus, ego eum negabo coram patre meo. Hæc eſt enim ſumma Dei & Chriſti Ieſu gloria, quando ipſum & eius fidem palam, & audacter coram quibuſlibet etiam vſque ad mortem confitemur. Apoſtolus igitur omnibus omnia factus eſt, ſed nihil fecit, & profeſſus eſt contra religionem Chriſtianam, qui in rebus indifferentibus ſeſe omnibus accommodauit, vt tãdem omnes homines lucrifaceret, qui etiam beatum Petrum in religionis in profeſſione errantem vehementer reprehendit. Conſideratione etiam dignum eſt, quòd hac in re aliud eſt licitum Apoſtolo, paſtori & doctori, quam aliis Chriſtianis. Nam illi ſunt veluti medici, qui cum ægrotis vt eos ſanent aſſiduì eſſe debent, qui non ſunt etiam in eo periculo ne decipiantur, & inficiuntur ipſi ſunt alij ſimplices Chriſtiani. Quare his non illis interdicitur ſocietate, & confabulatione hæreticorum, atque etiam lectione pernicioſorum librorum, & diſputatione cum deuijs, & errantibus hominibus. Quod autem ſimulationem & diſſimulationem in religione Chriſtiana attinet, cautos, & prudentes Deum ſemper orando nos eſſe oportet. Nam poſſumus aliquando excuſari à profeſſione, & exercitio veræ fidei, & religionis, quando videlicet tyrannis viget, & nos impedit, vt fit in illis locis in quibus euerſis templis, effoſſis altaribus, & interfectis, aut fugatis Sacerdotibus, non licet ſacrificium Euangelicum, ſacroſanctam Miſſam celebrare aut audire: verum nunquam excuſamur ſi profeſſionem illam fecerimus quæ ſi contraria religioni & fidei noſtræ: profiteri enim non omninò ſemper tenemur noſtram religionem, ſed benè nihil ipſi contrarium ſequi & profiteri. Quare non poſſunt excuſari hæreticorum noſtri temporis cœnulas idolalatricas & reliqua illorum impietatis & antichriſtianiſmi exercitio ſectantur, ſicut nec

princi-

principes mndi ſi prohiberent, edicto aut quouis alio pacto,fidei catholicæ exercitium, & illud ſequentes Chriſtianos punirent, Non enim fides poteſt pati vllam iuſtam neceſſitatem, cum pro ea teneamur vitam propriam exponere, ſicut dilexit nos, & animam ſuam pro nobis poſuit Chriſtus Dominus. Hoc eſt quod ipſe docet cum ait ita: *Si quis voluerit animam ſuam ſaluam facere in hoc mundo, in vitam ęternam perdet eam.* Videant igitur multi aulici,& ſapientes huius mundi ſimulatores, & diſimulatores apertè impij, quid ſint reſponſuri Chriſto quem non confitentur coram hominibus, ſed potius neſcio qua aſtuta, & infœlici humana prudentia, contraria fidei ſimplicitati,eius religionem rident, à Chriſtianis robur, & firmamentum illud quod ſemper viſum eſt in confeſſione aperta, & ſimplici tollunt, auellunt aut eneruant. Audaciùs legè faciunt hęretici,qui intrepidè pro ſuo errore mortem appetunt, quęlibet humana contemnendo.

Prioris Cor. 10. cap. ſcribitur in hunc modum: *Patres omnes noſtri eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt, bibebant autem de ſpirituali, conſequente eos, petra: petra autem erat Chriſtus.* Quo loco non intellecto perniciosè,impudenter,& blaſphemè abutuntur,qui ex illo colligũt quòd tẽpore Euangelij,in hoſtia ſacra,accipitur Chriſtus ſpiritualiter tantùm per fidem,nõ aũt in propria carne, & ſubſtãtia,per ſacramẽtalẽ, & realẽ eiuſdẽ manducationẽ.Nã ipſe textus eos manifeſtiſſimè refellit;quod vt cognoſcatur,obſecro vniuerſos ſuę ſalutis cupidos, & tãti ſecreti amantes, vt tranquillè, & citra huius vel illius partis affectionem, humiliter mecum Apoſtoli textum conſiderent. Quod vt fiat, attendendum eſt imprimis quònam ſit Apoſtoli hoc in loco propoſitum. Illud autem eſt,admonere,& corrigere Corinthios, qui iam cum irreuerentia, & non cum ſufficienti diſpoſitione accedebant ad communionem Chriſtianorum: ſcilicet ad veri, & naturalis (licet non naturali, & carnali aut corporali, ſed ſpirituali modo faciendam; quod docuit Chriſtus Ioan. 6. quando dixit; Verba quę locutus ſum vobis,ſunt vita,& ſpiritus: vbi aduertendum quòd verba ſpiritum dixit,non autem ſuum corpus quod re uera manducatur,ſed ſpirituale effectum, & modo ſpirituali, & vt eſt animę, & non autem corporis cibus, vt malè accipiebant Capernaitę) corporis Chriſti participationem. Hos ergo informare, & inſtruere volens de diligenti,& humili acceſſu ad tantum ſacramentum,cum ſufficienti probatione, docetq́ quàm grauiſſimè Deus Iudęos puniuit,

nnit, qui ſolam huius Diuini ſecreti, & myſterij figuram percepe-runt, ſcilicet manna edendo, & aquam de petta exeuntem eandem bibendo, quia poſt participationem mirabilis cibi, & mirabilis po-tus, concupiſcentes fuerunt malorum idola colendo, & fornican-do. Iudices facio quotquot ſano ſunt iudicio, & literam Apoſtoli expendunt, ſi hoc non ſit verum eius propoſitum. proſequamur ergo, & cum Apoſtolo hoc noſtro tempori accommodemus. Sic autem illud ipſum ipſe fecit. Per ea quæ ita ſequuntur verba. Hæc autem, inquit, in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupi-ſcentes malorum, ſicut, & illi concupierunt, & perierunt ab exter-minatore. Quo ergo ſpectat cùm hæc dicit Apoſtolus? eo ſanè vt nos doceat eos grauiſſimè à Deo puniendos qui verum Chriſti corpus cum veteri fermento, id eſt ſine diligenti ſui probatione, & cum peccato manducauerint in hoſtia ſacra, ſub ſpeciebus panis, ſub quibus ipſum verum, & naturale Chriſti corpus continetur, exhibetur, & à Chriſtianis communicatur, & percipitur tempore legis Euangelicæ quæ habet, & exhibet rem ipſam, cuius ſolas fi-guras lex continebat, & proponebat. Sic argumentatur Apoſtolus, Omnia illis in figura contingebant (nam non veritatem ſicut nos, ſed ſolam figuram, & ſignificationem edendo, & bibendo ſume-bant) & tamen, quia peccauerunt miraculosè, datis illis cibis ſcili-cet manna, & acqua de petra cum irreuerentia vtendo, tam graui-ter puniti ſunt, quid ergo fiet Chriſtianis non iam figuram, ſed ip-ſum Chriſtum integrum Deum, & hominem indignè in ſacramen-to altaris ſumentibus? Docet igitur Apoſtolus apertiſſimè quòd nos Chriſtiani differimus à Iudæis, quia illi ſpiritualem tantum eſcā, & ſpiritualem tantum potum habebant: nos autem habemus rea-lem, & in propria ſubſtantia, & perſona ſubſiſtētem Chriſtum, cuius caro quam manducamus, realiter eſt, & verè cibus noſter. Quòd au-tem hæc ſit Pauli ſententia, libera ſequēs docet quæ eſt eiuſmodi: Vt prudentibus loquor, uos ipſi iudicate quæ dico. Calix benedictionis, cui benedicimus; nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & pa-nis quem frangimus nonne communicatio (nota hoc diligenter) cor-poris Domini eſt? quoniā vnū corpus, & vnus panis multi ſumus, oēs qui de vno pane, & de vno calice participamus. Annon hæc ſunt cla-ra, & neceſſaria, pro veritate corporis Chriſti in ſacramēto Euchari-ſtię, Apoſtoli verba, & teſtimonia? Quod ergo ī principio capitis dici-tur de ſpiritali eſca, & de ſpiritali potu, hoc nihil ſpectat ad nos; ſed ad patres Iudęos, q ſub nube furūt, & ī mari baptizati ſūt, quę ſūt figurę

N noſtri

Digitized by Google

noſtri temporis, in quo res ipſas & non figuras percipimus, dicente Euangeliſta Ioanne, quòd lex per Moyſen data eſt, gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Eſca autem illa, vt etiam petra de qua bibebant, dicitur fuiſſe Chriſtus, quia vtrunque erat figurati Chriſti incarnandi, quem ſpiritualiter tantum accipiebant, quia nondum realiter in humanitate ſubſiſtebat: illum autem nunc realiter, & re vera ſubſiſtentem, re vera, & corporaliter ſumimus, & ſi ſpirituali, & non corporali modo, & tamen in vero corpore. Ante incarnationem igitur, ſpiritualiter tantùm fideles Chriſtum participabant, per eius figuras poſt inſtitutum autem Euchariſtiæ ſacramẽtum, realiter, ſubſtantialiter, & corporaliter à Chriſtianis participatur, vt per eius manducationem, & communionem vitam habeat à Diuinitate perſonaliter, & inſeparabiliter coniuncta ipſi humanitati. Hoc eſt, quod docet Chriſtus Ioannis ſexto, cùm ita ait: Sicut miſit me pater viuens, & ego viuo propter patrẽ, ita qui manducat me, ipſe viuet propter me. Quum autem cum ſcriptura affirmamus ipſum Chriſtum ſumi in hoſtia ſacra ſub ſacramento, perſonaliter, corporaliter, & realiter, non ita illud intelligi volumus, quòd ſumatur corpus eius corporali modo: quo pacto non eſt in hoſtia ſacra, ſed quò re vera, & non per fidem, & ſpiritum tantùm, vt malè perſuadentur nonnulli, percipitur. Hoc eſt, quod docuit Chriſtus poſt longam huius rei diſputationem Ioan. 6. cap. his verbis: Hoc vos ſcandalizat? Quid ſi videritis filium hominis aſcendentem in cœlũ, vbi erat prius? Verba quæ ego locutus ſum vobis ſunt vita, & ſpiritus: Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui viuificat. In ſacramento altaris igitur, eſt verum Chriſti corpus, ſed ſpirituale quale videlicet reſurrexit, ſcilicet immortale, glorioſum, impaſſibile, indiuiſibile, & ſubtile, quomodo nobis proponitur manducandum, ad nutritionem non corporis ſed animæ, & ſi ſub ſpeciebus proponitur quæ corporis alimentum eſſe poſſunt, & alias corporis corruptibilis & diuiſibilis conditiones ſubeunt. Quem igitur in ſpiritu tantùm per figuras in fide Chriſtum manducarint, & biberint Iudæi, nos autem eundem, ſed aliter, ſcilicet re vera, & ſubſtantialiter manducemur, ſi puniti ſunt poſtea peccantes, timendum eſt nobis ne indignè ad tantum myſterium accedentes, grauiùs puniamur. Hoc autem eſt totum Apoſtoli propoſitum, in hac longa, & difficili diſputatione de manducatione corporis Chriſti: Quod ſanè dubiũ nemini erit, qui attenderit ad ea, quæ beatus Apoſtolus ſcripſit in fine vndecimi capitis, ſcilicet, quòd qui indignè ſumebant ſacram Euchariſtiam

ſtiam, partim infirmi efficiebantur, partim etiam moriebantur. Hoc autem profectò non eueniſſet ipſis, ſi vt in baptiſmo, ſic in hoc ſacramento eſſent tantùm corruptiblia ſigna, & non ipſum uerum Chriſti corpus ſumeretur. Nam nunquam legimus morte aliquos fuiſſe punitos, quia alia ſacramenta indignè ſuſceperint. Fatendum eſt ergo cum theologia, in alijs ſacramentis gratiam Chriſti, in hoc vero omnium auguſtiſſimo, ipſum Chriſtum gratiæ fontem, & authorem ſumi & recipi.

Ibidem ita ſcribitur: *Petra autem erat Chriſtus*. Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt oportere verba illa Chriſti, Hoc eſt corpus meum, tropicè, & ſignificatiuè, non autem ſubſtantialiter accipi, & exponi. Nam cui obſcurum eſſe poteſt hoc loco tropum eſſe quum nemo dubitet Chriſtum nunquàm fuiſſe ſubſtantialiter petram? Quod autem replicant obijciendo quod etiam Chriſtus non eſt ſubſtantialiter panis, nihil efficit contra Catholicam doctrinam, quæ nunquàm dixit panem eſſe corpus Chriſti, ſed bene ſubſtantiam panis conuerti in ſubſtantiam corporis Chriſti, quod latet, & continetur ſub remanentibus ſpeciebus panis, ſubſtantialiter conuerſi, & mutati: Hinc autem erroris ſui occaſionem habuerunt, quia malè accipiunt uerba Chriſti? tanquam ſcilicet dixiſſet: Hic panis eſt corpus meum. Hoc autem minimè dixit, qui ita pronunciauit conſecratione, & benedictione panis peracta, hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur: Hoc enim, particula eſt demonſtrans veritatem, & præſentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis. Hic etiam animaduerſione dignum eſt, quòd fide deſtituti aliqui carnales non potuerunt ſibi perſuadere corpus Chriſti, quod eſt in cœlo, etiam in terra, tot in locis eſſe poſſe. Quare ad ſuam inanem perſuaſionem ſcripturam coarctantes, eam de ſigno corporis Chriſti perniciosè expoſuerunt. Sic ergo hunc locum intelligito: Petra ſpiritualis eſt Chriſtus: Petra autem materialis ex qua exibat aqua, erat figura Chriſti. Hoc autem nihil ad illum locum: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.

Ibidem ita ſcribitur: *Panis quem frangimus*. Item; *de vno pane participamus*. Quibus locis, & ſimilibus abutuntur, qui ex illis colligunt remanere ſubſtantiam panis in hoſtia ſacra: quia videlicet conſecratione peracta dicitur panis. Nam certum eſt eam eſſe ſcripturæ conſuetudinem, vt appellet res non ſemper vt ſunt, ſed vt ſenſibus apparent quia ergo in hoſtia ſacra ſolus

panis eſſe videtur, & ſenſibus externis percipitur. Idcirco panis vocatur, hoc etiam fit, quia res in quas aliquæ ſunt mutatæ, ſæpius earum quæ ſunt commutatæ, nomina retinent, vt paſſim in ſcripturis legitur in quibus ſurdi dicuntur audire, & cæci videre non quia tales ſunt, ſed quia tales extiterunt.

Chriſtus enim dicitur panis, quia eſt cibus animæ quam nutrit non minus quàm panis materialis corpus. Eſt ergo Chriſtus panis, non quidem materialis corruptibilis, ſed viuus, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam mundo, vt ipſe docet Ioan. 6. cap. vbi palàm teſtatur quòd panis quem daturum ſe promittit. eſt ſua ipſiuſmet caro quam dedit pro mundi vita.

Prioris Corinth. 11. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Conuenientibus vobis in vnum iam non eſt dominicam cœnam manducare, &c.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt communionem Chriſtianorum vocari Cœnam Domini. Nam certum eſt ex ſcriptura ſacra cœnam Iudæorum fuiſſe: communionem autem Chriſtianorum eſſe. Chriſtus igitur, & ſi vtrumque fecit, & celebrauit, ſcilicet cœnam Iudæorum, & communionem Chriſtianorum, quæ eſt manducatio, & participatio corporis ſui: Hanc autem ſolam nobis imperauit, & nõ illam cui finem impoſuit. Corporis autem Chriſti manducationem non deberi dici cœnam docet ſcriptura ſacra, quæ affirmat Chriſtum conſecraſſe, & dediſſe Apoſtolis ſuum corpus manducandum cœna iam facta. Sic enim ſcribitur Lucæ. 22. Similiter dedit calicem poſtquam cœnauit dicens, &c. Sic etiam ſcribitur Ioannis 13. cap. Cœna facta ſurgit Chriſtus, & ponit veſtimenta, &c. Hoc ẽt loco ita ſcripſit Apoſtolus: Similiter, & calicẽ poſtquã cœnauit dicens, &c. Nõ debes aũt moueri, quia ſcribunt Matthæus, & Marcus quòd cœnantibus Apoſtolis Chriſtus accepit panem. Nam ita volunt oſtendere Chriſtũ coniunxiſſe manducationẽ corporis ſui cęnæ Iudæorum ſcilicet manducationi agni paſchalis. Chriſtus igitur, & cœnã Iudęorum, & communionem corporis celebrauit, ſed cęnam excluſit inſtituta, & propoſita pro Chriſtianis corporis ſui communione. Hæc autem Euangelica cõmunio ſi a quibuſdã antiquis dicitur cęna ideò ita vocatur, quia tempore cœnę eſt inſtituta. Nunc autem cùm manè fiat, & celebretur, qua iuſta ratione vt cœna dicatur defendi poterit? Iudaizantibus igitur hæreticis, inanem, & figuratitiam cœnam relinquamus: Chriſto autem mediatori noſtro per ueram eiuſdem corporis communionem, participationem, & manducationem, ſequendo ipſius inſtitutionem, &

præce-

Digitized by Google

præceptum inhæreamus. Veritas namque,& non figura iuſtificat. Valeant igitur vani figurarij cum ſola obſcura, & vmbratili cœnula ſeu compotatiuncula. Non erit etiam inutile aut iniucundum ad uertere, quòd ſi hæc Apoſtoli litera diligentiùs inſpiciatur dilucidũ fiet illum nequaquam vocare corporis Domini participationem cęnam Dominicam, ſed conuiuia quæ agebant ante communionem, ſequuti Chriſtum qui fecit cœnam cum diſcipulis priuſquam traderet ipſis proprium corpus, & ſanguinem. Reprehendit enim eos Apoſtolus,quòd præueniebant aliqui cœnam ſuam non expectando pauperes,qua in re deſciſcebant à charitate & Chriſti imitatione,qui non cœnauit ante Apoſtolos, ſed vna cum ipſis. Sic enim ait Apoſtolus: Vnus eſurit, alius autem ebrius eſt. Item an Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? id eſt, pauperes. Item: Nunquid non habetis domos ad manducandum,& bibendũ? Nequaquam igitur loquitur quum de cœna agit de manducatione corporis, & potu ſanguiuinis Chriſti,vnde ebrij non efficiebantur, ſed de illis conuiuijs quæ caritates ſeu agapas antiqui vocant, quæ fiebant ante ſumptionẽ corporis Chriſti, nũc autẽ poſt edendo,& bibendo ſumit ex gaudio, & charitate fraterna,in recordationem amicæ illiur cęnæ, quam Chriſtus cum diſcipulis fecit ea nocte qua tradebatur,& dedit corpus ſuum diſcipulis.

Ibidem ſcribitur: *Oportet hæreſes eſſe*. Quo loco abutuntur,qui ex eo colligunt hæreticos non eſſe puniendos. Nam non ſequitur, oportet peccata eſſe quia ea fieri videmus: ergo peccatores non ſunt puniendi. Non eſt igitur putandum quod Deus hæreticos approbet aut mittat, quos tantùm permittit ad ſuorum probationem, vt hic docetur, & Deutero. 13. cap. Non vult etiam docere Apoſtolus quòd cogantur aliqui eſſe hæretici: nam nemo niſi volens amplexatur hæreſim relicta catholica Eccleſia, ſed admonet aliquos certò fore tales, quos Deus cuius pręſcientia non fallitur futuros eſſe pręuidit, & etiam eoſdem grauiter puniendos eſſe ſtatuit omni tempore.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Quotieſcunque manducabitis panẽ hunc & calicẽ bibetis, mortẽ Domini annunciabitis donec veniat.* Quo loco apertè abutũtur ad ſuã perniciẽ,qui ex eo colligũt in hoſtia ſacra eſſe tantũ panis,& uini ſubſtantiam,& non ipſum Chriſti corpus quod tamen volunt per fidem,& ſpiritualiter percipi, accipiendis illis figuris,& creaturis. Nã ſi ſola fide,& ſpiritualiter nõ aũt ſubſtantialiter, aut corporaliter percipitur corpus Chriſti, quid Chri-

ſtiani habebunt ultra Iudæos? At certum eſt vetus, & nouum teſtamenta diſtingui figuris, & veritate. Quomodo dicimur caro de carne Chriſti, & os de oſſibus eius, ſi ipſi re vera, & ſubſtantia corporali non communicamus? Quare Chriſtus poſt manducatum cum diſcipulis agnum paſchalem, ſuorum pedes lauit, ſi ſolam ſui corporis figuram, & non corpus ipſum daturus erat? Talem enim diſpoſitionem in manducaturis agnum, ſui corporis figuram, non requiſierat. Voluit igitur vinum nouum in vtres nouos fundi. Quomodo adimplebitur figura legis de manducatione mannæ, & agni, ſi re vera, & in ſubſtantia corporali non manducatur Chriſtus? Non eſt igitur putandum illic tantum eſſe panem, ſed verum Chriſti corpus, ſicut ipſe tam clarè docuit, dicens: Accipite, & manducate: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Non enim ſatis eſt fides (cuius virtute non eſt corpus Chriſti in ſacramento, ſed vi & efficacia omnipotentis verbi Dei) cum manducatione ſpirituali, per quendam illapſum ſpiritualem, ad habendam plenam iuſtificationem, & cum Chriſto plenam coniunctionem: ſed opus eſt reali manducatione proprij ipſius corporis, in quo eſt Dei, & hominum mediator. Fide autem ſemper opus eſt, qua verbo Dei innixi ſupra omnem ſenſum, & orationem, certò credimus in Euchariſtia contineri integrū Chriſtum. Hæc autem verba manducationis, ſunt & ſpiritus, quia per eam non manducamus corpus Chriſti corporali modo, quo etiam modo non eſt in ſacramento, ſed ſubſtantialiter ſub alia forma, & alterius ſubſtantiæ accidentibus. Corpus enim Chriſti quod illic manducamus, eſt quidem verum corpus, ſed ſpirituale. Quare non eſt corporis eſca, ſed animæ. Et ſi anima ipſo viuificata, viuificatur etiam corpus, quod anima informat, & viuificat. Hinc enim eſt quod Chriſtus promittit reſurrectionem corporis, iјs qui manducant carnem ſuam. Hoc ſi diligenter aduerteretur, non tot circa hoc ſacramentum offenderent, & errarent. Non enim manducamus corpus Chriſti vt videbatur à Iudæis, & vt crucifixum eſt: ſed immortale, inuiſibile, ſpirituale, & glorioſum: & ſi veram ipſius ſubſtantiam manducamus: Sic in pane granorum, & in vino vuarum ſubſtantiam, & ſi non ipſa grana nec ipſas vuas in ſua forma accipimus. Sic etiam multa ſubſtantialiter, & ſub aliena forma ſumimus: Quarum rerum qui artem, & modum ignorant, nunquam iudicarent ſe ea ſumere quæ ſumunt, ſicut hæretici fide carentes, & modum tanti myſterij aſſequi non valentis, non poſſunt ſibi perſuadere ſub ſpecie panis, verum Chriſti corpus ſumi. Verum ſi ſenſus deficit, ad firmandum

Digitized by Google

mandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit in electis Dei; qui innixi verbo, relictis ſenſibus, & ratione, intellectum captiuant in obſequium fidei, quam ſciunt eſſe argumentum non apparentium.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Vnuſquiſque ſuam cœnam præſumit ad manducandum*. Quo loco ignoranter planè abutuntur, qui ex eo colligunt Miſſas priuatas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, reprehendi à beato Apoſtolo. Nam clarum eſt ex ipſo textu Apoſtolum non loqui his verbis de manducatione corporis Chriſti, ſed de conuiuijs corporalibus. Hoc indicat cum ait quòd vnuſquiſque præſumit ſuam cœnam, quia ſcilicet manducatio corporis Chriſti eſt omnibus communis, & non aliquo pacto cuipiam propria. Hoc adhuc manifeſtius confirmatur, quum dicit Apoſtolus vnum ebrium eſſe, & alium eſurire: corpus ſiquidem Chriſti æquale ex ſeſe omnibus, & ſingulis, conuiuium proponitur; & ſi inæqualiter, eodē ſpiritualiter homines reficiuntur, propter inæqualem videlicet gratiam, & diſpoſitionem. Nihil ad propoſitum, & accommodatè dicūt, qui hunc locum ad Miſſarum priuatarum reprehenſionem detorquent: ſed interim ſic incautos ſeducunt, & ipſis illudunt. Forſan autem minus rectè priuatas Miſſas appellant, quum videlicet in omni Miſſa corpus Chriſti pro tota Eccleſia offeratur.

Rectè verò priuatæ communiones dici poſſunt quando videlicet aliqui particulares tantum communicant. Quod non eſſe reprehenſione dignum fatebuntur, qui cogitabunt Chriſtum ipſam priuatam communionem adminiſtraſſe, quando duobus diſcipulis euntibus in Emaus ſuum corpus communicauit. Hæc erat in vſu in primitiua Eccleſia, in qua ad ædes priuatas, in linteis deferebant corpus Chriſti homines Chriſtiani. Quid autem conqueruntur aliqui, quo ſolus Sacerdos ſanctificans communicet, quum videlicet nemini vnquam petenti, & probato, communionem corporis Chriſti denegarint Chriſtiani Sacerdotes? Si te male habet, quòd ſolus Sacerdos communicat, proba teipſum, iuxta Apoſtoli præceptum, & pete communionem, illa enim non tibi denegabitur. Stat ergo per te indiſpoſitum, quòd ſolus ſacerdos communicat; quare ergo conquereris? Si cares affectione, & appetitu cibi huius ſpirituali, & diuini, propter tuam indiſpoſitionem an idcirco probatus, & illius cibi appetens Sacerdos à communione ceſſabit, nec mortem Chriſti cum gratiarum actione ad ſalutem pro ſe, & pro tota Eccleſia, cuius eſt Sacerdos, & miniſter recolet? iniuſtè profectò atque impiè poſtulas, & agis, qui tam priuatas Miſſas quàm priuatas communiones, à

Digitized by Google

Chriſtianiſmo expellere tentas. Hoc etiam non omnino forſan nō tatu indignum cenſebitur, quòd priuatæ, & Miſſæ, & communiones non ſemper præſumuntur, ſed ſæpiùs poſtremæ fiunt. Quare ad priuatas Miſſas hic locus nulla ratione accommodari poteſt.

Prioris Corinthiorum 14. cap. ſcribitur in hunc modum. *Vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis: quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes.* Itē: *Si neſciero virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus: & qui loquitur mihi barbarus.* Item: *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt, Orabo ſpiritu, orabo, & mente.* Item: *Cæterùm ſi benedixeris ſpiritu: qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionē? quoniam quid dicas, neſcit.* Item: *malo in Eccleſia quinque verba ſenſu meo loqui, vt & alios inſtruam, quàm decem millia verborum in lingua.* Quibus locis vt etiam alijs, quæ eodem capite continentur, abutuntur, qui ex eo colligunt, in Eccleſia omnia prorſus eſſe facienda vernaculo ſermone, vt videlicet ab omnibus qui audiunt intelligi poſſint: ſicut etiam non eſſe in oratione ea dicenda, quæ non intelliguntur. Quantopere autem falluntur, & hallucinentur, facilè intelligent, & iudicabunt, qui diligentius literam Apoſtoli inſpexerint. Nam non reprehendit nec condemnat, vel orationem vel aliud quippiam in Eccleſia fieri in lingua, qui potius probat, & recipit talem agendi modum. Hæc enim ſunt eius verba: Qui loquitur lingua, Deo loquitur, & ſi non hominibus. Item: qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat. Item: volo vos omnes loqui linguis. Item: Si orem lingua, ſpiritus meus orat. Item: orabo ſpiritu, pſallam ſpiritu. Item: Si tu benedixeris ſpiritu, tu bene gratias agis. Item: ſi aliquis habet pſalmum, doctrinam, interpretationē, linguā, oīa ad ędificationē fiāt. Itē: Itaq; fratres, nolite prohibere loqui linguis. An non cædo, hæc omnia ſunt Apoſtoli verba? Quis nō videt igitur eos manifeſtiſſimè Apoſtolo aduerſari, qui damnant vel orationes, vel alia quę fiunt in lingua, id eſt ſermone nō ab oībus intellecto in Eccleſia? Tantum igitur abeſt, quod Apoſtolus) cuius ſcripta inſtabiles deprauant) damnet linguam, id eſt quòd ſit ſermone incognito in Eccleſia, vt illud ipſum recipiat, & commendet, & ſi præfert ſimpliciter, & abſolutè prophetiam ſiue interpretationem, propter Eccleſiæ ædificationem. Toto igitur hoc capite præfert prophetiam vel interpretationem ſoli linguæ, id eſt, quando eſt ſine interpretatione, quam eandem maximè commendat, vel etiam prefert cum prophetiam habet coniunctam: eo ſiquidem

pectant

ſpectant hæc eius verba, Orabo ſpiritu, orabo, & mente, pſallam ſpiritu; pſallam, & mente. Item quærite vt abundetis ad ædificationem Eccleſiæ. Item: volo vos omnes loqui linguis, magis autem prophetare. Item maior eſt qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat. Item: æmulemini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. Huius ergo apud Apoſtolum diſputationis, hæc eſt ſumma, quòd donum linguarum ſimpliciter, dono prophetiæ eſt minus, & ſi eodem iſpo dono prophetiæ cum interpretatione, maius eſt. Vnde profectò dilucidum fit in Eccleſia Catholica, germanum Apoſtoli ſenſum, intellectum, & obſeruatum fuiſſe, in qua coniunguntur lingua, & prophetia, id eſt, eius quod in lingua dictum eſt interpretatio. Nam vt vbi quædam ſunt propoſita in lingua, vel orando, vel cantando, vel aliud quippiam miniſtrando, tum à miniſtro ſubiungitur (aut debet ſubiungi Eccleſiæ inſtitutione, & præcepto) eorundem expoſitio per ſermonem, & prędicationem quę ſi ſemper à paſtoribus facta fuiſſet, eo tempore quo fieri debet, ſcilicet in medijs Chriſtianorum cultus Diuini myſterijs, nemo vnquam conqueſtus fuiſſet. At vę nobis, qiua abominatio deſolationis ſedit in loco ſancto. Sublato igitur abuſu, quem inuexit paſtorum ignorans negligentia, facilè omnes intelligent nos ſenſum Pauli tenere, & ſequi. Sunt, & alię multę iuſtęque rationes, propter quas linguam retinuit Eccleſia. Aliter enim quomodo conuenire poſſent Chriſtiani in ſuis cœtibus, & concilijs celebrandis? Eſſent profectò ſibi ipſi inuicem barbari. adde, quòd propter linguam, etiam maior reuerentia rebus ſacris adhibetur. Habenda namque fuit ratio rudis populi, qui ſibi familiaria ſemper contemnit. Ad hęc, oratio non ideo exauditur facilius quia intelligitur, ſed quia fit cum fide, ſpe, charitate, humilitate, reuerentia, & deuotione. Vide igitur hic fieri ſermonem potiſſimum de oratione, & de inſtructione populi varia: perpende etiam aliam fuiſſe Eccleſię faciem Pauli tempore, quàm fuerit poſtea. Quare Spiritus ſanctus pro varietate temporum variè in Eccleſia diſponit.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Prophetæ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent*. Item, *quod ſi quid alij reuelatum fuerit, prior taceat. Poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant, & omnes exhortentur*. Quibus locis abutuntur, qui ex illis colligũt populum habere poteſtatem dijudicandi dogmata. Item etiam non debere rationem haberi ordinationis Eccleſiæ, in verbi dei mi-

niſtris

niſtris, ſed paſſim quemlibet eſſe audiendum. alibi ſæpius teſtatur Apoſtolus, non omnes eſſe Apoſtolos, paſtores, & doctores: ſed ad ſuæ Eccleſiæ gubernationem, quoſdam Deum elegiſſe, & miſiſſe. Vtautem hic locus Apoſtoli intelligatur, puto habendam eſſe rationem temporis, quo ſcribebat talia, quo videlicet Deus ſpiritum ſuum miraculosè, variè, & copiosè in credentes mittebat ad confirmationem Euangelij recens plantati, quando nondum omnia fiebant tam certo ordine, quo poſtea fieri docuit Spiritus ſanctus, qui omnia ſapienter, & ſuauiter in Eccleſia, & docet, & diſponit pro ratione temporum. Hoc igitur loco monet Apoſtolus ordinem in Eccleſia ſeruandum, deuitata omni confuſione, etiam in reuelationibus, quæ ſingulis, & priuatis perſonis fiebant, in Eccleſia recitandis, & proponendis.

Prioris Corinthiorum 15. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt omnia eſſe tribuenda gratiæ, & nihil prorſus homini: Nam non hoc vult docere Apoſtolus, ſed bene gratiam Dei eſſe principium, & conſeruationem omnium bonorum noſtrorum. Nos autem ipſi gratiæ Dei cooperari debere, & poſſe cum ea bene agere, & operari affirmat Apoſtolus, cum ita ſubiungit: & gratia in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia dei mecum. Hic igitur adnota, bona opera electorum, & eorundem ſalutem, Dei gratiæ, & hominum cooperationi tribui debere.

EX POSTERIORI EPISTOLA BEATI Pauli ad Corinthios.

POſterioris Cor. 3. capite ſcribitur ad hunc modũ: *Nõ ſumus ſufficiẽtes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt.* Quo loco abutuntur, qui prætextu amplificandę gratiæ Dei, excellens ipſius opus in hominis creatione tollere, aut obſcurare nituntur, hinc malè colligentes, hominẽ nihil prorſus agere, aut etiam coagere poſſe cum ipſo Deo, ex quo ipſius ſufficientia eſt. Oportet igitur notare Paulum dicere, non nos nihil poſſe ſimpliciter, ſed quaſi ex nobis. Hoc autem dicit potiſſimum de conuerſione hominum ad fidem, vbi oportet Deum primum, & potiſſimum operari. Nam dicebat ita Chriſtus: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus, qui eſt in cœlis traxerit eum.

Ibidem ſcribitur ad hunc modũ. *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Quo loco abutuntur pernicioſe neſcio qui Libertini ventricolæ, qui ex eo, & ſimilibus, malè colligunt omnia Chriſtianis licere, nec eos vllo modo ad quælibet obſeruanda præcepta aſtringi. Nam quando Apoſtoli loquuntur de libertate Chriſtianorum, non intelligunt perditam iſtam gaſtrolatrarum libidinem, ſed libertatem ſpiritualem, quæ eſt in hoc, quòd iam non ſubijcimur peccato, niſi velimus. Sumus enim in lege gratiæ, & libertatis: audiendus eſt igitur Apoſtolus Galatis ita ſcribens: Videte fratres, ne libertatem Chriſti detis in occaſionem carnis.

Poſterioris Corin. 4. ſcribitur ad hunc modum: *Semper nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Quo loco abutuntur impudenter, qui ex eo colligunt fœlices eſſe hæreticos, quum propter ſuas hæreſes quas dicunt Dei eſſe verbum, puniuntur. Nam Apoſtolus hoc loco agit de ſe, & ſuis ſimilibus veris, ſcilicet legitimis, & à Deo miſſis

verbi

verbi Dei miniſtris, quos mundus odit, & perſequitur ſemper: quia veritas odium parit, vt amat, ſequitur, & amplexatur falſos prophetas, qui adulantur, & miſcent aquam vino veritatis conſuentes puuillos ſub omni cubito. Hinc eſt quòd cum iuſtè puniuntur hæretici, qui ſunt decepti vocant illos martyres, illorum martyria ſcribunt, & venerandos eoſdem poſteritati relinquunt: non minus quàm Eccleſia veros Dei martyres. Argumento ſunt illorum ſcripta, quibus eos valde commendant, vt etiam eorundem imagines, quas apud ſe ſeruant, & etiam ſecum deferunt memoriæ, & honoris ergò. Verùm hoc te non moueat, cùm admoneamur ſæpius non pœnam, aut patiendi voluntatem, ardorem, & conſtantiam, vel potius in ipſis apertam obſtinationem facere martyrem, ſed cauſam, quam non poſſunt bonam, & iuſtam habere, qui contra Dei Eccleſiam militant, à qua ſeſe ſegregarunt, quæ certiſſima eſt hæreticorũ nota. Sunt enim filij ſubſtractionis in perditionem, & non fidei in acquiſitionem animæ. Notandum etiam, quòd diabolus, qui Chriſti ſimiam agit, ſuos habet martyres, quos pro ſua impietate, & mendacio armat, & excitat in ſua factione, vt Chriſtus habet veros martyres, & veritatis conſtantes, promptoſque teſtes in ſua Catholica Eccleſia, quæ nunquam errat. Aduertendum igitur diligenter in religione, omnia ferè externa dubia, & incerta quorum iudicium ad Deum ſolum, qui ſpirituum ponderator eſt, certò referre debemus.

Poſterioris Cor. 5. cap. ſcribitur in hunc modum. *Omnia ex Deo, qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum.* Quo loco abutuntur, qui omnia ſemper ad Dei gratiam, & Chriſti meritum referentis, nihil vnquam agere volunt, detrectantes neceſſariam illam omni homini Chriſtiano, ad Chriſtum caput noſtrum, conformitatem. Nam cum ſcriptura effert Dei gratiam, & Chriſti meritum, non negat, imò ſemper requirit cooperationem noſtram. Hoc enim docet etiam hoc loco apertiſſimè Apoſtolus cum ita ait: Pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus per Chriſtum reconciliamini Deo. Item ſequenti capite cum ita ſubiungitur: adiuuantes autem exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c. Nihil igitur nobis proderunt Dei gratia, & Chriſti meritum, niſi ipſimet operemur, & ſanctè viuamus. Eſt enim miſericordia Dei à progenie in progenie timentibus eum; non autem ijs, qui ſecundum carnem viuunt, & abutuntur tam Dei gratia, quàm Chriſti merito, propter quem abuſum grauiſſimè punientur.

Vide

Digitized by Google

Vide 6. & 10. capite epiſtolæ ad Hebræos.

Poſterioris Corinth. 9. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Hilarem datorem diligit Deus.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt neminem eſſe cogendum ad vota ſeruanda, aut ad quippiam boni faciendum. Nam illic Apoſtolus ex inſtituto loquitur de prompta & alacri illa voluntate, qua debent Chriſtiani ſuccurrere fratrum, id eſt, Chriſtianorum miſerijs. Quod autem ſpectat ad vota, certum eſt ea eſſe voluntaria & non coacta. Nemo enim inuentus, eſt Catholicus, qui affirmarit aliquem eſſe cogendum, vt voueat, etſi cum ſcriptura omnes defendunt votorum perſolutionem eſſe neceſſariam, & ad eam eos, qui vouerunt liberè eſſe cogendos. Vt enim vouere eſt voluntatis & libertatis, ita reddere votum eſt neceſſitatis.

EX EPISTOLA BEATI PAVLI ad Galatas.

GALATARVM primo cap. ſcribitur ad hunc modum. *Sed licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Quo loco ignoranter & perniciosè abutuntur qui ex eo colligunt, nihil prorſus in religione Chriſtiana recipiendum eſſe & obſeruandum, præter id quod ſcriptũ eſt. Nã primùm quanto in errore verſentur, & quãta ignoratione ducantur quicunque ita colligunt, hinc fit dilucidum, quòd Apoſtolus hoc loco nõ loquitur de ſcriptura, ſed de ſtabilita religione Chriſtiana, quam Apoſtoli & prædicatione & traditionibus, ſeu ceremonijs, vt ſępe ſcriptura teſtatur ſtabilierunt: & fundarũt non ſiquidem ait, præter id quod ſcripſimus, ſed euangelizauimus. Ad hæc nõ id oẽ damnat quod poſtea eſt in religione chriſtiana adiectũ. Nã multa sũt ſcripturæ ſacrę volumina, quę sũt poſtea ſcripta, & in Eccleſia tãquã verè canonica sũt recepta: ſed admonet nihil omnino eſſe à populo ĩ

religio-

religione recipiendũ cõtra id quòd à ſuperioribus Eccleſiaſticis ipſi traditũ eſt. Ideo enim ſcripſerunt Apoſtoli & alij Chriſtiani paſtores, non quidem vt Eccleſiam & Chriſtianam religionem fundarent ſcriptis, quæ diu ſatis abſque vlla ſcriptura ſtabilita & plantata fuit, prædicatione & traditionibus, ſeu ceremonijs: ſed vt darent in ſcriptis ſuis regulam fidei & religionis, cui non quicquid adderetur, reijceretur, ſed omnia contraria tanquam impia & mendacijs plena reprobarentur. Non ergo eſt reijciendum quicquid non eſt expreſſum in ſcriptura ſacra, ſed id omne quod ſcripturæ ſacrę (quę eſt fidei regula certa) aduerſatur, damnandum eſt & reprobandum. Hoc vult Apoſtolus hoc loco. Vnde clarum fit, quàm apertè damnet omnes nouas doctrinas, quæ planè aduerſantur fidei & religioni Chriſtianæ omni tempore, vbique & ab omnibus receptæ. Hic igitur locus planè hęreticos, & eorum dogmata exotica damnat & euertit, non autem religionem Catholicam & ipſius conſuetam profeſſionem, etiam ſcriptura non expreſſam, ſed magis eam confirmat: quum videlicet nihil tùm Galatis ſcripto tradidiſſet.

Galat. 2. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt, tum Petrum non fuiſſe Apoſtolorum principem, tum etiam in Eccleſia Petri non perpetuam fore veritatem. Nam peccatum illud beati Petri (ſi quod peccatum fuit) fuit inconſiderationis humanæ, ſicut etiam Chriſti negatio, infirmitatis. Non negamus autem quin beatus Petrus & etiam reliqui eius ſucceſſores Chriſti, in Catholica eius Eccleſia vicarij, peccare aut errare in facto potuerint & poſſint: pernegamus verò ipſos cum Eccleſia per Spiritum ſanctum congregatos, in ijs, quæ ſunt fidei, aut morum, id eſt rerum ad ſalutem neceſſariarum decretis ferendis, erraſſe vnquam, aut errare poſſe. Nam ipſis ſemper aſſiſtit Spiritus ſanctus Eccleſiæ perpetuus director. Quod etiam Paulus beatum Petrum redarguit, hoc non impedit quin beatus Petrus ſuperior Paulo in iuriſdictione extiterit, cùm videlicet in ijs quæ ſunt facti proprij, poſſit ſuperior ab inferiori admoneri, & correptione fraterna reprehendi. Notandum autem diligenter beatum Paulum aſcendiſſe Ieroſolymam, vt cum alijs Apoſtolis conferret, ne videlicet (vt ipſe ait) in vanum curreret aut cucurriſſet. Animaduerſione etiam dignum eſt, quod ait his verbis: Cùm cognouiſſent gratiam quæ data eſt mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ,

nabæ, ſocietatis: vt nos in gentes, ipſi autem in circunciſionem: tantùm vt pauperum memores eſſemus admonendo. In ordinata igitur Chriſti Eccleſia confiteamur, & admittamus vnum omnium primum, qui habet in ea regenda plenitudinem poteſtatis, cùm ſit beati Petri ſucceſſor, in eius ſede collocatus Chriſti Ieſu vicarius exiſtens; per quem Chriſtus Dominus vniuerſam Eccleſiam dirigit. Cædo enim ſi non eſſet in Eccleſia militante caput aliquod miniſteriale, à quo omnes Chriſtiani pendeat & quod loco Dei in terris vniuerſi agnoſcant, & per quod reliqui paſtores inſtitutionem habeant, quomodo vnitas ſeruaretur, quum videlicet diuerſa haberemus capita nullibi in terris connexa? Eſt ergo Papa in lege euangelica ſicut in veteri Moyſes, a quo acceptus eſt ſpiritu Dei, vt daretur ſeptuaginta electis vt prophetarent in populo. Quare, quicunque Papam non agnoſcunt Chriſti vicarium, & ipſi non obediunt, ſunt extra Eccleſiam & gratiam Chriſti, quam per ſuum vicarium generale diſtribuit & communicat, habere non poſſunt: & ita nullam habent ſalutis ſuæ ſpem. Tales ſunt hæretici, qui nec purum Dei verbum, nec eius gratiam habere poſſunt. Fruſtra inflati ſenſu carnis ſuę ſuperbi: non tenentes caput ex quo totum corpus per nexus & iuncturas conſtructum creſcit in Domino. Vide Coloſ. 2. cap. & Epheſ. 4. Item vide Cyprianum lib. de ſimplicitate prelatorum.

Galat. 4. capite ſcribitur ad hunc modum: *Timeo vos, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos*: Quo loco impiè ſimul atque pernicioſe abutuntur, qui illum ignoranter contorquent aduerſus Eccleſiam Dei: feſta populo Dei præponentem ſeruanda. Nam clarum eſt in eo loco beatum Apoſtolum non loqui de feſtis Eccleſiæ & Chriſtianorum, ſed de ſolennitatibus & vanis obſeruationibus ſynagogę & Iudæorum aut etiam gentilium. Quod indicat præcedens ſententia quæ talis eſt: Nunc autem cum cognoueritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis? Nihil ergo facit contra Chriſtianorum feſta præſens locus. Cognitu autem haud quaquam indignum fuerit & inutile, ad intelligenda multorum doctorum hominum ſcripta, ſemper & apud omnes fuiſſe quandam dierum & temporum obſeruationem, verum aliam atque aliam. Aliter ſiquidem gentiles & pagani, aliter Iudæi, aliter hæretici, & aliter Chriſtiani dies atque tempora obſeruarunt. Gentiles enim atque Pagani idololatræ, & planè impij, ita dies obſeruabant, vt quoſdam bonos & quoſdam malos

malos eſſe ex ſeſe putarent vnde vocabant dies bonos & dies nefaſtos. Iudæi verò obſeruabant dies & tempora, propter figuram rerum ſpiritualium futurarum in lege euangelica, & propter temporalia beneficia à Deo accepta. Hæretici autem non longè Iudæis diſſimiles(nam clarè patebit diligentius conſiderantibus, hæreticos noſtri temporis Chriſtianiſmum in Iudaiſmum conuertere velle) dies obſeruant propter ordinem politię: nihil magis ipſis tribuentes, quàm cœtibus ciuilibus. Vnde magis obſeruare volunt dies à principibus indictos, quàm ab eccleſia: non quidem, quòd principibus ſeculi melius velint, ſed quia eos magis quam Deum & eius Eccleſiam timeant. Nam omnem poteſtatem Libertini & Atheiſtæ ſublatam vellent, vt ex voto prorſus viuerent. Chriſtiani autem, obſeruant dies feſtos propter accepta à Deo ſpiritualia beneficia, tenentes corpus ipſum, cuius Iudæi vmbram habebant in ſuis celebritatibus. Adhæc feſtorum dierum apud Chriſtianos obſeruatio, triplex potiſſimum bonum complectitur, ſcilicet gloriam Dei cum adoratione & gratiarum actionem Eccleſiæ multiplicem vtilitatem(nam hoc pacto docetur, iuuatur & multum in fide, ſpe, & charitate confirmatur) atque ſanctorum virorum honorem & commẽdationem. Vbi aduertendum, quòd in ſanctorum feſtiuitatibus, quæ ſunt illorum dierum, quibus in gloria recepti ſunt, concipimus ſpem maiorẽ veri & æterni cũ Deo ſabbathi in cœlis, vbi ab omni opere ſeruili ſemper ceſſandũ erit. Quare illis diebus non ſolũ oĩa peccata ſed ẽt oĩa opera ſeruilia & terrena, ſunt vnicuique in ſua vocatione relinquenda: vt contemplationi, orationibus & Dei amori vehementius & omnino incumbamus. Hoc autem eſt habere corpus, cuius Iudæorum ſabbathum erat vmbra, Nam terrena & corporalia præcipuè intendebant & ſpectabant Iudæi, vt Chriſtiani ſpiritualia & æterna. Videtur autem tales feſtorum celebritates ad ſuam gloriam & virtutis commendationem prænunciaſſe Deus, cum pſalmos Eccleſiæ reuelauit, & quibus in feſtiuitatibus canerentur, docuit & diſpoſuit Dauid Propheta.

Galatarum quinto capite ſcribitur ad hunc modum: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis*. Quo loco ignoranter & perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt Chriſtianos non poſſe non peccare, etiam in bono opere. Nam ei qui diligentiuſcule Apoſtoli literam inſpicere voluerit, apparebit ſtatim omnino contrarium illis eſſe Apoſtolum, qui tantum abeſt, quòd

homi-

hominem Chriſtianum non poſſe non peccare affirmare velit, vt ibidem doceat eum peccare non debere, cum videlicet non ſit ſub lege, ſed ſub gratia. Quare obligatur ſub pœna damnationis æternæ ſanctè viuere, ſpiritu facta carnis mortificando. Hoc apertè docet Apoſtolus noſter Rom. 8. capite his verbis Chriſtianos alloquens: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hoc etiam loco ita ait: Dico autem in Chriſto, Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Poſſunt igitur Chriſtiani & debent uitare omne peccatum, & ſanctè viuere, quia adiuuantur gratia Dei, quam nec habebat nec conferebat lex Moyſis, quare in ea dominabatur peccatum, quod in lege euangelica per gratiam expellitur, & uincitur.

Ibidem ita ſcribitur: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Quo loco abutuntur ignoranter, qui ex eo colligunt hominem Chriſtianum in ea eſſe libertate, quæ omnis prorſus legis, & præcepti cuiuslibet iugum excutiat: quare nullam ſuperioribus obedientiam præſtant. Quantopere autem fallantur, indicat apertè ſcriptura, quæ paſſim docet Chriſtianorum libertatem non eſſe nullis eos teneri legibus, aut earum tranſgreſſionem ipſis non imputari, ſed poſſe non peccare. Idem namqua dicit hoc loco his uerbis: Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege: quòd ſcripſit Romanis hoc modo, non dominabitur in vobis peccatum, quoniam non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Sic enim induci debet hic textus: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis, caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: ut non quæcunque vultis illa faciatis: Tunc addit, quòd ſi Spiritu ducimini non eſtis ſub lege id eſt, iuſtificati per gratiam Dei, & meritum Chriſti, poteſtis reſiſtere peccato, & carnem debellare: quòd facere non poterant qui ſub lege, quæ neminem ad perfectum adduxit, degebant. Idem docet Apoſtolus Rom. 7. his verbis, vbi locutus eſt de pugna carnis, & ſpiritus: Infœlix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius? tum ſubiungit. gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Vide huius textus deductionem.

Galatarum 6. cap. ſcribitur ad hunc modũ: *Si quis ſe exiſtimat aliquid eſſe, cùm nihil ſit: ipſe ſe ſeducit.* Quẽ locũ perperã exponunt, qui ex ipſo effici volunt nullum eſſe meritum, nec gloriã vllam actionũ hominũ Chriſtianorum. Nam hoc loco Apoſtolus non vult docere opera bona Chriſtianorum carere laude, & mercede, qui ſtatim ſubiungit ita: Opus ſuum probet vnuſquiſque: & ſic in ſemetipſo tan-

Digitized by Google

tum gloriam habebit, & non in altero: Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit, ſed vult docere neminem quantumcunque perfectus ſit, debere inani gloria duci, ſed omnia Deo accepta ſemper referre, qui eos priuat bonorum operum merito, qui eorum ſibi ipſis tribuunt gloriam. Sic etiam debet intelligi illud Lucæ: Cum feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſumus: Item illud Pauli, Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis?

EX EPISTOLA APOSTOLI PAVLI ad Epheſios.

EPHES. capite 2. ſcribitur ad hunc modum: *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc (non ex vobis Dei enim domum eſt) non ex operibus, vt ne quis glorietur.* Quo loco pernicioſè abutuntur, qui ex eo colligunt opera nihil facere ad ſalutem atque etiam hominem nihil cooperari vt ſalutem conſequatur. Nam nec etiam fides in nobis eſſe poteſt, niſi credere velimus, alioqui enim fruſtra prædicaretur verbum Dei, & toties moueremur de fide ſuſcipienda, ſi nihil prorſus noſtrum eſſet. Scito igitur Apoſtolum hoc loco, nec noſtram cooperationem, nec bonorum operum meritum, & mercedem negare, ſed docere primam Chriſtianorum iuſtificationem, qua ex impijs efficimur pij, ſolius eſſe gratiæ Dei, qui nobis ſuo beneblacito ſolo, dedit filium ſuum Chriſtum redemptorem, & mediatorem noſtrum, cuius meritum nobis applicatur per fidem, & ſacramentum baptiſmi in quo mundamur, & iuſtificamur gratis, ipſique Chriſto incorporamur, efficimurque eius corporis membra, ea tamen conditione, vt poſtea iuſtitiam nobis gratuito collatam conſeruemus, & bonis operibus augeamus, & magis ac magis iuſtificemur. Hoc eſt quod hoc loco docet Apoſtolus cùm ita ait: Ipſius enim ſumus factura creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Ephe. 3.

Digitized by Google

Ephe. 3. cap. ſcribitur in hunc modum. *In Chriſto Ieſu habemus fiduciam,& acceſſum in confidētia,per fidem eius.* Quo loco perperam abutuntur, qui ex eo colligunt non eſſe orandos ſanctos, vt pro nobis apud Deum intercedant. Nam Chriſti meditatio vniuerſalis, non impedit ſanctorum tam in terra quàm in cœlo exiſtentium, intercesſionem, quin potiùs oportet eos apud Deum pro nobis intercedere, aliter enim, quomodo Chriſto conformes eſſent qui ſemper interpellat pro nobis ſedens ad dexteram patris? Orant ergo pro nobis ſancti cum Chriſto, cuius ſunt membra, & eundem ſequuntur quocunque ierit. In hoc autem nihil Chriſto derogatur: ſine quo nullam eſſe aliorum orationem, & interceſſionem liberè confitemur. Ideo enim poſſunt nos iuuare, quia Chriſti ſunt membra, & fideles ſerui: Tales ſiquidem ſolos exaudit Deus. Ad eos igitur confugimus, vt qui ſancti, & Deo grati ſunt apud eum, ſua iuſtitia, & charitate (merita, & præces vulgò dicimus) nos iuuent: qui peccatorum pondere preſſi. Deum offendimus: & ita ab eius gratia excidimus. Sic mutua charitatis coniunctio oſtenditur, & conſeruatur in tota Eccleſia, quum videlicet illos honoramus, & illi nos iuuant apud Chriſtum, apud quem nobis peccatoribus mediatoribus eſt opus.

Epheſiorum quinto capite ſcribitur in hunc modum: *Implemini Spiritu ſancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, &c.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt, reijciendos eſſe vocales Eccleſiæ cantus, qui videlicet dixit, in cordibus: ſicut etiam qui inde concludunt Diuinos illos Dauidis pſalmos ab omnibus, & vbique decantari debere. Nam primùm, decantare in cordibus Domino non impedit, quin voce quoque decantetur: imò vnum ſine altero vix perfectum cenſetur, & etiam edocemur hyſtorijs tam canonicis quàm alijs, Apoſtolos alta voce laudes Domino decantaſſe. Quòd autem ad pſalmos attinet, non ſequitur pſalmos cantare debemus, ergo Dauidicos. Nam ſunt alij multi, qui quia non tanta Diuinitate ſunt pleni, poſſunt communiter vſurpari, non autem Dauidici, quia à Deo per Dauidem ſunt traditi, & inſtituti, vt in loco ſacro, & ab ordinatis miniſtris, in orationibus publicis decantarentur, vt clarè teſtatur ſacra ſcriptura. Ad hæc, qui eos paſſim vſurpant ſectarij, illos deprauant, & in ipſis Deus blaſphemant impudicis cantiunculis eos immiſcendo, & in ſenſu alio, quàm intendit Spiritus ſanctus, accipiendo, cùm pro aliqua ſecta contra veram Eccleſiam eoſdem decantant, pro qua ſunt editi. Cedo etiam, ſi paſſim, & vbi-

que, etiam animi cauſa pſalmos decantes, quid magis Deo decantabis, & afferes, cùm ex eius ordinatione ad templum orationis ergò acceſſeris? Nam nemo negabit hic neſcio quid maius, & diuinius quàm illic conuenire, & requiri. Sed vereor, ne illic carnalem voluptatem quæramus, vbi ſpiritualis propoſita eſt letitia, diuinas laudes in humana, ne dicam carnalia ſolatia, impiè connectendo. Extrà Eccleſiam igitur, ſpirituales cantilenas animi cauſa decantemus: Dauidis autem pſalmos grauiſſimos orationibus publicis cum omni reuerentia, & humilitate referuemus, nunquam omnino interim voluptuarias, libidinoſas, & quoquo pacto carnales, atque impudicas cantiones proferendo. Hoc enim diſſolutorum infidelium, & non caſtorum Chriſtianorum eſt.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quo loco malitioſe abutuntur, qui negant inde effici, quòd matrimonium ſit ſacramentum, quia videlicet in textu græco eſt dictio idem ſignificans quod ſecretum. Nam, an non, & reliqua ſacramenta ſunt ſecreta, & myſteria? Sunt equidem, quia ſunt ſigna gratiæ inuiſibilis, quam continent, & conferunt. Matrimonium autem ſignum eſt indiuiduæ coniunctionis, quæ eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam: quare Apoſtolus ait illud eſſe magnum in Chriſto, & Eccleſia, id eſt in re ſignificata per matrimoniũ, quę eſt coniũctio Chriſto, & Eccleſia, quæ vt inſeparabilis eſt, ita ſeparari nunquã debet vir & vxor legitimè cõiugati, iuxta illud Euangelij, Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Malè igitur nonnulli hac tempeſtate eos ſeparant, non ſolum quo ad thorum, ſed etiam quod ad vinculum, vt vulgò dicitur, & à Theologis diſtinguitur. Mirum eſt ſanè quòd ſe iactant eſſe ſpirituales, qui tantum carni tribuunt libertatis.

Ephe. 6. cap. ita ſcribitur. *Aſſumite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, &c.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo concludunt, hæreticos non eſſe occidendos, aut corporaliter puniendos, ſed tantùm diſputatione deuincendos. Nam, & ſi priùs admonendi ſunt & verbo Dei, orationibus, omnique alia Chriſtianæ modeſtiæ, via tentandum eſt eos reducere, tamen ſi noluerint verbo Dei credere, & eidem ſeſe ſubmittere, ſunt pœnis corporalibus coercendi, vt cæteri timorem habeant, & vt etiam iniuria Deo per contemptum eius religionis facta vindicetur. Hoc ita fieri præcepit Deus, vt videre eſt Deuteronom. 13. & 17. ſæpiuſque alibi. Hoc etiam fecit

Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolus, qui hæreticos tradidit Satanæ corporaliter cruciandos vt ſcribitur prioris ad Timot. 1. cap. Doctrina igitur, & orationibus priùs tentent paſtores Eccleſiæ deuios hæreticos reducere, quos incorrigibiles, poſtea gladio materiali reſecent mundi principes. Sunt enim Dei vindices in iram,& obligantur fidem, atque religionem Chriſtianam à Prælatis Eccleſiæ traditam, ſeruare ipſi, & ne ab impijs, & ſuperbis violetur, pro ſua virili eandem tutari, & defendere.

EX EPISTOLA AD PHILIPENSES.

PHILIP. 2. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona ſua voluntate*. Quo loco perperam expoſito ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt nihil eſſe homini tribuendum, ſed Deum ita omnia in homine operari, ut ſit cauſa omnium, non tantùm bonorum, ſed etiam malorum. Nam, & ſi Deus operatur velle, & perficere in nobis, non tamen totaliter, & ſolus, ſed ipſi nos cooperamur: quare, & Dei cooperarios nos vocat Apoſtolus. Quia autem ſine Dei adiutorio bonum nec velle, nec operari poſſumus, idcirco ita ait Apoſtolus hoc loco: cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini: Deus eſt enim, qui operatur in vobis, & velle,& perficere. quaſi dicat Semper indigetis Dei auxilio, quare ſemper illum timete,& inuocate. Aduerte autem in legenda ſcriptura ſacra,bona opera, & ſalutem, Dei gratiæ, & nobis ſemper tribui, & ſi magis gratiæ Dei, quæ eſt præcipua, & prima eorundem cauſa.

Philip. 3.c.ita ſcribitur: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt: vnde etiam ſaluatorē expectamus, Dominū noſtrum Ieſum Chriſtū, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratū corpori claritatis ſuę, ſecundum operationem virtutis ſuæ*. Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt corpus Chriſti, ante iudiciū, non eſſe alibi quàm in cœlo, & etiā qui dicunt idem corpus Chriſti nō eſſe poſſe ſimul in multis locis, quia vi-

Digitized by Google

delicet corpora noſtra, quæ non erunt ſimul in multis locis, conformia erunt corpori Chriſti. Sed errant toto cœlo, nihil aliud aliquid maius cogitantes de corpore Chriſti, perſonaliter, & inſeparabiliter vnito Diuinitati, quàm de noſtris infirmis, & mortalibus. Longè autem aliud eſt cogitandum. Nam, & ſi corpus Chriſti non eſt vbique, quod ſolius eſt Diuinitatis, poteſt tamen eſſe multis in locis per priuilegium, propter dignitatem vnionis cum Diuinitate. Quare, & ſi manebit in cœlo viſibilis Chriſtus, vſque ad iudicium, tamen credendum eſt eundem etiam inuiſibilem eſſe realiter, & perſonaliter in hoſtia ſacra: vt per eius, ſub ſignis viſibilibus, & corruptioni obnoxijs, participationem Diuinitati, propter vitam habendam, coniugamur. Vtrumque enim teſtatur apertè ſcriptura ſacra. Illi igitur ſi credimus, cùm affirmat corpus Chriſti eſſe in cœlo; eidem quoque credamus affirmanti illud idem ipſum corpus Chriſti in hoſtia ſacra eſſe.

EX EPISTOLA BEATI PAVLI ad Coloſſenſes.

COLOSSENSIVM. 1. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Chriſtus eſt caput corporis Eccleſiæ.* Quo loco perperam intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt, nec Petrum, nec Papam eius ſucceſſorem debere dici caput Eccleſiæ. Nam cùm miniſteriale, & vicarium caput ad tempus, in Eccleſia Chriſti miniſtrum primum dicimus, nihil detrahimus Chriſto vero, & perpetuo eius capiti, ſed ſequendo Dei inſtitutionem, ipſum agnoſcimus in ſuo vicario, & miniſtro, ſicut regem agnoſcere conſueuimus in eo, qui eius vices gerit. Nota autem quòd ſummè bonus, & ſapiens Deus voluit ſemper ſua dona ſpiritualia in hac terra, hominibus corporatis, per miniſtros corporatos, & in rebus corporatis, & ſenſibilibus cōmunicari, idcircò enim, & ipſe corpus aſſumit. Cùm igitur in Eccleſia hac militante Deus, & redemptor noſter Chriſtus

ſtus

Digitized by Google

ſtus non miniſtret in perſona propria viſibilis, ea quę ſunt hominibus ad ſalutem neceſſaria, oportet illum habere vicarios, qui cum hominibus viſibiliter & familiariter verſentur. Illi autem cùm à Chriſto tanta authoritate ſint donati, vt de illis dixerit ipſe: Qui vos recipit, me recipit: qui vos audit, me audit. Item: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Item: Sicut miſit me pater uiuens, ita ego mitto vos. Item: Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quęcunque ſolueritis, ſoluta: quis dubitabit ab illis (tanquam à vicarijs Dei) pendere debere Chriſtianos, ipſiſque ab omnibus obedientiam prȩſtari debere? Adde quòd Chriſtus hinc diſcedens ter dixit beato Petro: Amas me? paſce agnos meos. Primùm aũt illũ conſtituiſſe in ſua Eccleſia miniſtrũ dominũ Chriſtũ, indicant hæc eius verba, amas me plus his? paſce oues meas. Item: Rogaui pro te Petre, vt non daficiat fides tua. Item: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ego ædificabo Eccleſiam meam. Si igitur caput Eccleſiæ militantis vicarius fuit beatus Petrus, quare non eius ſucceſſor? eædem namque ſubſunt cauſæ.

Coloſſenſium. 2. cap. ita ſcribitur: *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam: ſecundum traditionem hominum.* Quo loco non citra calumniam, & non ſine pernicioſa ignorantia abutuntur, qui ex eo colligunt omnia prorſus hominum præcepta eſſe contemnenda. Nam hoc loco Apoſtolus manifeſtè loquitur de naturalibus Philoſophorum rationibus, & humanis traditionibus, per quas homines reuocabãtur ne crederent Chriſtũ, qui fuerat crucifixus, Deũ eſſe, & in eo fundãdam eſſe omnibus hominibus ſalutis ſuæ ancorã. Hoc aũt eſſe Apoſtoli propoſitũ indicant ſequentia eius verba, quæ ſunt eiuſmodi: ſecundum elementa & non ſecundum Chriſtum. Quòd enim Apoſtolus non damnet humanas eas traditiones, quæ non ſeparant à Chriſto, ſed iuuant fidei eius profeſſionem, indicant ea, quæ de illis ſcripſit in poſteriori ad Theſſalonicenſes cap. 2. & 3. vt etiam ea, quæ de ipſis ſcripta ſunt Actuum Apoſtolicorum cap. 15. & 16. Caueat igitur ſibi verus Chriſtianus à ſuperſtitioſis & figuratitijs Iudæorum obſeruationibus, & à Philoſophorum rationibus naturalibus, quibus fidem Chriſti ſemper oppugnarunt animales homines: ſequatur autem & obſeruet puras traditiones, & verbo Dei conſentientes conſtitutiones, quas ſpirituales viri Eccleſiæ catholicæ paſtores poſuerant, & ſic Pauli prȩceptum adimplebit.

Ibidem ſcribitur in hunc modum, *Nemo vos iudicet in cibo, aut*

in potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti. Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt, nec ciborum delectum, nec dierum obſeruationem debere facere Chriſtianos. Nam hoc loco Apoſtolus tantùm reprehendit ſuperſtitiones Iudaicas, & vanas philoſophorum rationes, non autem puram religionis Chriſtianæ obſeruantiam, quæ eſt cùm non propter figuram, ſed propter ſpiritualem perfectionem, orationibus, uerbo Dei audiendo, & recipiendis ſacramentis certos dies deſtinamus; vt in illis ad Deum laudandum conueniamus. Scimus enim natura nullum eſſe ciborum, dierum, ac etiam locorum, propter conſcientiam, diſcrimen. In illis tamen rebus omnibus delectum facimus propter miſterium, non quidem Iudaicum, & philoſophicum, ſeu vanum, & ſuperſtitioſum, ſed Chriſtianum. Nam nos non latet exploſas eſſe Iudaicas figuras, & obſeruantias, vt etiam nos ſcire oportet in Chriſtianiſmo eſſe quoque ſuam, & puram profeſſionem externam, quam in Eccleſia per Spiritum ſanctum præſcriptam, omnes tenere, & obſeruare debent, ni peccare velint, & à Chriſto condemnari. Nam, & ſi Eccleſia iam non obſeruat feſta, Iudaico more, obſeruat tamen ſuo ſenſu, & fine, quæ perpetuo Spiritus ſancti regimine directa, & noua feſta præcipere, & antiqua commutare poteſt, vt fecit in mutatione ſabbati. Ipſa enim ſcripturam ſacram deducit in praxim, & germanè exponit, vt etiam quæ in ea non ſunt expreſſa, iure præcipit, explicans quomodo, & quandiu nos ſcriptura ſuis præceptis ligat. Eccleſiæ igitur authoritatem non hic deprimit, & percellit Apoſtolus, ſed Iudaiſmum cum Chriſtianiſmo coniungere volentes.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Si ergo mortui eſtis cum Chriſto ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam uiuentes in mundo decernitis? ne tetigeritis, neq; guſtaueritis, neque contrectaueritis, &c.* Quo loco perniciosè abutuntur, qui ventri patrocinātes, nullū prorſus admittunt ciborum delectum in Eccleſia Chriſti. Nam eſt maniſeſtiſſimum, quòd hoc loco Apoſtolus loquitur tantùm de abſtinentia ciborum Iudæis prohibitorum, quæ per mortem Chriſti exploſa eſt hominibus per ipſius paſſionem in libertatem uindicatis. Malè igitur, & ignoranter gaſtrolatræ hæretici, hæc & ſimilia exponunt, de abſtinentia certorum ciborum certis diebus à Chriſtianis facienda, quā propter iuſtiſſimas cauſas inſtituit, & præcipit Eccleſia, cui qui non obediunt Deū patrem, & Chriſtum ſaluatorem habere non poſſunt.

ſunt. Vt igitur exploſas Iudęorum inutiles obſeruationes fugere debent Chriſtiani, ita Eccleſiæ quælibet decreta quæ propter fidei conſeruationem & religionis puram profeſſionem ſunt inſtituta, cuſtodire tenentur, etiam ex conſcientia. Exotica igitur hic damnantur decreta & pręcepta vt erant Iudaica & vana tam Philoſophorum quàm hæreticorum inſtituta, non autem Eccleſiaſticæ traditiones & conſuetudines verbo Dei conſentientes, rectaque ratione nixæ. Hunc autem eſſe Apoſtoli germanum intellectum, indicant hæc illius verba: Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ & non tenens caput, ex quo totum corpus pernexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei. Qui ſunt autem illi qui talia inueniunt & exercent niſi hæretici, ſeditioſi, qui exierunt à nobis contemnentes Eccleſiæ ſuperiores, per quorum hierarchiam conſtitutionem totum militantis Eccleſiæ corpus conſtruitur & conſeruatur? Habet igitur Eccleſia decernendi poteſtatem, cuius decreta & traditiones quicunque contemnunt, non homines, ſed Deum ipſum ſpernunt, qui nunquam abeſt à ſua Eccleſia, eam perpetuò viuificans & dirigens vt anima corpus.

Coloſſenſium 3. cap. ita ſcribitur: *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei patris ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Quo loco abutuntur perniciosè, qui ex eo effici volunt corpus Chriſti non eſſe realiter & ſubſtantialiter in hoſtia ſacra. Nam hoc loco loquitur Apoſtolus de morum inſtitutione, ſcilicet de deponendo vetere homine cum actibus ſuis & de induendo nouo qui renouatur in agnitionem Dei, ſecundum imaginem eius qui creauit eum, non autem vllo pacto ſermo eſt hic inſtitutus de altaris ſacramento. Verum hic nota hæreticorum aſtutiam & calliditatem, in addendo aut etiam detrahendo ſcripturę ſacræ. Hæc enim ſcriptura affirmat quidem Chriſtum eſſe in cęlo, in Dei patris dextera ſedentem; quod & nos qui ſcripturam recipimus, & exoſculamur, credimus & prædicamus: At præter ſcripturam addunt hæretici, ita dicendo: Si eſt in cœlo, ergo non eſt in hoſtia ſacra, in terra. Hoc igitur additamentum hæreticum nos negamus, quia videlicet hoc non ait ſcriptura, ſed potiùs contrarium affirmat, clarè docendo eundem Chriſtum, qui eſt in cœlo viſibilis, eſſe inuiſibilem in hoſtia ſacra, vt iam ſepiùs protulimus & probauimus. Integram igitur ſcripturam ſacram ſine additione aut detractione vlla admittentes, Chriſtum totum in cœlo eſſe, & totum in

terra ſub ſignis ſacramentalibus, & ſi modus eſt longè varius & differens, credimus & confitemur. Si enim credimus ſcripturæ dicenti ita: Chriſtus eſt in dextra Dei in cœlis, quare non credemus eidem affirmanti, hoc eſt corpus meum? Caro mea vere eſt cibus? Qui manducat me, viuet propter me? Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? Qui manducat indignè, iudicium ſibi manducat, non dijudicans corpus Domini: & ita de ſimilibus locis, Chriſtum realiter & perſonaliter eſſe in ſacra hoſtia affirmantibus? Ex illis enim locis, certum & clarum eſt verum Chriſti corpus eſſe integrum in hoſtia ſacra, quemadmodum in cœlo. Quare ſi veri Chriſtiani ſumus, credemus verbo Dei contra quaſlibet Philoſophiæ rationes, quæ ſunt tollendæ, vbi fidei myſterium proponitur. Fides enim, beato Paulo teſte, eſt argumentum rerum non apparentium. Non poſſum igitur eos ſatis demirari, qui quia fidem amiſerunt, detorquent ſcripturam ſacram prauis & impijs expoſitionibus, ad ſuorum errorum comprobationem. Eos autem lubens rogarim quomodo realiter corporis Chriſti ſubſtantiam accipiunt, ſi verè & realiter præſens non eſt? Simul etiam vtrum Deus non poſſit ſubſtantiam nudare proprijs accidentibus, & vnum idemque corpus eodem tempore in pluribus locis proponere: Vtrum enim difficilius eſt vnum idemque corpus in pluribus locis eodem eſſe tempore, aut diuerſa corpora ſimul eſſe in eodem loco? Hoc autem verum fuit de corpore Chriſti, quando intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis: quando reſurrexit: vt etiam quando natus eſt de virgine matre. Ergo captiuemus intellectum noſtrum in obſequium fidei ſemper cogitando, quòd quæ ſunt impoſſibilia apud homines, ſunt poſſibilia Deo omnipotenti. In myſterio igitur corporis Chriſti, quod præter naturę ordinem formatum eſt, naturales rationes prætermittamus, quibus ſolis nituntur hęretici ſcripturis carentes.

Digitized by Google

EX PRIORI EPISTOLA B. PAVLI ad Theſſalonicenſes.

PRioris ad Theſſa. 2. cap. ſcribitur in hunc modum: *Memores facti eſtis fratres laboris noſtri,& fatigationis,nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus, prædicauimus vobis Euangelium Dei*. Quo loco malitiosè abutuntur, qui ex illo colligunt oportere omnes Eccleſiaſticos miniſtros, proprijs manibus laborando, victum ſibi comparare, nec vllas diuitias poſſidere eos oportere. Nam beatus Apoſtolus hoc non præcipit, ſed refert ſe operatum manibus proprijs, vt eos magis alliceret ad Euangelium, quibus prædicabat, non quia non deberent illi victui, & ſtatui neceſſaria vel etiam conuenientia omnia ſed vt in hoc gloriaretur, quòd ſine ſumptu illis Euangelium propoſuerat. Aliud autem eſt longè de Apoſtolis, & de nobis iudicium. Nam illi nec libris, nec librorum euolutione indigebant ad prædicandum, qui diuinitus per Spiritum edocebantur. Verum vt malum ipſum attingamus, & detegamus (ſpe correctionis, & non animo detractionis aut delationis) hinc fundi noſtri calamitas quod negligentia, ignorantia, diſſolutio, & abuſus Eccleſiaſticorum dederunt occaſionem auaris laicis, vt tentarent Eccleſiam quocunque modo iuſtis, & neceſſarijs diuitijs priuare: quod quàm ſit pernicioſum,ſentietur aliquando, ſed forſan. nimium ſerò. Quanta autem cum tum abundantia tum diligentia debeant Chriſtiani Eccleſiaſticis miniſtris ſubuenire, docet apoſtolus infra cap. 5. his verbis: Rogamus autem vos fratres vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monente vos; vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus eorum, & habere pacem cum eis.

Idem docet prioris ad Timoth. 5. capite his verbis: Qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur, &c. Item.

1.Cor.

1. Cor. 9. Et poſterioris Theſſ. 3. cap.

Prioris Theſſalonicenſium c. 4. ſcribitur ad hunc modum: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, &c.* Quo loco abutuntur ignoranter qui ex eo colligunt, vel mortuos non eſſe lugendos, vel de ipſis iuuandis orationibus, eleemoſinis oblatione corporis Chriſti, vel alijs conſuetis modis, nullam curam Chriſtianis ſubeſſe debere. Hac enim in perſuaſione quantum errent, facilè docet paſſim ſcriptura ſacra, cùm eos commendat, qui mortuos luxerunt cum honore ſepelierunt, & etiam pro ipſis Deum rogarunt, & eidem ſacrificium obtulerunt. Repręhendit igitur hoc loco Apoſtolus gentilem luctum, qui erat ſine ſpe reſurrectionis mortuorum, non autem pium, qui ex naturali pietate & animo Chriſtiano iuuandi eoſdem proficiſcitur. Hoc docent eius verba quę ſunt eiuſmodi: Nolite contriſtari ſicut gentes quæ ſpem non habent, &c.

Prioris ad Theſſalonicenſes. 5 ca. ſcribitur in hunc modum: *Sine intermiſſione orate.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt reijciendas eſſe illas orationes, quæ fiunt certis horis & certo numero. Nam refert ſcriptura ſemper ita obſeruatum fuiſſe, etiam in veteri lege, vt certis & præfixis horis certæ & determinatæ precationes fierent. Non ſiquidem indifferenter omnes pſalmi omnibus diebus, & horis citra diſcrimen cantabuntur, ſed vt conſtitutum erat: adde quòd Apoſtoli aſcendebant ad templum ad horam orationis nonam Act. 4. c. Et ſi igitur ſemper Deum orare nos oportet, nec ſic quidem quod debemus præſtare poſſumus, tamen ſine intermiſſione orare dicimur, cum omnia noſtra ad Dei gloriam referendo, eum orandi ſeruamus modum, qui nobis ab Eccleſia ſumma cum ſapientia & prudentia (nam tam diuinorum, quàm humanorum in ordinanda eccleſiaſtica politia & Chriſtiana profeſſione, videtur habita ratione à prudentiſſimis & optimis maioribus noſtris) eſt conſtitutus. Hunc autem ordinem & modum maximè tenentur obſeruare Eccleſiaſtici, qui ſunt mediatores inter Deum & populum, qui & ſi debent ſemper pro populo orare, tamen habita fuit imbecillitatis humanæ ratio cum breuiarium (quod eſt reductio continuarum & ſine intermiſſione faciendarum pro populo ad Deum orationum ad breue quoddam compendium) ipſis peragendum, ſub pœna grauis peccati propoſitum & præceptum fuit. Eccleſiaſtici enim tenentur orare pro populo, nec ſine peccato poſſunt horas canonicas omittere.

Ibidem

Ibidem ita ſcribitur: *Abſtinete ab omni ſpecie mala*. Quo loco ignoranter nimium abutuntur; qui ex eo colligunt multa quæ in Eccleſia fiunt in profeſſione fidei & religionis Chriſtianæ, eſſe abradenda & eijcienda, quia videlicet habent ſpeciem mali. Nam lubens ipſos rogarem, vnde & quomodo illa habeant ſpeciem mali? Nam à pijs & doctis, qui talia cum deuotione celebrarunt & frequentarunt fidei & religionis Chriſtianæ pia exercitia, numquam agnita & deprahenſa fuit in illis vlla ſpecies mali. Longè igitur tutius & melius eſt ſequi pios doctos, & à Deo probatos antiquos in fide & religione exercenda, quàm impuros, ignauos, violentos, & obſtinatos neſcio quos noſtræ tempeſtatis factioſos, qui nullum prorſus certum aut etiam probabile ſuæ perſuaſionis vanæ fundamentum, proferre valent. Quis enim niſi planè delirus, eos religionis & fidei reformatores, miniſtros & authores, recipere & ſequi velit, qui infideles, impij & apertè impuri cernuntur?

EX POSTERIORI EPISTOLA beati Pauli ad Theſſalonicenſes.

POſterioris Theſſalonicenſium. 2. ca. ſcribitur ad hunc modum: *Myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc teneat, donec de medie fiat*. Quo loco ignoranter & pernicioſè abutuntur, qui ex eo colligunt cathedram Romani pōtificis eſſe ſedem Antichriſti. Nam quomodo cathedram Romanam, in qua Pauli tempore ſedebat beatus Petrus Chriſti vicarius vocaſſet Apoſtolus ſedem Antichriſti? Senſu igitur longè alio imò planè contrario hæc Pauli verba ſunt accipienda: vt videlicet intelligatur de factione aduerſatura poteſtati Romani pontifici, cuius factionis caput Antichriſtus in fine mundi, cum omnia erunt corrupta, exurget & extollet ſe ſupra id omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus. In fine mundi enim ante iudicium generale, fiet diſceſſio, factioſis non agnoſcentibus vicarium Chriſti primum Eccleſiæ miniſtrum, quum etiam corrupti homines

pru-

prurientes auribus, coaceruabunt ſibi magiſtros qui placentia loquantur, quorum prædicationis ipſi erunt norma & regula. Ait autem Apoſtolus quòd filius perditionis iam ſuo tempore operabatur myſterium iniquitatis, quia vt Chriſtus habuit ſuos prophetas & pręcurſores, ita ſuos habuit, & adhuc habet antichriſtus, qui eius iniquitatis myſterium ſeu ſecretum operantur, homines in fide & moribus corrumpendo, vt tandẽ aperta corruptela & diſſolutione inualeſcente, reueletur homo peccati, filius perditionis: qui tantum abeſt quòd ſit pontifex Romanus Chriſti in Eccleſia militante vicarius, quòd non reuelabitur & regnabit ille iniquus, niſi eo expulſo & iugi Miſſæ Sacrificio ſublato. Hoc conſideratione mihi uidetur & attentione dignum: at quum neminem cogere poſſumus, exortamur & conſulimus, vt quiſque ſibi caueat, quia tempora ſunt mala, ſed peiora futura. Omnia namque peſſum ibunt ſedente in loco ſancto abominatione deſolationis.

EX PRIORI EPISTOLA BEATI Pauli ad Timotheum.

PRIORIS ad Timotheum capite primo ſcribitur ad hunc modum. *Iuſto lex non eſt poſita*. Quo loco ignoranter & perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt, omnia prorſus præcepta eſſe tollenda tempore legis Euangelicæ: quare rident & blaſphemant quæ à ſuperioribus Eccleſię conſtituuntur. Quanto autem in errore verſentur, docet paſſim ipſemet Apoſtolus, qui 1. Corinth. 9. cap. de ſeipſo ita locutus eſt: Factus ſum ijs, qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem (cum ſine lege Dei non eſſem: ſed in lege eſſem Chriſti) vt eos, qui ſine lege erant, lucrifacerem, Senſus igitur huius loci eſt, quòd iuſto non eſt lex poſita, id eſt lex Moyſis non eſt data propter eos, qui ſunt per Chriſtum iuſtificati ſed propter eos, qui timore pœnæ, & non virtutis amore, à peccato abſtinent: Chriſtiani autem habent etiam

ſuam legem, quæ eſt lex Chriſti & lex charitatis, quæ eſt finis præcepti, ſi proficiſcatur de corde puro, conſcientia bona & fide non ficta. Amore igitur & charitate bona, agunt Chriſtiani veri: timore autem Iudæi: Chriſtianos namque non coërcet lex et ſi eos dirigit.

Ibidem ita ſcribitur. *Soli Deo honor & gloria.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nulli alij, quàm Deo gloriam vllam dari oportere. Nam Apoſtolus illis verbis ad vnius Dei cultum nos reuocans, contra impiam gentium de pluralitate Deorum perſuaſionem, docet ſummam illam gloriam, quæ eſt propter Diuinitatis recognitionem, vni ſoli Deo tribuendam, non autem interim negat ſanctos ſua gloria dignos, qui Romanorum 2 ca. ita ſcripſit omni operanti bonum gloria & honor. Gloria igitur Dei, ſoli Deo tribuatur: gloria autem ſanctorum & ſtudioſorum hominum ipſis tribuenda eſt, ex Dei iuſta ordinatione: vbicunque enim appatet Dei virtus, perfectio & gratia, ibi agnoſci & coli debet.

Prioris ad Timoth. 2. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Vnus eſt Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Quo loco perperam intellecto abutuntur manifeſtè, qui ex eo effici volunt ſanctos, qui ſunt in cœlis beati, non intercedere pro nobis, nec eos à nobis orandos eſſe. Nam litera apertè docet Apoſtolum non loqui de intercesſione ideſt de oratione, ſed de redemptione, qua Chriſtus ſeſe medium poſuit inter Deum & peccata noſtra: ne videlicet ira dei in nos propter ſcelera noſtra deriuaretur. Talis eſt enim litera: Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus nobis. Solus igitur Chriſtus Ieſus & mediator Dei & hominum, ſine quo videlicet nulla creatura acceſſum habet ad Deum. Is autem verus & quidem ſolus eſt mediator Dei & hominum ſine quo videlicet nulla creatura acceſſum habet ad Deum. is autem uerus & quidem ſolus eſt mediator Dei & hominum, qui ſolus cum vtraque parte verè communicat, verus Deus ſcilicet, & verus homo: vnde factum eſt, quòd facilè omnia pacificauit in cœlis & in terris. Exaltatus igitur in cruce, medium parietem diſſoluit, inimicitias ferens in corpore ſuo in quo attritus eſt propter delicta noſtra in quo etiam nunc ſedens ad dexteram patris in cœlo (quæ vera ſunt ſancta in quæ per proprium ſanguinem intrauit) ſemper viuit, ad interpellandum pro nobis aduocatus & mediator noſter: vt etiam per illud idem corpus glorioſum & ſpirituale, quale reſurrexit, ſub ſpeciebus corruptibilibus in Sacramento acceptum & manducatum ſecundum ipſius præceptum & inſtitutionem, coniungimur Diuinitati, vt ab

Digitized by Google

ea vitam habeamus noſtro primo ſubſiſtentiæ & vitæ principio coniuncti: ſicut Ioan. 6. cap. idem ipſe docuit his verbis: Sicut miſit me viuens pater & ego viuo propter patrem; ita qui manducat me, ipſe viuet propter me. Non eſt igitur nobis ordinatum medium quo ad Deum accedamus, niſi per Chriſtum, qui id circo ſolus Dei & hominum eſſe mediator dicitur. Hunc igitur locum de oratione intelligere & exponere, longè eſt ab Apoſtoli ſcopo aberrare: res enim multo grauior agitur. Hæc conſiderabit, qui volet. Sed hoc me excarnificat, quòd bona ex parte tacentibus tam paſtoribus quàm doctoribus. neſcio qui humanarum tantum ſcientiarum periti, vel etiam earundem ſepiſſimè ignari, ſcripturam ſacram meſſem alienam, cum ſuo & aliorum periculo demetere, vel verius obſcurare & confunde e non verentur. Tantum enim abeſt, quòd Apoſtolus velit docere, ſolum Chriſtum pro nobis orare, aut orandum eſſe, vt planè contrarium intendat. Hoc eſt namque Apoſtoli propoſitum, omnes fideles exhortari vt Deum pro inuicem orent: quod vt perſuadeat, proponit Chriſtum in exemplum cuius tanta fuit charitas, vt non tantum orarit, ſed etiam mortuus ſit pro omnibus. Textus eſt eiuſmodi: Obſecro orationes fieri, &c. cum ſubdit tanquam rationem ſubijciens. hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, quare concludit ita: Volo ergo viros orare in omni loco, &c. Vnus ergo Chriſtus eſt mediator generalis quem oportet omnes adire, vt ipſorum orationes exaudiantur apud Deum, quem etiam electos imitari oportet: vt ex charitate viuant ipſi conformes, id autem maximè poſſunt & debent præſtare, qui degunt in cœlis beati.

6 Ibidem ita ſcribitur: *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione*. Quo loco malè intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt templa non debere tam ſumptuoſè ædificari, ſed pecunias quæ ita inſumuntur, pauperibus erogandas eſſe: Nam hoc loco non eſt ſcopus Apoſtoli de templis faciendis aut non faciendis agere, ſed docere omnes homines cuiuſcunque conditionis, nationis & ſexus ſint, tam acceſſum habere ad Deum, & ab eo exaudiri per mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum, modo in ipſum credentes ſanctè viuant, eius mandata adimplendo & ſpiritu facta carnis mortificando. Hæc enim ſunt intelligenda per puras manus, quæ eleuantur ſine ira, & diſceptatione.

Digitized by Google

Sententia autem hæc, in omni loco hic forſan quadam ſcripturæ phraſi poteſt aut etiam debet ita intelligi, id eſt non tantum apud Iudæam in templo Salomonis, vt fiebat ante aduentum Chriſti, ſed etiam apud Gentiles qui poſſunt vbi voluerint templa & oratoria conſtituere, in quibus à Deo per Chriſtum, in cuius nomine petunt, exaudientur, modo debitas orationis circunſtantias obſeruent. Hic .n. locus nó videtur mihi lógè diſſimilis ei qui ſcribitur Ioan. 4. cap. his verbis. Venit hora quando neque in monte hoc, neque Ieroſolimis adorabitis patrem: Vos adoratis, quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt: Sed venit hora, & nunc eſt quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate; Nam & pater tales quærit, qui illum adorent. Hac etiam phraſi dictum eſt à Malachia Propheta: Ecce offertur & ſacrificatur nomini meo oblatio munda, in omni loco in gentibus. Templa igitur non repræhendit Paulus, qui Corinthios increpauit, eo quod illa polluebant ſuis comeſſationibus, qui etiam templa frequentabat, vt & omnes primitiuæ Eccleſiæ ſancti, & docti Chriſtiani: ſed docet iam omnis conditionis homines, poſſe Deum orare per Chriſtum in omni loco, modo cum puritate orent. Falluntur igitur hæretici, affirmantes templi materialis (quod vulgò dicitur Eccleſia) ſanctitatem, & dedicationem tantum Iudæi profuiſſe, vt facilius exaudirentur. Nam locorum ſanctitas & dedicatio non eſt quid ceremoniale veteris legis quam longè præceſſit, ſed eſt vtilis ad Deum exorandum, qui omnia ſancta in noſtra profeſſione cum ſemper requiſiuit, tum maximè in lege Euangelica, in qua templum purgauit eijciendo uendentes & ementes, nec permiſit vas aquæ per illud deferri; non autem illud deſtruxit, ſed docuit purificari debere, quia videlicet eſt domus Dei & domus orationis. Quis autem non miretur atque deteſtetur hanc blaſphemiam & inſanam ignorationẽ, qua aliqui audent dicere locum ſanctum & conſecratum decuiſſe cultum Dei in lege Moſaica, non autem myſteria & profeſſionem fidei, & religionis Chriſtianæ in lege Euangelica longè excellentiori, & in qua Deus electis eſt lóge propinquior, & coniunctior? hoc ſanè dicere eſt antichriſtianiſmum inuehere, & Chriſtianiſmi decorem ſummum tollere. Ipſum autem locum templi Deo dicati ea quæ in ipſo ſunt, & fiunt ſanctificare, docet Chriſtus dominus Matt. 23. quum templum ſanctificare aurum, quod in ipſo eſt affirmat. Notandum autem diligenter eum admonere pretioſas, delicatas & quouis pacto diſſo-

latas mulierum veſtes, multum obeſſe arationis puritati, & impedire ne à deo exaudiatur. Non ſine cauſa enim alibi præcipit, vt in Eccleſijs orantes mulieres velentur. Væ igitur noſtro ſeculo, propter mulierum in veſtimentis intolerabilem, & perditum luxum. Væ propter mulierum inauditam, & inſatiabilem concupiſcentiam. Væ ter quaterque. Væ noſtro ſeculo propter diſſolutarum, & inuerecundarum mulierum effrenatam, & indomitam libidinem. Sed hoc effœminatis, vecordibus, ſtolidis, & libidinoſis maritis vxores non corrigentibus, ſed etiamnum illarum ſuperbo faſtui, perdito luxui, & penitus effreni laſciuię miſerrimè inſeruientibus imputari debet. Quis enim diſſimulare poſſit infinitos propemodum damnari, & omnia ferè propter mulierum diſſolutarum effrenem luxum atque libidinem inter homines confundi? neſcio ſanè vtrum, ardente canicula plureis ſol eleuet atomos, quam mulieres diſſolutæ, atque libidinoſæ in ſui pernicioſam concupiſcentiam animas inſtabiles ſuis luxurioſis veſtimentis, inceſſu, oculorum nutibus, colloquiis, geſtibus, atque reliquis ſuis muliebribus, & voluptuarijs illecebris, cum aperta ipſarum damnatione, pelliciunt. Si ſanè vnquam fuit difficile, nunc profectò eſt difficillimum mulieres ſaluari (hoc notabunt qui volent) quando videlicet ſibi placent, & gloriantur (eo cæcitatis, & miſeriarum infœlices deuenerunt) ſi plureis ipſas concupiſcant, & depereant: nihil interim facientes aliena peccata (quorum pœnas certò luent, cum ipſorum cauſa extiterint) nec earum animarum perditionem curantes, pro quibus Chriſtus dominus ſanguinem fudit, & mortuus eſt. Manet ſiquidem in æternum Domini verbum, quo docemur eum iam mœchatum eſſe cum muliere in corde ſuo, qui eã ad concupiſcendum viderit. Profectò ſtultæ matres omni via filias, mundana, & laſciua edocentes, non effugiẽt ſeuerum Dei iudicium: ſicut nec ſtolidi, & uoluptuarij mariti, qui propriarum (ſi tamen propriarum) coniugum magis libidine ineſcati, quàm probitate, honeſtate, modeſtia, & caſtitate ducti, lepidas, nitidulas, ſplendidas, pulchras, & ornatas illas mallunt habere cõmunes, quàm verè Chriſtianas, pudicas, & omni ex parte modeſtas, proprias. Verùm, quid facias, ſi miſerrima propriarum vxorum mancipia, id quod ſunt infœliciſſimè eſſe volunt? O dedecus? proh pudor? at hactenus: nolo enim plura: nimium ſiquidem eſt ſanè, quòd de hac fœditate paſſim prædicatur, & intelligitur. adnotemus autem, & alta mente repoſitum maneat, non ſine cauſa Spiritum ſanctum per Apoſtolos mulieribus in Eccleſia os occluſiſſe, eas velari, & tegi voluiſſe: atque auro, margaritis,

garitis,tortis crinibus,veſte precioſa,& quolibet alio mundano cul tu ornari prohibuiſſe. Sic enim admonere voluit quàm exitioſæ ſint vniuerſo humano generi,niſi omni ratione,& uia cohibeantur,& cõ tineantur, ad malum pronißimè, & natura infirmißimæ mulieres, quarum diſſoluta,& libidinoſa illicia,qui in tegere deuitarit,gloriari meritò poterit ſe altiorem perfectionis gradum conſecutum, & bonam humanæ fœlicitatis partem adeptum. Probæ autem honeſtę, pudicæ, modeſtæ, & veræ Chriſtianæ,humiles, & deuotæ mulieres eo ſunt laudabiliores,& maiore in honore, & pretio ab omnibus habendæ,quo ſunt rariores,& Deo boniſque omnibus, propter excellentem virtutem,gratiores;muliere namque verè bona,proba,& pudica, quid melius? ſicut etiam ſtulta, & nequam quid diſſolutius, & nequius inueniri,aut etiam excogitari poteſt?

Prioris ad Timoth. 3. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum*. Quo loco perperam intellecto perniciosè abutuntur, ſeditioſi, & carnales, qui ex eo effici volunt oportere Eccleſiaſticum miniſtrum,& Sacerdotem vxorem habere, producentes ignoranter nimium pro defendenda ſua carnali voluptate,hunc textum,quem Apoſtolus ſcripſit contra carnis laſciuiam vt videlicet doceret quanta caſtitas,& corporis puritas neceſſaria eſt in Eccleſiæ miniſtro. Nam tantum abeſt, quòd Apoſtolus præcipiat omnes Eccleſiaſticos habere uxores,vt etiam doceat non eſſe admittendum aliquem ad Eccleſiaſticum miniſterium,qui plureis habuerit vxores. Hæc enim deſignat,& præſcribit particula *vnius*, non ita accipienda quaſi oporteat omnem Epiſcopum habere vnam vxorẽ; ſed quòd ſi non inueniatur idoneus miniſter Eccleſię, qui perperam caſtitatem ſeruarit,is eligatur, uel qui coniugatus fuerit, uel etiam adhuc ſit, qui non plures,ſed tantum vnam habuerit uxorem: quia videlicet repetitum coniugium,incontinentiæ, id eſt difficilis obſeruatu,in eo caſtitatis eſt argumentum: caſtitas autem miniſtrum Eccleſiaſticum decet. Quod autem nolit præcipere,aut ſuadere Apoſtolus,quòd omnes Eccleſiaſtici habeant uxores, inde patet,quòd ipſe uxorem non habuit,nec etiam Timotheus, quem Epiſcopum ordinauit: & cui hæc ſcribit. Cædo ò diſſolute, non Euangelij, ſed ventris, & libidinis miniſter, qui omnes Sacerdotes ad matrimonium adigis tua ſatanica doctrina, An Chriſtus uxorem habuit? an Ioannes Baptiſta? an Ioannes Euangeliſta? an denique præcipui quique Eccleſiæ miniſtri? non ſanè,an autem nos matrimonium damnamus? abſit, ſed quod eſt melius, & conuenientius in miniſtro Ec-

cleſiæ, ſcilicet perpetuam caſtitatem, docemus cum Apoſtolo, hæc autem tam eſt neceſſaria in miniſtris Eccleſiæ, vt etiam in ueteri lege (in qua, quia populus Dei per carnem propagabatur, omnes Iudæi vxores ducebant) Sacerdotes ſepararentur ab vxoribus, & domibus ſuis, eo tempore, quo fungebantur Sacerdotum officio. Matrimonium igitur laudamus, & probamus, ſed Sacerdotem vxore carere longè eſſe melius, & inconuenientius affirmare nequaquam dubitamus. Sacerdotium, & matrimonium legitimè ſimul eſſe concedimus, ſed vtriuſque uſum, & officium, eodem tempore honeſtè, & conuenienter concurrere poſſe, planè diffitemur. Adhæc etiam, in Orientali Eccleſia, quæ non noſtro more Sacerdotum cœlibatum admiſit, vxoratos quidem in Sacerdotes ordinari comperimus, ſed non Sacerdotes vxores ducere. At mirum eſt tam effrenem eſſe noſtri ſeculi libidinem, vt Sacerdotes quærant illud onus ſibi tam occupatis, ſi officioſi eſſe volunt, imponi quo exonerari antiqui cupierunt, vt Deo liberius ſeruirent. Nam & ſi matrimonium legitimè, & non propter carnis libidinem contractum, bonum & ſanctum eſt; tamen multum impedimenti affert, ne aliquis liberè & expedite Deo ſeruiat, ut planè docet Apoſtolus. 1. Corinth. 7. cap. Sed mirum non eſt ſi incontinentes ſunt multi ex noſtris Sacerdotibus, cum ſcilicet ocioſi totos dies uacent ſomno, iocis, uentri indulgentes & omni uoluptatum genere defluentes & delibuti. Si autem quæ ſunt ſuæ vocationis ad Dei gloriam, Eccleſiæ ædificationem, & ad ſuam ſalutem diligenter exequi vellent, orando, ſtudendo, exhortando, & nouiſſima ſæpius meditando, ſpiritus Dei omnem carnis pruritum in ipſis facilè refrigeraret. Hoc enim Dei adiuuamen neceſſarium eſt, cum niſi dederit ipſe, continens nemo eſſe poſſit. Sed tantum abeſt quo adhæc remedia confugiant multi, vt etiam omni ratione carnem propriam, ad laſciuiam prouocent, & irritent. Talis autem diſſolutio & carnis laſciuia, ni tollatur ab Eccleſiæ miniſtris, nunquam pacata, tranquillaque omnia habebimus. Eam autem non matrimonium tollet, quod in multis magis excitat. Nam quot adulteris repleta eſt terra? in qua quàm pauca, caſta, integraque matrimonia inuenias? mariti enim proprijs vxoribus, libidinis ergo pro meretricibus abutuntur, & in proximorum coniuges hinniunt, quæ etiam extra omnem modum & morem etiamnum gentilem, voluptuariæ ad omnem ſagittam pharetram ſuam aperiunt, carnis, non autem Spiritus curam gerentes, ſed timor Dei, & metus damnationis æter-

næ.

næ. Nam non carnis vſu uoluptario, ſed Spiritu Dei caro laſciuiens optimè domatur.

Prioris ad Timoth. cap. 4. ſcribitur ad hunc modum: *Spiritus autem manifeſtè dicit; quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidã à fide, attendentes ſpiritus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, probibentium nubere, & abſtinere à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbũ Dei, & orationem.* Quo loco nulla ratione ad mentem beati Pauli accepto, & intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt nos Catholicos, qui ciborum delectum ſeruamus, & obſeruandum omnibus Chriſtianis ſub pœna peccati mortalis docemus: qui etiam non concedimus matrimonium ijs qui caſtitatem perpetuam vouerunt, ſcilicet religioſis, tam viris quàm mulieribus, & Sacerdotibus, eos eſſe de quibus hic agit Apoſtolus, & quos damnat, & uitandos docet. Nã diligentius locum inſpicientibus, manifeſtum erit Paulum hoc loco eos perſtingere, qui damnant ſimpliciter tam matrimonium quàm cibos, quos etiam ait à fide diſceſſiſſe quorum neutrum meritò nobis affingi poteſt: Nam primum, à fide nulla in re diſceſcimus, ſed eandem prorſus tenemus, & obſeruamus quam tenuiſſe, tradidiſſe, & ſeruaſſe primitiuæ Eccleſiæ patres omnes hiſtorię tam ſacræ quàm prophenæ, teſtantur. Eorum namque, qui vixerunt per ſingula ſecula, conſcripti libri aperta ſunt noſtri propoſiti teſtimonia. Non igitur ſumus filij ſubſtractionis in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ, nos qui non attendimus ſpiritibus erroris aut doctrinis dęmoniorum, non etiam in hypocriſi loquimur, nec cauteriatam habemus conſcientiam. Non itidem prohibemus nubere, nec prohibemus uſum ciborum quos Deus creauit, ſed volumus eos percipi cum gratiarum actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt veritatem; non autem pati paſſumus eoſdem per ventris voracitatem, citra gratiarum actionem, contra Eccleſia præceptum accipi. Quæro enim ſi damnamus matrimoniũ qui quotidie illud celebramus, & prędicamus? aut ſi etiã cibos damnamus, quibus ſingulis diebus cũ Eccleſia aliter non inſtituit, utimur? Si autẽ reprehenſione digni ſumus, quia ſacerdotibus, & omnibus voto caſtitatis perpetuo per Dei gratiam ſeruandæ aſtrictis, matrimonio interdicimus, in eadem reprehenſione nobiſcum inuoluetur Apoſtolus, qui

prohibet ne viduæ culti diuino dicatæ, nubant: hæc enim eius ſunt verba capite ſequenti propoſita ad hunc modum. Adoleſcentiores viduas deuita, cum enim luxuriatę fuerint in Chriſto, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Videatur etiam. 1. Cor. 7. cap. quomodo; præfert caſtitatem perpetuam matrimonio, etiam caſtiſſimo. Si etiam culpamur, quia iuſtis de cauſis delectum ciborum ad certum tempus pręſcribimus, & ſeruamus, culpentur quoque nobiſcum Apoſtoli, qui etiam naſcente Eccleſia, quando erat omni ratione lex exijcienda cum ſuis ceremonijs, & figuris, præſcripſerunt nihilominus Chriſtianis, tum maximè ſobrijs & abſtinentibus, non tantum ex Iudæis ſed etiam ex gentibus (ad quos nihil ſpectabat lex) ad fidem conuerſis certum ciborum, delectum, vt docemur ex eo quod Act. 15. cap. ſcriptum eſt his verbis: Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum ſanguine ſuffocato, & fornicationem: à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Non igitur damnamus nuptias, aut cibos vllos, ſed volumus vtraque cum gratiarum actione ſumi, id eſt nulla ratione contra Dei & Eccleſiæ ordinationem, præceptum, & inſtitutionem agitari, & percipi. Quare illi non ſumus, contra quos hæc ſcripſit, & præmonuit Apoſtolus (Sic enim eadem ſententia nobiſcum inuoluerentur Apoſtoli) ſed fuerunt Manichæi, Eucratitæ, Priſcillianiſtæ, & al.j plurimi hæretici, qui ſimpliciter nuptias, & cibos aliquos damnarunt, tanquam res illæ malæ ex ſe eſſent, & omnibus prohibitæ, quia malæ, non autem malæ, quia prohibitæ, & quidē eo fine, & ſenſu quo ſunt prohibitæ. Hoc autem ſciendum eſt, quòd Deus omni tempore, & lege aliquem ciborum delectum hominibus præſcripſit, vt uidelicet ipſi in eò obedirent Deo, ad quod natura ſunt valdè proclines, & propenſi. Sic etiam prohibuit uagum, & indiſtinctum coitum, & ſi in eo nulli aliqua iniuria infertur. Vult enim Deus omnium creator, & Dominus, hominem quem ad ſui imaginē fecit, honeſtè, & diſcretè viuere, atque ſibi in illis rebus, in quas maximè naturali deſiderio, & cupiditate fertur, obedire. Tales autem ſunt maximè uoluptates, guſtus, & tactus in eſu, & coitu. Deo igitur, & non ventri ſeruiamus, quia ventrem, & eſcas deſtruet. Hic autem aduerte quòd nouiſſima tempora dicuntur tempora Euangelij, ad differentiam legum naturæ, & Moyſis, poſt quas ſucceſſit lex Euangelica, quæ dicitur nouiſſimum tempus: quia poſt illam nulla alia eſt expectanda lex. Hoc ſenſu ſcriptum eſt illud: Filioli, nouiſſima

uiſſima

uiſſima hora eſt. 1. Ioann. 2. vt etiam illud Eſa. 2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. Notato etiam, quòd tempore Pauli quidam nuptias damnabant, vt conſtat ex eiuſdem priori Epiſtola ad Corinthios.

Ibidem ſcribitur in hunc modum. *Corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt ieiunia, & cultum religionis externum, nullius eſſe vtilitatis. Nam non dicit Apoſtolus corporalem exercitationem nullius eſſe vtilitatis, ſed modicæ: quod etiam intelligendum eſt ſine pietate. Nam certum eſt corporalem exercitationem quæ à pietate proficiſcitur, eſſe valde vtilem. Quantæ etiam ſint vtilitatis ieiunia, paſſim teſtatur ſcriptura ſacra, quum refert antiquos vix aliquid magnum auſpicatos eſſe, niſi præcedente ieiunio. Ad hæc non ſolius corporis exercitatio eſt ieiunium, ſed etiam animi. Non igitur damnat ieiunium, aut externas Chriſtianas ceremonias profeſſionis fidei Chriſtianæ, ſed ineptas, & aniles fabulas quaſdam Iudæis ſuperſtitioſis familiares. Admonemur etiam primam curam pietatis eſſe debere ad quam omnia ſunt referenda in Chriſtianiſmo, cuius duo hæc ſunt potiſſima capita, ſcilicet amor Dei, & amor proximi.

Prioris ad Timotheum 5. cap. in hæc verba ſcribit Apoſtolus: *Volo ergo viduas iuniores nubere, & matresfamilias eſſe filios procreare, &c.* Quo loco ignoranter, & perniciosè abutuntur qui ex eo colligunt beatum Apoſtolum viduis iunioribus ita matrimonium præcipere, vt peccent ſi non nubant. Non vident enim ſe hoc pacto contrarium ſibiipſi efficere Paulum, qui prioris Corinthiorum 7. cap. ita ſcriptum reliquit: Dico autem non nuptis, & uiduis, bonum eſt ſi ſic permanſerint, ſicut, & ego. Non præcipit igitur Apoſtolus iunioribus uiduis matrimonium, ſed propter uitanda ſcandala, & pericula non vult eas facile voto caſtitatis aſtringi, ſed in eo ſtatu permanere, in quo ſit ipſis liberum ſi non poſſint continere, citra peccatum nubere. Hoc eſt quod primæ Corinthiorum 7. cap. docet his verbis: quòd ſi non ſe continet, nubant: melius eſt enim nubere quàm vri.

Prioris ad Timoth. 5. c. ſcribitur in hunc modũ: *Vidua eligatur nõ minus ſexaginta annorum, &c.* Quo loco perperam intellecto, & ineptè accommodato abutuntur, qui ex eo colligunt virgines non eſſe ad profeſſionem monaſticam recipiendas aut ſexageſimum annum. Nam longè ſecus eſt loqui de vidua iuuene, carnis volu-

ptates experta, iiſdemque aſſueta atque delibuta: & de virgine recte, & pudice inſtituta. Hæc enim facilius ſe eo priuari quod nunquam deguſtauit, etiam illectante & prouocante carnis pruritu, patietur, quàm illa quæ carni laſciuienti carnali copula mederi conſueuit. Vidua namque iuuenis, ſtimulos carnis ſentiens, recordatur conſueti remedij & voluptatum ea in re perceptarum. Quæ res profectò tanto difficiliorem ei continentiam redit, quanto magis & diutiùs carnalium complexum voluptatibus aſſueta & delibuta eſt. Quod puto fuiſſe in cauſa quare dixerit Apoſtolus eā eſſe diligendam viduam, quæ fuerit vnius viri vxor. De virgine autem iuuene, mihi videtur illud faciendum, quod ſcribitur Threnorum. 3. cap. Bonum eſt viro, cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua. Non parum etiam imò quaſi totum referre. Dixerunt antiqui ſapientes, quomodo à teneris annis aſſueſcamus, Nam quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem, teſta diu. Et facilè in omnem ætatem manent, quæ cum lacte nutricum (à quo tempore virginis ſacrandæ educationem formandam eſſe vult Diuus Hieronymus) imbibuntur. Hinc fiebat, quòd etiam pagani ſuas virgines ſacras, inter ſextum & decimum annum aſſumebant: & poſt annum triceſimum, matrimonium ipſis permittebant. Pro exemplo Chriſtianarum virginum, ſufficiat exemplum diuæ virginis Mariæ, quæ puella virginitatem perpetuam vouit. Sunt igitur hodie virgines à primis annis caſtè & religioſe inſtituendæ, & in ætate florentiſſima, ad profeſſionem recipiendæ: ne inter mundanas voluptates & delicias abominabiles diu conuerſantes, ab ipſis irretiantur, pelliciantur, vincantur & pertrahantur. Quod ſanè periculum nullum eſt tale, in monaſterijs reformatis & rectè adminiſtratis, in quibus videlicet nunquam virorum impudicorum aſpectus diſſoluti. nunquam attrectationes impudicæ atque periculoſæ aut etiam colloquia praua, mores bonos corrumpentia exercentur & inueniuntur, ſed omnia audiuntur & videntur quæ ad ſpiritum eleuandum, & ad carnem mortificandam ſpectant. Secus enim ſi fiat, damnatio eſt aperta abbatiſſarum impurarum, aut negligentum cuſtodum ſacrarum virginum, non autem vitium profeſſionis. Adde etiam quòd talia & tàm facilia media conſeruandarum in integritate virginum nondum erant inſtituta, tempore Pauli, nec politia chriſtianiſmi adhuc tam plenè perfecta habebatur: quando videlicet illæ viduæ de quibus agit non recludebantur vt noſtræ virgines, (quibus opus eſt muro quia carent marito) ſed paſſim per ſeculares vagabantur,

vbi erat maximum periculum caſtitatis violandæ. Hoc igitur quod timebat Apoſtolus ſublato periculo, longè eſt melius iuuenes, quàm ſeniores virgines ad profeſſionem monaſticam admittere. Vt fiebat etiam à Iudæis in illis virginibus, quæ Ieroſolymis concluſæ aſſeruabantur.

EX POSTERIORI EPISTOLA BEATI Pauli ad Timotheum.

POSTERIORIS ad Timotheum ſecundo capite hoc modo ſcribitur: *Nolite contendere verbis, ad nihil enim vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium*. Quo loco abutuntur perniciosè, qui ex eo colligunt vtiliſſimam illam & neceſſariam futurorum in Eccleſia verbi Dei doctorum & miniſtrorum probationem quę fit per diſputationes grauiſſimas in ſcholis theologicis, prorſus eijciendam eſſe. Nam talem ſcholarum theologorum exercitationem & probationem, commendat Apoſtolus. 1. ad Timotheum tertio capite, cùm de miniſtris Eccleſiæ loquens, ita ait, probentur, deinde miniſtrent. Non enim recipit Eccleſia catholica miniſtros verbi Dei & ſacramentorum, vt impiæ & ſatanicæ factiones, cæca quadam domicellularum & dominularum affectione, aut libidine, ſed diligentiſſima & diuturna per viros grauiſſimos & doctiſſimos facta inquiſitione & probatione. Hoc autem non reprehendit hoc loco Apoſtolus, ſed contentioſas & prophanas vocum nouitates hæreticorum quas violenta & obſtinata vocis & animi concertatione impiè tuentur. Hic ergo hæreticorum contentiones ſtulteque & ſine diſciplina quæſtiones percelluntur, non autem grauiſſimæ theologici ſtudij exercitationes, quæ non fiunt quia de fidei veritate, ſed de futuri miniſtri capacitate dubitetur, Eum autem niſi ſcientia vita & moribus ornatum atque probatum ad ſacra miniſtranda in fidelium Eccleſia recipi, nulla iura patiuntur,

tiuntur. Sed mirum non eſt ſi qui omnia peruertere & ſatanicam Babylonem extruere tentant, Eccleſiæ ordinatiſſima & optima quęque ſublata cupiunt.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Cognouit Dominus qui ſunt eius.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt omnia Deo eſſe tribuenda, nihil autem homini, vt etiam ex eo quod ſubditur. In magna domo eſſe vaſa quædam in contumeliam, concludunt Deum eſſe malorum vt bonorum authorem & cauſam: Nam nunquam intendit Apoſtolus docere hominem nihil operari, aut etiam Deo non cooperari, ſed ad hominis ſalutem requiri Dei gratiam præuenientem ad iuſtificandum, & etiam ſubſequentem ad conſeruandum in iuſtitia. Noſtram ſiquidem cooperationem requiri ſatis indicat, cum ita inquit: Diſcedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini: Item ſi quis ſe mundauerit ab ipſis, erit uas in honorem & vtile Domino, ad omne opus bonum paratum. Quod verò ad reprobos ſpectat, non ait, Dominum. eos noſſe, id eſt approbare quaſi malorum ſit author Deus, ſed volens docere illum eos permittere malè agere(qui ſcit etiam ex malis bona elicere) ait ipſos eſſe in domo Dei eiuſmodi dixit Rom. 9.c. his verbis: Deus volens oſtendere iram (nam non tantùm eſt miſericors, ſed etiam iuſtus) & notam facere potentiam ſuam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta in interitum vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Non eſt igitur Deus author malorum, & ſi ob finem bonum ea fieri permittit & tollerat patienter, expectans ad pœnitentiam quoſlibet.

Poſterioris ad Timoth. 3. c. ſcribitur ad hunc modum: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* Quo loco abutuntur qui ex eo colligunt beatos eos eſſe qui propter Eccleſiæ contemptum & fidei blaſphemiam cruciantur, eoſque in martyrologijs ſuis inſcribunt. Nam hic loquitur Apoſtolus de illis qui piè viuunt, & quorum iuſta eſt cauſa Hæretici autem ſunt impij & blaſphemi electorum, interim nihilominus promiſſiones falsò & fruſtra ſibiipſis arrogantes: quod fit aſtu ſatanæ, à quo captiui tenentur, vt ſcilicet facilius hoc pacto eos in errore detineat & alios per ipſos decipiat.

EX

Digitized by Google

EPISTOLA AD TITVM.

IN Epiſtola ad Titum tertio capite ſcribitur in hunc modum: *Hęreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita.* Quo loco malè intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt hæreticos non eſſe puniendos, ſed tantum fugiendos. Nam non ſecum pugnat Apoſtolus qui Hymeneum & Alexandrum tradidit ſatanæ, vt diſcerent non blaſphemare, vt ſcribitur. 1. ad Timot. 1. cap. non quoque id repręhendit quod ſæpius ſcriptura præcipit de puniendis etiam extremo ſupplicio hæreticis. Ad hęc ſi ſunt deuitandi hæretici an ad idipſum paratior eſt via extremo ſupplicio? Notandum etiam quòd ſcribebat Epiſcopo qui gladio materiali abſtinere debet, vt etiam tenetur gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, hæreticos reuincere confutareque, & eoſdem anathemate ferire, à cœtu & conſuetudine fidelium excidendo. Hic autem pulchrum eſt videre, quæ ſunt hęreticicorum conditiones, & quæ illis exurgentibus ſunt Eccleſiæ paſtorum officia. Hæretici enim ſemper ſeditioſi & irrequieti, ſtultas quæſtiones & contentiones, & vanas inutileſque legis pugnas proponunt & ſectantur. Iidem ſunt ſubuerſi relicto ſcilicet vero fidei & veritatis fundamento, Eccleſia catholica, à qua exierunt, vt cognoſcantur non eſſe probati ſed filij ſubtractionis in perditionem animæ. Delinquunt etiam proprio iudicio condemnati; quia ſola mentis corruptæ & peruicacis obſtinatione ſuas perſuaſiones tutantur & ſectantur, cùm videlicet nullum prorſus habeant fundamentum ſcripturæ ſacræ, Eccleſiæ catholicæ, aut etiam doctorum probatorum & conciliorum. Hos debent monere, corripere, reuelare & conuincere verbo Dei epiſcopi: (oportet enim, vt iam dictum eſt, Epiſcopum amplecti eum, qui ſecundum doctrinam & fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere) vt ſic notum ſit omnibus Chriſtianis ipſos nullam habere iuſtam querimoniæ & ſeparationis à doctrina Eccleſiæ

catholicæ,

Digitized by Google

catholicæ, & à profeſſione fidei eiuſdem cauſam, aut etiam occaſionem. Si autem conuicti, & propria conſcientia iudice, non habentes, quod directè obijciant veritati, & apertè ſufficienterque reſpondeant doctrinæ Eccleſiæ per Epiſcopos propoſitæ, manent obſtinati in ſua perſuaſione, ſunt deuitandi ab Epiſcopis, & à reliquis Chriſtianis: quia videlicet ſermo eorum vt cancer ſerpit, & non citra iniuriam Chriſti, & eius ſanctæ religionis, cum ipſis conuerſatio habetur. Principes autem vindices iræ Dei, gladium in eos ſtringere debent & tenentur. Miror igitur quid cogitent, qui Chriſtum & Belial, lucem ac tenebras, Chriſtianos & hæreticos, adunare & ſimul fouere tentant. Sic enim aut penitus omnis religionis Chriſtianè dilabetur profeſſio. aut perpetuo digladiationes mutuę augeſcent. Sic autem conatur Satanas Chriſtum & eius fidem expellere, ſed vincet Dominus, qui aſtutos in aſtutia compręhenſos grauiſſimè puniet.

EX EPISTOLA BEATI PAVLI *ad Hebræos.*

HEbręorum. 4. cap. ſcribitur ad hunc modum. *Habentes Pontificem magnum qui penetrauit cælos ipſum Chriſtum Ieſum, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem. Non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo eum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno.* Quo loco nonnulli tripliciter abutuntur. Primum, cum ex eo colligunt Chriſtum non eſſe in Euchariſtia: Deinde non eſſe opus in Eccleſia alijs pontificibus & ſacerdotibus, ſed vnum tantùm eſſe Chriſtum perpetuum pontificem noſtrum. Poſtremò, ſanctos pro nobis orare vanum eſſe, cum videlicet habeamus acceſſum cum fiducia ad thronum gratiæ Dei. Nam quod ad primum ſpectat, ſe non ſatis inſtructos in doctrina Chriſtiana apertè indicant, qui putãt

eum

Digitized by Google

eum non eſſe in Euchariſtia, quia affirmatur eſſe in cælo: quod ex eo prouenit, quia nihil maius tribuunt glorioſo corpori Chriſti, quod diuinitati perſonaliter & inſeparabiliter coniunctum eſt, quàm cuipiam alij. Longè autem aliter exiſtimant & ſunt perſuaſi veri & docti Chriſtiani, qui ſcripturam ſacram non diſſectantes, ſed ſimul totam & integram ſcrutantes & recipientes, credunt Chriſtum totum & integrum eſſe perſonaliter in cœlo viſibilem, & in Euchariſtia ſacra inuiſibilem. Scriptura enim nobis proponit Chriſtum conſiderandum, & apprehendendum perſonaliter in cruce pro nobis ſatisfacientem, in forma propria viſibili & mortali: in cœlo ad dexteram patris in propria forma viſibilem, ſed immortalem & glorioſum pro nobis interpellantem: & in Euchariſtia inuiſibilem, nos ſpiritualiter nutrientem, ſuè paſſionis fructum applicantem, & ſibi Diuinitatique vnientem per manducationem realis ſui corporis ſub forma tamẽ & ſpecie aliena propter fidei exercitiũ,& alias ratione diuerſas. Quem ergo docet ſcriptura cœlos ſe penetraſſe,docet eadẽ ipsũ in Euchariſtia eſſe perſonaliter & realiter in propria ſubſtantia. Quod autem ad ſecundum ſpectat,certum eſt vnumeſſe ſummum & ęternum pontificem Chriſtum Ieſum, qui penetrauit cœlos: ſed etiam certum eſt eum iam in propria perſona non miniſtrare in Eccleſia hac militante prædicando, ſacra miniſtrando, & peccata in perſona viſibili remittendo aut retinendo. Hinc enim in perſona viſibili diſceſſit. hoc autem priuſquam fieret, nolens ſuos orphanos reliquere, & abſque rerum ſacrarum miniſtris dimittere, quoſdam inſtituit Sacerdotes, Apoſtolos videlicet in ſacræ communionis tempore, quibus etiam poſtea dedit peccata dimittendi, & vbique prædicandi, & ſacra quælibet miniſtrandi poteſtatẽ,tantam vt qui eos non recipit, ipſummet eieciſſe & contempſiſſe iudicetur. Illud enim ipſe affirmat cum ait: Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, &c. Aſcendens ergo in altum Chriſtus, dona dedit hominibus, cum alios poſuit Apoſtolo, alios Euangeliſtas,alios Doctores& Paſtores,ad conſummationem corporis Eccleſię, ad quam etiam Spiritum ſanctum miſit,qui & Paſtores doceret, & populum in fide & vera doctrina conſeruaret.

Etſi igitur Chriſtus eſt Pontifex in æternum, & Eccleſiam ſemper dirigit, cum ea manſurus vſque ad conſummationem ſeculi, tamen iam eſt nobisinuiſibilis. Quare oportuit illum hinc diſceſſurum, Eccleſiæ ſuæ traderequoſdam viſibiles miniſtros,qui hominibus corporatis per res corporatas (quæ ſunt Sacramenta ab eodem

in

Digitized by Google

in ſignis & rebus viſibilibus inſtituta)res inuiſibiles conferrent. Tales autem ſunt Sacerdotes, Epiſcopi, & reliqui Eccleſiæ Prælati, qui non vſurpant arroganter Chriſti officium, ſed ex eius inſtitutione ſunt ipſius in Eccleſia militante vicarij & miniſtri, quibus vt ipſi Chriſto, cuius perſonam gerunt & officium exercent, obediendum eſt. Sic enim à Chriſto inſtitutum eſt, qui vult in ipſis agnoſci & audiri.

Quòd eſt de tertio: Et ſi nos habemus acceſſum cum fiducia ad thronum gratiæ Dei per Chriſtum, non tamen ſequitur quin nos mutuo apud Deum per ipſum Chriſtum iuuare poſſimus, imò vt ipſi Chriſto, qui ſemper viuit ad interpellandum pro nobis, conformes efficiamur, debemus orare pro nobis mutuo, & tanto magis quanto Chriſto ipſi ſumus coniunctiores, & magis ſimiles. Quare eſt conſonum rectæ rationi & ſcripturæ ſacræ, ſanctos qui ſunt in cœlo beati, longè ardentius & frequentius Deum pro nobis orare: eis qui adhuc mortales & imperfecti, hic viuunt pro ſe ſoliciti. Hac ratione impulſus beatus Hieronymus, Vigilantium reprehendebat, quòd (vt etiam faciunt aliqui noſtri temporis nimium ſcripturarum ſacrarum ignari) fateretur Chriſtianos hic viuentes, pro alijs orare: ſed non eos qui gloria cœleſti excepti eſſent. Quaſi verò cœlum ſit quædam obliuionis terra,& Chriſto capiti illorum pro nobis interpellante, non ſeiungant fratres noſtri miſerias, quas patimur experti.Orant ergo pro nobis miſeris mortalibus ſancti in cœlis glorioſi, qui ſequuntur agnum quocunque ierit, ipſique ſunt conformes in cœlis pro nobis intercedendo, vt eundem ſunt ſequuti in terris patiendo. Hoc autem non ideo ſit, quia Chriſti pro nobis interceſſio & interpellatio ſit inſufficiens, ſed quia oportet fideles & electos Dei conformari ſuo capiti Chriſto, & per charitatem, quæ nunquam in ipſis excidit, ſed perfecta manet, noſtram præſentis ſeculi miſeriam iuuare, quod aliter quàm orationibus non faciunt. Habemus igitur per Chriſtum in quem credimus introitum ad Dei thronum, ita vt in nomine ipſius petentes, exaudiamur à Deo: ſed nihilhominus quia in nobis requiritur magna diſpoſitio, vt quippiam à Deo obtineamus, non parum nos iuuant ſanctorum in cœlo beatorum pro nobis factæ orationes, quæ etiam proſunt & faciunt vt ipſa Chriſti interpellatio nobis applicetur & proſit. Nam ad mediatorem Chriſtum, alijs mediatoribus opus habent homines peccatores, qui ſanctorum beatorum meritis & precibus, multum iuuantur, vt peccatorum veniam conſequantur, vt etiam iuſti ad

amplio-

Digitized by Google

ampliorem gratiam habendam. Mira ſanè res eſt ſanctorum communio, in qua per charitatis vinculum vere coniunctis, omnia ſunt communia, vt ſcribitur Pſal. 118. Sunt igitur à nobis orandi ſancti, non vt eos excitemus, vt nobis benè velint, ſicut nec etiã Deus ipſe hoc fine rogari debet, ſed vt ita diſponamur ad recipiendum orationum ipſorum effectum. Semper enim neceſſaria eſt in nobis diſpoſitio, vt gratiam Dei recipiamus. Qui etſi ſolus eſt vniuerſæ gratiæ author: non ſemper tamen eſt illius immediatus exhibitor, Deus enim per ſe authoritate propria tanquam vnicus gratiæ creator gratiam & gloriam ſolus dat illam efficiendo, non tamen ſemper ſolus immediatè: imò pluribus interuenientibus (teſte ſcriptura) medijs gratiam dat, videlicet fide, ſpe, charitate, ſacramentorum participatione, Eccleſiæ cooperatione, iniuriarum remiſſione, & eleemoſynarum largitione, & omnium ſanctorum interceſſione. Scimus igitur Deum eſſe omnipotentem & miſericordem: quare illum primo, principaliter & finaliter ſemper oramus, cum ab eo ſit omne bonum: nec minus tamen per humilitatem & ipſius reuerentiam ſanctorum orationes interponimus. Sic autem ſequimur rectum ſacræ ſcripturæ filum.

Hebræorum 6. cap. ſcribitur ita. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti: guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque venturi ſeculi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pænitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.* Quo loco Germani ipſius intellectus exortes, abutuntur, qui ex eo colligunt eos, qui poſt acceptum baptiſma peccant, nullum habere remiſſionis remedium. Nam hoc loco non negat Apoſtolus eſſe remiſſionem peccatorum poſt baptiſma admiſſorum ſed eos perſtringit, qui volebant baptiſmum iterari, vt haberetur remiſſio peccatorum ſequentium baptiſmum, vt præcedentium in prima iuſtificatione eſt habita. Obiter autem hic notandum eſt, velle beatum Apoſtolum pœnam eſſe ferendam ei, qui poſt baptiſmum peccarit. Nam & ſi omnis peccatorum remiſſio ad Dei gratiam & Chriſti meritum referri debet, aliter tamen atque aliter id fit in peccatis præcedentibus baptiſmum, & in ijs, quę eundem ſubſequuntur. In baptiſmo enim paſſio Chriſti pleniſſimè applicatur, & ſic peccata omnia totaliter remittuntur, & quo ad culpam, & quo ad pœnam, poſt baptiſmum autem pœna eſt exoluenda, vt conformes Chriſto patienti effecti eius meriti participes pro diſpoſitione efficiamur. Eſt

locus

Digitized by Google

locus huic ſimilis Heb. 10. c. vbi ita ſcribitur voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam veritatis notitiam, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, ſed terribilis iudicij expectatio, & ignis æmulatio, quę eſt conſumptura aduerſarios, &c. de hac re plenius tractatur in ijs, quæ de indulgentijs ſcribimus.

Hebræorum ſeptimo capite ſcribitur ad hunc modum. *Iurauit Dominus, & non pęnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem, idcirco quòd morte probiberentur permanere: hic autem eo, quod maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo effici volunt neminem prorſus tempore Euangelij debere dici Sacerdotem præter Chriſtum, qui ęternus eſt, & eius ſacerdotium æternum. Nam non loquitur hoc loco Apoſtolus de Sacerdotibus miniſtris & vicarijs ſummis, ſed de ipſo ſummo ſacerdote & pontifice, qui ſolus eſt Chriſtus Ieſus tempore legis Euangelicæ, quia non moritur, ſed manet in æternum ſemper viuens ad interpellandum in cœlo pro Eccleſia ſponſa. Quod autem manet in æternum ſummus pontifex & Sacerdos Chriſtus, non impedit quin ſint aliqui alij Sacerdotes ipſius vicarij in Eccleſia militante & miniſtri Sacrificij illius ſummi & æterni, quod ipſe ſemel obtulit. obtenta per illud peccatorum mundi remiſſione. Hos enim ipſe inſtituit cum ipſis dedit poteſtatem & fecit præceptum offerendi & recolendi in Eccleſia cum gratiarum actione Sacrificium illud æternum, quod ipſe ſemel fecit cum proprij ſanguinis in cruce effuſione. De eiuſmodi miniſtris, & non ſummis ſacerdotibus ſæpius loquitur Apoſtolus in Epiſtolis ad Timotheum & ad Titum: in quibus aduerte pro eodem ſumi vocabula presbyter & Sacerdos, quia videlicet ad Eccleſiæ regimen eligebantur, qui erant ſenes & prouectioris ętatis. Sunt igitur in lege Euangelica Sacerdotes miniſtri veri & ſolius ſummi ſacerdotes Chriſti, cuius ſacerdotium & etiam ſacrificium eſt æternum. Horum autem eſt non aliud ſacrificium offerre quàm illud quod eſt Chriſti: Sed illud idem ipſum recolere cum gratiarum actione, & deinde electis communicare, vt Chriſtus inſtituit & pręcepit. de hac re ſatis fusè diſputauimus in his, quę ſcripſimus contra perniciosum libellum cuiuſdam ignari & impij Pſeudoprophetæ dicti Deſpina.

Ibidem

Digitized by Google

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Talis decebat vt eſſet nobis pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cęlis factus. Qui non habet neceſſitatē quotidie (quemadmodum Sacerdotes) prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.* Quo loco perniciosè ſimul, & ignoranter nimium abutuntur, qui ex eo colligunt nullos à Chriſto poſſe dici, & eſſe ſacerdotes in lege Euangelica, cum videlicet nulli inueniantur quibus prædictæ qualitates, & conditiones inſint. Nam hæ omnes conditiones ſunt propriæ ſummo, & æterno ſacetdoti, qui eſt ſolus Chriſtus; nec eſſe poſſunt vllo pacto ſacerdotum ipſius vicariorum in adminiſtrandis rebus ſacris in Eccleſia militante, & miniſtrorum ſacrificij legis Euangelicæ vnici, ſemel per ſummum eiuſdem ſacerdotem Chriſtum facti ad conſummandum in æternum ſanctificatos, quod tamen etiam neceſſario eſt recolendum, & cum gratiarum actione, cum humilitate, & deuotione ſiue charitate ſumma frequentandum vt illud ipſum fidelibus in Eccleſia Catholica applicetur, & communicetur. Ad hoc autem tam excellens miniſterium non paſſim quilibet ſunt recipiendi, & idonei ſicut nec etiam ad alia Diuina, & ſacra miniſtranda. Quare Chriſtus quoſdam ſpecialiter hoc honore, & vocatione miniſterij dignatus eſt quos electos, & manuum impoſitione inauguratos in ſua Eccleſia ſacerdotes, & rerum ſacrarum miniſtros eſſe voluit, vt ſæpè ſancta ſcriptura teſtatur.

Hebr. 8. capite ſcribitur ad hunc modum. *Hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos dicit Dominus. Dabo leges meas in mentes eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in Deū, & ipſi erunt mihi in populū. Et nō docebit vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum, quoniam omnes ſcient me à minore vſque ad maiorē.* Quē locum ſanè pulchrum, & difficilem, quia non intelligunt huius tempeſtatis gnoſtiſtæ illo vſque adeo abutuntur vt dicant non eſſe opus in lege Euangelica, ſcriptura, prędicationesq; ſed tantum audiendū eſſe id, quod Dominus Deus in nobis loquitur. Quæ ſanè eſt ad omnem planè impietatē via, & ad vniuerſam iniquitatē aperta feneſtra. Sic enim callidi ſpirituales impēdio ſanè ſubtiliores qui in lingua ſpiritū gerunt, & in corde carnē amplexantur, facilè genio indulgerent

omni ſublata legê, & doctrinę, vitæ, religionis q; forma in ſuis adinuentionibus ambulando, Libertiniſmum, atque etiamnum Atheiſmum ſequerentur, & promouerent. Non igitur externa documenta, & præcepta damnat Apoſtolus, ſed ſicut cum ſcripſit iuſto non eſſe legem poſitam ita hoc loco vult docere veros Chriſtianos Dei amore, & non timore pœnæ ad inſtar hypocritarum quos odit Deus, pietatem veram ſequi, & profiteri. Illi enim intus in corde magiſtrum habent Spiritum ſanctum quo aguntur, & quo facta carnis mortificant, ad Deum ipſum cordis inſpectorem magis quàm ad homines in omnibus quæ agunt aſpicientes, Verè ergo edoctus eſt, qui habet Spiritum ſanctum in ſe manentem, à quò verè edocetur, & ad benè agendum impellitur. Talis ſiquidem eſt arbor quam plantauit pater cœleſtis quæ non eradicabitur, ſed dabit fructum in tempore ſuo.

Hebræorum 9. cap. ita ſcribitur: *Omnia penè in ſanguine mundantur ſecundum legem, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo effici volunt Miſſam non eſſe ſacrificium pro peccatis propiciatorium, quia videlicet ait Apoſtolus ſine ſanguinis effuſione non fieri peccatorum remiſſionem: Quare concludunt aut Miſſam non eſſe Sacrificium pro peccatis propiciatorium, quia videlicet ait Apoſtolus ſine ſanguinis effuſione non fieri peccatorum remiſſionem: Quare concludunt aut Miſſam non eſſe Sacrificium propiciatorium, aut oportere in ea iterum fundi ſanguinem Chriſti, & eundem denuo interfici. Falluntur autem nec attendunt Paulum hoc dixiſſe fieri ſecundum legem: hæc enim ſunt ipſamet eius verba omnia penè in ſanguine ſecundum legem mundantur: & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Vides ergo eum dixiſſe ſecundum legem. Quare autem? Vt ſanè iudicaret non opus eſſe ſanguinem Chriſti toties fundi, quoties per illum remiſſio, & expiatio peccatorum haberetur: ſicut fiebat in lege in qua præterita Sacrificia nullius erant valoris: quia videlicet longè eſt melior hoſtia Chriſti, quàm erant illæ quæ offerebantur in lege ueteri, quas oportebat repeti propter ſuam imbecillitatem, aut etiam inutilitatem, & ad ſæpius mundandum impotentiam. Hunc autem eſſe germanum Pauli ſenſum indicant ipſius verba: neceſſe eſt exemplaria quidem cœleſtium, his (ſcilicet pecorum hoſtijs) mundari; ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtijs quàm iſtis: non enim in manufacta ſancta Ieſus intrauit exempla-

ria verorum ſed in ipſum cœlum) vide quid per cœlum intelligat, nec mouearis nouis, & portentoſis aliquorum ad hunc locum expoſitionibus) vt appareat nunc uulti, Dei pro nobis, neque vt ſępè offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Nunc autem ſemel in conſumatione ſeculorum ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Videant igitur, & conſiderent quicunque Apoſtolum ſanè in re tanta intelligere cupiunt, eum toties vſum eſſe hac dictione ſemel, cum loquitur de Sacrificio Chriſti, & eius ſanguinis per mortem effuſione, vt illud efferat ſupra legis veteris Sacrificia, quæ oportebat repeti propter ipſorum imbecillitatem, & ita non fiebat vlla peccati remiſſio ſine ſanguinis noua effuſione. At longè aliter fit in lege noua, in qua habetur ſemper peccatorum remiſſio per ſanguinem Chriſti, non ſæpius, nec recens, & denuo, ſed ſemel tantum effuſum. Ea ſiquidem vna, & ſemel tantum facta effuſio, tantæ fuit, & eſt efficaciæ, vt per eam Chriſtus ſanctificarit in æternum ſanctificatos. Hanc igitur repeti ad expiationem peccatorum neceſſe non eſt, ſed tantùm applicari. Talis autem applicatio ex inſtitutione Chriſti, fit per eius memoriam, & recordationem, cum gratiarum actione humili, & deuota; quæ fit in Miſſa, quæ vulgo, & iure dicitur Euangelicum Sacrificium, quia videlicet in ea actione realiter ſacrificium Chriſti; quod æternum eſt, & ſecundum ritum ſacrificij Melchiſedeci, Chriſtus ipſe offertur, & reuera etſi ſub aliena forma manducatur, & communiter fidelibus, vt per paſſionis eius meritum, illorum expientur peccata, & gratiæ fiant participes. Quare non eſt dubium Miſſam eſſe ſacrificium propitiatorium, & Euchariſticum. Hoc eſt namque iuge ſacrificium, de quo locuti ſunt Daniel, & Malachias: quod ubi ceſſauerit, deſinet Chriſtianiſmus.

Hebræorum 10. capite ſcribitur in hunc modum. *Hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi.* Quo loco perperam intellecto, & malitioſè detorto, abutuntur, qui ex eo colligunt Sacrificium Euangelicum; Miſſam ſacroſanctam damnari, & tanquam non præceptam, aut Deo minus

acceptam, reijci. Nàm primùm ex ipſa litera eſt manifeſtiſſimum hic ſermonem eſſe inſtitutum non de Miſſa (quam Chriſtus inſtituit, & præcepit loco omnium Sacrificiorum in ſua Eccleſia fieri, vt teſtantur Euangeliſtæ) ſed de Sacrificijs pecorum, quæ fiebant in lege Moſaica, & ad iuſtificandum, & mundandum erant inutilia. Hanc noſtram, & Catholicam totius Eccleſiæ expoſitionem confirmant Apoſtoli, tam quæ præcedunt, quàm quæ ſequuntur hunc locum, verba. Sic enim in præcedentibus locutus eſt Apoſtolus: Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum; per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtijs, quas offerunt indefinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere, alioquin ceſſaſſent offerri. Ideo quòd nullam haberent vltra conſcientiam peccati, cultores ſemel mundati. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum, & hircorum (nota quænam ſacrificia intelligat) auferri peccata, ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi. Legis igitur inutilia ſacrificia damnat, & reprehendit Apoſtolus, non autem Miſſam ſacrificium Euangelicum, cuius inſtitutionem, & confirmationem docet ſequẽtibus verbis, hoc pacto: Superius dicens, quia hoſtias, & oblationes, & holocauſtomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, aufert primum, vt ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. An non igitur hinc dilucidum eſt non velle Apoſtolum in lege Euangelica nullum celebrari etiam miniſteriale Sacrificium, ſed Moſaica ſacrificia exoleta, & reiecta eſſe, & in eorum locum ſucceſſiſſe, per ipſa inutilia figuratum verum æternum, & efficax Chriſti ſacrificium, quod ſemper celebrari, & recoli debet? Mutata igitur eſt lex, non reiecta, & nulla facta: Ita ſanè de Sacerdotio, & de Sacrificio legi ſemper coniunctis iudicare debemus. Hæc enim non ſunt prorſus abolita, ſed in meliora tranſmutata: quia videlicet Sacrificium, vt etiam Sacerdotium lex Euangelica, æternum habet in Chriſto qui eſt verus, ſummus, & æternus pontifex, ſacerdos, vt etiam infiniti meriti, & æternum ſacrificium, cuius qui vulgò dicuntur Sacerdotes ſunt miniſtri, ex ipſius inſtitutione, vt videlicet per eos in Eccleſia ad perpetuam mortis ipſius recordationem, & annunciationem recolatur

colatur

colatur, & electis ipſius meritum applicetur. Hoc eſt enim ſequentes ſacrificium quod ſtatutum eſſe præcedentibus eiectis affirmat Apoſtolus de quo etiam decimotertio capite ait, quòd habemus altare de quo edere non habent : qui tabernaculo deſeruiunt.

De hoc etiam loquitur. 1. ad. Corint. 10. c. cum triplex conſtituit ſacrificium ſcilicet Chriſtianorum, Iudæorum, & idololatrarum. Scopus igitur Apoſtoli, eſt tota hac Epiſtola docere excellentiam ſacerdotij & ſacrificij legis Euangelicæ, ſupra ſacerdotium & ſacrificium legis Moſaicæ: vt videlicet intelligamus quòd tranſlata lege, tranſlata ſunt ſacrificium & ſacerdotium. Hæc enim tria ſcilicet lex, ſacerdotium, & ſacrificium, ſunt ſemper coniuncta. Illa autem excellentia in hoc maximè cognoſcitur, quod lex Euangelica ad perfectum homines adducit, quod non poterat facere lex Moſaica quæ per carnem infirmabatur: quòd ipſa habet ſacerdotium æternum, ſicut etiam ſacrificium meriti infiniti, & quòd ſemper peccata expiare, & Deum peccatoribus verè pœnitentibus & credentibus placatum reddere poteſt, hoc proponit & prædicat noſter Apoſtolus his verbis omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: Chriſtus autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei. Decætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos. Quia igitur per Chriſti hoſtiam Deus eſt placatus, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, agnus videlicet qui tollit peccata mundi: Idcirco ad eum ſemper confugere debemus, cum nos peccatorum pondera prẹmunt ſicut Iſraelitæ à ſerpentibus læſi, ad eius figuram, ſerpentem in crucem erectum, vt ſanarentur aſpiciebant. Hoc eſt, hoc eſt inquam (quod vtinam omnes intelligerent & apprẹhenderent) quod in Miſſa facimus. In ea enim ad Chriſtum vnicum Dei & hominum mediatorem, & redemptorem noſtrum confugimus, vt meriti paſſionis & ſanguinis ipſius, ſemel tantum factæ effuſionis, participes facti à peccatis mundemur, & Deo reconciliemur. Scimus qui Chriſtiani ſumus, Chriſtum pro nobis mortuum factum eſſe redemptionem, ſapientiam, iuſtitiam & iuſtificationem electis & fidelibus ſuis: quare ipſi coniungi omni ratione & via quærimus. Quia autem idem ipſe modum ta-

lis coniunctionis inſtituit, manducationem proprij ſui corporis pro nobis crucifixi in memoriam cum gratiarum actione effuſionis ſanguinis ſui. Idcirco Eccleſia quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, vt eſt ab ipſo edocta, recolit ipſius ſacrificium perpetuum, gratias Deo, & ipſi Chriſto omni cum humilitate, charitate, & deuotione agendo, ut hoc pacto ex eiuſdem inſtitutione ipſius paſſionis meritum nobis applicetur. Scimus enim illum dixiſſe, & præcepiſſe, vt hoc in eius memoriam faceremus, id eſt, ipſius paſſionem cum gratiarum actione recoleremus: quòd fit in Miſſa, in qua corpus Chriſti per ſacerdotem verbo Dei conſecratur, Deo offertur, & ſacrificatur in recordationem paſſionis ipſius cum gratiarum actione, pro eadem: & communicatur fidelibus. Hæc enim ſunt tria quæ Miſſæ ſubſtantiam complectuntur, & ex ipſa ſcriptura ſacra confirmationem recipiunt. Non igitur ſacerdotes Miſſam celebrantes Chriſto derogant non eundem denuo interficiunt, nec aliud contra aut vltra verbum Dei faciunt, ſed ſcripturam Diuinitus inſpiratam ſecuti Chriſti ſacrificium æternum, & infinitum cum gratiarum actione recolunt: vt per eorum miniſterium, illius meritum, & efficacia populo applicetur, ſecundum Chriſti ſolius veri, & ſummi ſacerdotis inſtitutionem, & præceptum. Vide quæ ſcripſimus contra Deſpina: atque etiam tractatum de ſacrificio Euangelico.

Hebræorum 13. capite ita ſcribitur: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Quo loco ignoranter abutuntur qui ex eo colligunt, omnibus planè, cuiuſcunque ſint conditionis, & ſtatus, liberum eſſe, & licere matrimonium contrahere: quare monachos, & ſanctimoniales ad coniugium adigunt. Nam paſſim docet ſcriptura vota Deo facta, eſſe neceſſario reddenda, ni condemnari velimus. Si enim omnibus ex æquo liceret matrimonium contrahere, non dixiſſet Apoſtolus viduas, quæ ſe Deo conſecrarunt, & poſtea uolunt nubere, damnationem ſibi acquirere. & primam fidem irritam facere. Hoc igitur loco Apoſtolus, nec præcipit, nec etiam conſulit omnibus matrimonium, qui prius Corinthijs ſcribens prætulit apertiſſimè perpetuam caſtitatem, & virginitatem matrimonio, ſed docet quanta cum cautione & puritate oporteet eos qui ſunt matrimonio coniuncti viuere. Requirit ſiquidem ſuam quoque caſtitatem, & temperantiam

ab

Digitized by Google

ab omni diſſolutione, & effreni libidine Chriſtianorum matrimonium iuſtum, & legitimum. Hunc autem eſſe germanum Apoſtoli ſenſum docent ipſius quæ ſequuntur ad hunc modum verba, ſcilicet, & thorus immaculatus. Nam certum eſt Apoſtolum noluiſſe dicere atque affirmare in omnibus coniugatis, thorum eſſe immaculatum. Item hæc quæ ita conſequuntur: Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Vetat igitur perſonam matrimonio alligatam, cuipiam alij quàm coniugi ſeſe communicare carnaliter, ſi non uelit à Deo condemnari. Præuidebat enim Apoſtolus quàm impura in multis futura erant matrimonia, in quibus plerumque vigent adulteria, aut etiam prætexuntur, & committuntur effrentes luxus, libidines, fornicationes, & flagitioſa meretricia. Si quis autem putet hanc expoſitionem nouam eſſe, illum rogatum velim vt attentius, & diligentius Apoſtoli ſtilum & ſcopum in hoc capite conſideret, & attendat, Sic enim puto, ſuum calculum nobis addet præſcribit igitur hoc loco Apoſtolus regulam honeſtatis, & caſtitatis, ijs qui matrimonio iuncti ſunt non autem omnibus matrimonium præcipit.

EX EPISTOLA BEATI IACOBI.

IACOBI. I. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Item: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, &c.* Quibus locis ignoranter abutuntur, qui ex illis colligunt ſolum Deum eſſe rogandum & nullo modo ſanctos: Nam & ſi Deus ſolus eſt fons perennis, à quo fluunt omnia bona, tamẽ ſunt ordinata ab eodẽ media, per quæ nobis ſua bona & dona largitur: cuiuſmodi ſunt præces ſanctorum & electorum tam hic mortalium, quam in cęlo perpetuo viuentium. Illos autem cum oramus, nihil Deo omnium bonorũ largitori detrahimus, quia non ipſos rogamus eo fine vt nobis ea concedãt & largiãtur quæ petimus, ſed vt à Deo, apud quẽ plurimũ poſsũt, ea nobis impetrẽt. Sic legimus Deum regem Amalech miſiſſe ad Abrahamum, promittẽdo ipſi veniam per pręces & orationes ipſius Abrahę. Gen. 20. ca. Sic Iob. 42. Deus remiſit amicos Iob illum rogaturos vt pro ipſis intercederet. Sic autem hoc poſſunt præſtare adhuc mortales & pro ſe ſoliciti: nihil poterunt in cœlo glorioſi? Nemo ſanę mentis profecto hoc dicet. An non etiam noſtras orationes intelligent, qui rerum omnium ſpeculum, Diuinam æternam maieſtatem ſemper intuentur? Sunt ergo ij nobis rogandi qui pro nobis orant in cœlis ſancti: non quidem quia nos magis quam Deus ament, aut etiam excitentur vt nobis bene velint, qui ſunt perfecti in charitate, ſed vt hoc pacto ſequamur Dei ordinationem, & diſponamur ad recipienda ipſius dona: Dicamus ergo cum Dauide: Leuaui oculos meos ad montes vnde veniet auxilium mihi: Auxilium autem meum à Domino qui fecit cœlum & terram.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt, viſitare viduas & pupillos in tribulatione eorum: & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Quem

totum

totum contorte deflectunt & miſere deprauant qui ex ipſo effici volunt, religiones & profeſſiones monaſticas eſſe impias & ſacræ ſcripturæ contrarias. Nam & ſi religioſi non ſemper viſitant viduas & pupillos in neceſſitatibus corporalibus per remedia temporalia, viſitant nihilominus & adiuuant maximè in ſpiritualibus, per extraordinaria & diuina media, pro ipſis orando Deum, à quo eſt omne bonum, & ſine quo neque qui rigat, neque qui plantat eſt aliud. Sic Moyſe orante vincebat Ioſue. Sic Elias & Eliſeus ſæpius tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus, populum iuuerunt: vt etiam faciunt ſancti, qui cum Deo regnant in cœlo glorioſi, vt conſtat Tobiæ. 12. de angelis, &.2. Machab. 15. de Onia & Ieremia. Magna enim profectò res eſt, & à nimium paucis diligentius euoluta Sanctorum communio, in qua per charitatem (cuius vinculum non frangitur locorum diſtractione) omnia ſunt inter ſanctos communia, vnoquoque quod habet fratri & proximo, eiusdem ſecum corporis Chriſti membro, communicante & poteſtate largiēte, ſequēdo charitatis, quę nō quęrit quæ ſua ſunt, ſed quæ alterius, regulam. Viſitant ergo, & in neceſſitatibus afflictos plurimum iuuant religioſi: ſed ſuo & longè profectiori modo. Iacobi 3. ca. ita ſcribitur. *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt non oportere eſſe multos doctores & ſacrarum ſcripturarum expoſitores, ſiue legendo, ſiue prædicando, ſiue etiam ſcribendo id præſtent: vt etiam illi, qui omnino eam vocationem & profeſſionem ſanctam damnant. Nam Apoſtolus Iacobus non reprehendit doctorum ſtatum, aut etiam multitudinem copioſam, ſed docet quàm ſit periculoſum & difficile doctorem eſſe in Eccleſia. Debet namque qui ſuſcipit in Eccleſia Dei munus docendi, magna & exquiſita rerum cognitione præditus eſſe, debet rerum experientia valere, & diſcretione ſumma donatus eſſe, vt etiam vitæ puritate nitere & coram ijs, quos docet ſplendere. Hanc doctoris Eccleſiaſtici difficilem curam docuit Chriſtus ſuo facto & exemplo, qui ante annum ſuę ætatis triceſimū, prædicādi munus nō exercuit: qui etiā Mat. 5. c. tradit; oportere prædicatorū & doctorū opera bona lucere corā hominibus. Hoc pacto .n. uerbū Dei cū reuerētia & deuotione excipitur, & cum humilitate atque obſeruatione retinetur. Debet igitur magiſter, paſtor, ſiue doctor, eruditus eſſe, de-

bet

Digitized by Google

bet doctrinam populo ſanam, & bonam proponere, & eandem vitæ ſanctitate confirmare, & veluti condire. Væ enim eſt doctori, & magiſtro non docenti, aut malè docenti, aut etiam vita impura apud vulgum, ſanam doctrinam negligi, infamari, & blaſphemari facienti. Damnat igitur Apoſtolus ambitioſorum, & indiſcretorum magiſtrorum affectum, non autem magiſterium, doctorum verò ſumum eſſe periculum docet. Nam ſiue agat, ſiue deſideat doctor, ſemper eſt in periculo.

Iacobi 5. capite ſcribitur ad hunc modum. *Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nulla ratione licitum eſſe Chriſtiauis iurare. Nam hoc non intendit docere Apoſtolus, neque etiam Chriſtus, vt in cap. 5. Matt. diximus, ſed potius perditam, & vulgo receptam iurandi tam per Deum, quàm per creaturas conſuetudinem, perſtringit, & damnat. Ex ea enim multa naſcuntur incommoda, vt puta periurium, blaſphemia, Dei æterni contemptus & irreuerentia, atque multa alia reprehenſione imprimis digna. Iurare ergo licitum eſſe Chriſtianis, modo ſeruent iurandi legitimas conditiones. Iurandi autem aſſuefactio, quæ multa affert incommoda, ſummopere fugienda eſt.

Digitized by Google

EX PRIORI EPISTOLA BEATI Petri.

PRIORIS Epiſtolæ beati Petri ſecundo capite ſcribitur ad hunc modum. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.* Quo loco prauè detorto, & malè intellecto ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt omnes Chriſtianos ſacerdotes ita eſſe, vt vnus non habeat maiorem poteſtatem, & authoritatem, tam in verbo quàm in ſacramento, quàm alius, à qua etiam verbi Dei, & ſacramentorum poteſtate, nec mulieres ipſas repellendas eſſe uolunt. Falluntur autem. Nam hoc loco non eſt inſtituta diſputatio de ſacerdotio, aut regno miniſteriali, quod ad totam electorum communitatem refertur, ſed de perſonali, quo quiſque debet imperare ſuis concupiſcentijs deordinatis, id eſt, rectæ rationi repugnantibus, eaſque ſacrificare domino Deo, ſecundum quod à Dauide ſcriptum eſt his uerbis: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad Petram. Non omnes igitur paſſim, & ſine diſcrimine Chriſtiani Reges, & Sacerdotes ſunt, quod ad rempublicam, & communem hominum conſociationem ſpectat, ſed quod ad ſe attinet, vt uidelicet offerant Deo ſua corpora hoſtiam uiuentem, & rationabile obſequium, ut docet Paulus Rom. 12. Quod enim ad publicum, tam uerbi Dei, quàm ſacramentorum miniſterium ſpectat, uocatio expectanda eſt: & inſtitutio neceſſario per electionem, & manuum impoſitionem habenda eſt ut Heb. 5. cap. & ad Timotheum docet Apoſtolus Paulus. Quòd autem hic locus de ſacrificio concupiſcentiarum, & deprauatorum animi motuum intelligi debeat, docent, quæ præcedunt hæc uerba. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, &

omnes

omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutē, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus: ad quem accedentes lapidē viuum ab hominibus quidem reprobatum à Deo autem electum, & honorificatum: & ipſi tanquàm lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis in Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtū. Sibi igitur non autem Eccleſię & fideliū cōmunitati, omnes pij Chriſtiani ſunt Reges & Sacerdotes.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Chriſtus pertulit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum.* Quo loco abutuntur, qui præſumentes de infinito merito paſſionis Chriſti, de proprijs peccatis dolore, pœnitentiam agere, ſatisfactionem facere, & pro ipſis afflictionem pati nunquam volunt. Nam tantum abeſt, quòd ſcriptura Chriſti paſſionem proponat, vt doceat nihil nobis eſſe patiēdum, quod eo fine ſæpius eam inducit, vt nos ad ſimiliter patiendum animet & exhortetur. Hoc confirmat manifeſtè locus præſens, in quo ita ſcribitur: Si benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Paulus Coloſſenſibus ſcribens dicebat ſe adimplere in corpore ſuo ea, quę deerant paſſionum Chriſti ad hoc docendum Rom. 8. ita ſcribebat: Sumus filij Dei & hæredes eiuſdem, Chriſtique cohæredes, ſi tamen cum ipſo patimur, vt cum ipſo glorificemur. Idem docebat Chriſtus cum ita dicebat: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Infiniti autem ſunt ſimiles ſcripturæ loci, quibus percelluntur pernicioſa Libertinorum dogmata, qui Chriſti paſſionem ſuæ nequitiæ & carnis voluptatis velamen faciunt. Eſt igitur Chriſto compatiendum, & pro peccatis ſatisfaciendum, ſi per eius meritum ſaluari volumus. Nam conformitas cum eo in ſanctitate & paſſione neceſſaria eſt. Vnde manifeſtiſſimum eſt eos turpiter errare, qui neceſſariæ nobis cum Chriſto conformitatis obliti, ita colligunt: Chriſtus ieiunauit pro me, & paſſus eſt pro me: ergo nec mihi ieiunandum, nec quippiam patiendum. Nam pari ratione concludendum eſſet, Chriſtus pro nobis reſurrexit, pro nobis cœlos conſcendit, ergo neutro illorum nobis opus eſt. Retineatur igitur cum Chriſto conformitas neceſſe eſt, ſi cum illo beari cupimus. Oportet enim omnes in cœlum per tribulationes intrare.

Prioris

Digitized by Google

Prioris Epiſt. eiuſdem ca. 4. ſcribitur in hunc modum. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ et virtutis Dei, ſuper vos requieſcit.* Quo loco perperā intellecto & contra Apoſtoli intentionem detorto abutuntur, qui ex eo colligunt honorandos & laudādos eos eſſe, qui propter hæreſes (quas interim verbum Dei vocitare non erubeſcunt) exprobantur & patiuntur. Nam vt falſo de verbo Dei quod non habent, imò illud ipſum apertè oppugnant, exultant: ita profectò malè gloriantur de ſuis tribulationibus, & pœnis ipſis iuſtiſſimè illatis. Non enim pœna, ſed cauſa facit martirem. Sed Satanas, ad cuius voluntatem dicuntur & impelluntur captiui, eos vſque adeo dementauit (Deo iuſtiſſimè idipſum permittente, qui mittit illis operationem erroris, vt credant mendacio & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati, eligentes potius perire in ſeductione iniquitatis quàm charitatis veritatem recipere vt ſalui fiant) vt nihil durum ipſis videatur ſiue bona, ſiue famam, ſiue etiam corpora perdant. Hoc autem mirarer, niſi conſiderarem quam ſit iuſtum eos quælibet ignominioſa & dura patiendo damnari ſatanæ aſſeclas, ſeruos, mancipia miſerrima & miniſtros infeliciſſimos, qui Deo in Eccleſia credendo & obſequendo, facilè cum ſumma delectatione & gloria ſaluari noluerunt. Hoc autem non mirabitur, qui cantharidis infernalis veneno eos imbutos cum Epiphanio conſiderabit. Quum igitur externa omnia tam bonis quam malis æquè euenire poſſint, non iudicemus beatos & glorioſos illos qui extra Eccleſiam poſiti, quidlibet quantacunque etiam animi alacritate & audacia id faciant, patiuntur. Erubeſcendum tamen interim & profectò dolendum nobis eſt, quòd impijs pro mendacio ardentibus, & nihil non facientibus & patientibus, Chriſtiani interim etiam paſtores non mouentur pro veritate, ſed tepeſcunt, aut etiam omnino frigent omnia ſuſque deque ferentes. Hos etiam Deus iudicabit, qui confeſſionem ſui nominis apertam perit. Mirum eſt autem quod hodie propter ſola temporalia ferè mouemur.

Eiuſdem epiſtolę 5. cap. ſcribitur in hunc modum: *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis, omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eius, quoniā ipſi eſt cura de vbis.* Quo loco abutuntur miſeri ſcripturarum corruptores, qui vt faueant libertinis & carnalibus hominibus, ex eo colligi volunt non eſſe nobis curæ debere bona aliqua facere, aut pro peccatis admiſſis per

bona

Digitized by Google

bona opera pœnalia ſatisfacere, ſed tãtùm miſericordię Dei & paſſione Chriſti fidendum eſſe, quomodocunque vixerimus. Erant autem turpiſſimè & pernicioſiſſimę, & ſuam & aliorum perditionem miſerrimè & manifeſtiſſimè ſcripturam ſacram deprauantes. An non enim paſſim clamat ſcriptura Chriſto compatiendum eſſe? ſanctè viuendum eſſe? denique bona opera ad ſalutem omni homini neceſſaria eſſe? hæc autem ſi adſint, tum ſecurè poterimus omnem noſtram ſolicitudinem in Deum proijcere, & merito Chriſti fidere, quicquid contra nos moliantur terrenæ aut etiam diabolicæ impoſturæ, & corruptæ violentæque poteſtates. Secus autem nec de Chriſti merito, nec de Dei miſericordia ſperare ſalutẽ debemus. Senſus ergo præſentis loci eſt, quòd bonis omnia cooperantur in bonum, per Dei bonitatem & prouidentiam, qui non patitur ſuos electos tentari magis quàm ſufferre poſſunt, ſed cum tentatione facit prouentum. Peccata igitur fugiamus, ſanctè viuamus & iuſtè officioſeque ſecundum noſtram vocationem agamus, & tum à Deo non deſeremur, quia ipſi cura erit de nobis.

EX PRIORI CANONICA BEATI Ioannis Euangeliſtæ.

PRimæ epiſtolæ canonicæ beati Ioannis. 1. cap. ſcribitur in hunc modum: *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Quo loco ignoranter & pernicioſè abutuntur, qui ex eo colligunt ſolam fidem & fiduciam paſſionis Chriſti requiri, vt ſaluemur & peccatorum remiſſionem habeamus. Nam etſi ſanguis Chriſti ſufficiens eſt ad emundationem & deletionem omnium peccatorum, non tamen in omnibus eſt efficax, ſed in ijs tantum qui diſpoſitionem habent, de qua hic loquitur beatus Apoſtolus & Euangeliſta cum ita ait: Si in luce ambulamus, ſicut Deus ipſe eſt in luce ſocietatem habemus adinuicem, & ſanguis Ieſu filij eius, emundat nos ab omni peccato.

Nemo

Nemo ergo glorietur de merito Chriſti, cui peccatum ſuum in quo perſeuerat placet. Oportet namque eum omnem qui vult Chriſti paſſionis particeps eſſe, ſanctitatem ſectari, ſicut Chriſtus ſanctus eſt. Hoc indicat & docet idem Apoſtolus hoc eodem textu, cum ita inquit: Hæc eſt annunciatio quam audiuimus à Chriſto, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux eſt & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Opus eſt igitur diſpoſitione multa ad participationem ſanguinis Chriſti habenda. Hoc eſt enim quare Chriſtus inſtituit baptiſmum, prædicationem verbi Dei, & varia ſacramenta. Sine talibus enim diſpoſitionibus, non participatur Chriſti meritum ex eiuſdem ordinatione.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt neminem etiam regeneratum & adiutum gratia Dei poſſe hic viuere ſine peccato, eoque mortali. Vnde etiam affirmant nos non poſſe vitare peccatum, quin ipſo inficiamur. Falluntur autem nec aſſequuntur Apoſtoli mentem, qui hæc non eo dixit, vt doceret nos non poſſe eſſe ſine peccato, (ſtatim enim ſubiungit ita: Hæc ſcribo vobis vt non peccatis) ſed vt admoneret nos nunquam debere obliuiſci Dei miſericordiam & Chriſti paſſionem, per quam purgati, liberati & iuſtificati ſumus à peccato, in quo nati & concepti ſumus, vt etiam ab ijs quæ poſtea admiſimus. Quod autem hoc velit docere confirmant quæ ad hunc modum ſequuntur eius verba: Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum, & verbum eius in nobis non eſt. Poſſumus igitur & tenemur ſanctè viuere & vitare omne peccatum, à quo ſumus purgati per Chriſti ſanguinem, ſeruando vſque ad finem iuſtitiam in baptiſmo acceptam, & ſi hoc non fit facilè & ſine labore magno: quia caro infirma, aggrauat & deprimit ſpiritum promptum.

Eiuſdem epiſtolæ ca. 2. ſcribitur ita: *Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud patrem Ieſum Chriſtum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt ſanctos qui ſunt in cœlo, non eſſe noſtros aduocatos & intercesſſores. Nam contra colligere oportet, quòd ſi Chriſtus eſt noſter aduocatus, & pro nobis interpellat in cœlo, etiam ſancti ſeſe ipſi conformantes, pro nobis orant & intercedunt: & ſi lon-

lis coniunctionis inſtituit, manducationem proprij ſui corporis pro nobis crucifixi in memoriam cum gratiarum actione effuſionis ſanguinis ſui. Idcirco Eccleſia quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, vt eſt ab ipſo edocta, recolit ipſius ſacrificium perpetuum, gratias Deo, & ipſi Chriſto omni cum humilitate, charitate, & deuotione agendo, ut hoc pacto ex eiuſdem inſtitutione ipſius paſſionis meritum nobis applicetur. Scimus enim illum dixiſſe, & præcepiſſe, vt hoc in eius memoriam faceremus, id eſt, ipſius paſſionem cum gratiarum actione recoleremus: quòd fit in Miſſa, in qua corpus Chriſti per ſacerdotem verbo Dei conſecratur, Deo offertur, & ſacrificatur in recordationem paſſionis ipſius cum gratiarum actione, pro eadem: & communicatur fidelibus. Hæc enim ſunt tria quæ Miſſæ ſubſtantiam complectuntur, & ex ipſa ſcriptura ſacra confirmationem recipiunt. Non igitur ſacerdotes Miſſam celebrantes Chriſto derogant non eundem denuo interficiunt, nec aliud contra aut vltra verbum Dei, faciunt, ſed ſcripturam Diuinitus inſpiratam ſecuti Chriſti ſacrificium æternum, & infinitum cum gratiarum actione recolunt: vt per eorum miniſterium, illius meritum, & efficacia populo applicetur, ſecundum Chriſti ſolius veri, & ſummi ſacerdotis inſtitutionem, & præceptum. Vide quæ ſcripſimus contra Deſpina: atque etiam tractatum de ſacrificio Euangelico.

Hebræorum 13. capite ita ſcribitur: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Quo loco ignoranter abutuntur qui ex eo colligunt, omnibus planè, cuiuſcunque ſint conditionis, & ſtatus, liberum eſſe, & licere matrimonium contrahere: quare monachos, & ſanctimoniales ad coniugium adigunt. Nam paſſim docet ſcriptura vota Deo facta, eſſe neceſſario reddenda, ni condemnari velimus. Si enim omnibus ex æquo liceret matrimonium contrahere, non dixiſſet Apoſtolus viduas, quæ ſe Deo conſecrarunt, & poſtea uolunt nubere, damnationem ſibi acquirere. & primam fidem irritam facere. Hoc igitur loco Apoſtolus, nec præcipit, nec etiam conſulit omnibus matrimonium, qui prius Corinthijs ſcribens prætulit apertiſſimè perpetuam caſtitatem, & virginitatem matrimonio, ſed docet quanta cum cautione & puritate oportet eos qui ſunt matrimonio coniuncti viuere. Requirit ſiquidem ſuam quoque caſtitatem, & temperantiam

ab

ab omni diſſolutione, & effreni libidine Chriſtianorum matrimonium iuſtum, & legitimum. Hunc autem eſſe germanum Apoſtoli ſenſum docent ipſius quæ ſequuntur ad hunc modum verba, ſcilicet, & thorus immaculatus. Nam certum eſt Apoſtolum noluiſſe dicere atque affirmare in omnibus coniugatis, thorum eſſe immaculatum. Item hæc quæ ita conſequuntur: Fornicatores enim, & adulteros iudicabit Deus. Vetat igitur perſonam matrimonio alligatam, cuipiam alij quàm coniugi ſeſe communicare carnaliter, ſi non uelit à Deo condemnari. Præuidebat enim Apoſtolus quàm impura in multis futura erant matrimonia, in quibus plerumque vigent adulteria, aut etiam prætexuntur, & committuntur effrentes luxus, libidines, fornicationes, & flagitioſa meretricia. Si quis autem putet hanc expoſitionem nouam eſſe, illum rogatum velim vt attentius, & diligentius Apoſtoli ſtilum & ſcopum in hoc capite conſideret, & attendat, Sic enim puto, ſuum calculum nobis addet præſcribit igitur hoc loco Apoſtolus regulam honeſtatis, & caſtitatis, ijs qui matrimonio iuncti ſunt non autem omnibus matrimonium præcipit.

EX EPISTOLA BEATI IACOBI.

IACOBI. 1. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Item: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, &c.* Quibus locis ignoranter abutuntur, qui ex illis colligunt ſolum Deum eſſe rogandum & nullo modo ſanctos: Nam & ſi Deus ſolus eſt fons perennis, à quo fluunt omnia bona, tamẽ ſunt ordinata ab eodẽ media, per quæ nobis ſua bona & dona largitur: cuiuſmodi ſunt præces ſanctorum & electorum tam hic mortalium, quam in cęlo perpetuo viuentium. Illos autem cum oramus, nihil Deo omnium bonorũ largitori detrahimus, quia non ipſos rogamus eo fine vt nobis ea concedãt & largiãtur quæ petimus, ſed vt à Deo, apud quẽ plurimũ poſsũt, ea nobis impetrẽt. Sic legimus Deum regem Amalech miſiſſe ad Abrahamum, promittẽdo ipſi veniam per pręces & orationes ipſius Abrahę. Gen. 20. ca. Sic Iob. 42. Deus remiſit amicos Iob illum rogaturos vt pro ipſis intercederet. Sic autem hoc poſſunt præſtare adhuc mortales & pro ſe ſoliciti: nihil poterunt in cœlo glorioſi? Nemo ſanę mentis profecto hoc dicet. An non etiam noſtras orationes intelligent, qui rerum omnium ſpeculum, Diuinam æternam maieſtatem ſemper intuentur? Sunt ergo ij nobis rogandi qui pro nobis orant in cœlis ſancti: non quidem quia nos magis quam Deus, ament, aut etiam excitentur vt nobis bene velint, qui ſunt perfecti in charitate, ſed vt hoc pacto ſequamur Dei ordinationem, & diſponamur ad recipienda ipſius dona: Dicamus ergo cum Dauide: Leuaui oculos meos ad montes vnde veniet auxilium mihi: Auxilium autem meum à Domino qui fecit cœlum & terram.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc eſt, viſitare viduas & pupillos in tribulatione eorum: & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.* Quem

totum

totum contorte deflectunt & miſere deprauant qui ex ipſo effici volunt, religiones & profeſſiones monaſticas eſſe impias & ſacræ ſcripturæ contrarias. Nam & ſi religioſi non ſemper viſitant viduas & pupillos in neceſſitatibus corporalibus per remedia temporalia, viſitant nihilominus & adiuuant maximè in ſpiritualibus, per extraordinaria & diuina media, pro ipſis orando Deum, à quo eſt omne bonum, & ſine quo neque qui rigat, neque qui plantat eſt aliud. Sic Moyſe orante vincebat Ioſue. Sic Elias & Eliſeus ſæpius tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus, populum iuuerunt: vt etiam faciunt ſancti, qui cum Deo regnant in cœlo glorioſi, vt conſtat Tobiæ. 12. de angelis, &. 2. Machab. 15. de Onia & Ieremia. Magna enim profectò res eſt, & à nimium paucis diligentius euoluta Sanctorum communio, in qua per charitatem (cuius vinculum non frangitur locorum diſtractione) omnia ſunt inter ſanctos communia, vnoquoque quod habet fratri & proximo, eiuſdem ſecum corporis Chriſti membro, communicante & poteſtate largiēte, ſequēdo charitatis, quę nō quęrit quæ ſua ſunt, ſed quæ alterius, regulam. Viſitant ergo, & in neceſſitatibus afflictos plurimum iuuant religioſi: ſed ſuo & longè profectiori modo. Iacobi 3. ca. ita ſcribitur. *Nolite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quoniam maius iudicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes.* Quo loco non intellecto abutuntur, qui ex eo colligunt non oportere eſſe multos doctores & ſacrarum ſcripturarum expoſitores, ſiue legendo, ſiue prædicando, ſiue etiam ſcribendo id præſtent: vt etiam illi, qui omnino eam vocationem & profeſſionem ſanctam damnant. Nam Apoſtolus Iacobus non reprehendit doctorum ſtatum, aut etiam multitudinem copioſam, ſed docet quàm ſit periculoſum & difficile doctorem eſſe in Eccleſia. Debet namque qui ſuſcipit in Eccleſia Dei munus docendi, magna & exquiſita rerum cognitione præditus eſſe, debet rerum experientia valere, & diſcretione ſumma donatus eſſe, vt etiam vitæ puritate nitere & coram ijs, quos docet ſplendere. Hanc doctoris Eccleſiaſtici difficilem curam docuit Chriſtus ſuo facto & exemplo, qui ante annum ſuę ætatis triceſimū, prædicādi munus nō exercuit: qui etiā Mat. 5. c. tradit; oportere prædicatorū & doctorū opera bona lucere corā hominibus. Hoc pacto .n. uerbū Dei cū reuerētia & deuotione excipitur, & cum humilitate atque obſeruatione retinetur. Debet igitur magiſter, paſtor, ſiue doctor, eruditus eſſe, de-

bet

Digitized by Google

bet doctrinam populo ſanam, & bonam proponere, & eandem vitæ ſanctitate confirmare, & veluti condire. Væ enim eſt docto-ri, & magiſtro non docenti, aut malè docenti, aut etiam vita im-pura apud vulgum, ſanam doctrinam negligi, infamari, & blaſphe mari facienti. Damnat igitur Apoſtolus ambitioſorum, & indi-ſcretorum magiſtrorum affectum, non autem magiſterium, docto rum verò ſumum eſſe periculum docet. Nam ſiue agat, ſiue deſi-deat doctor, ſemper eſt in periculo.

Iacobi 5. capite ſcribitur ad hunc modum. *Ante omnia fratres mei, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt nulla ratione licitum eſſe Chriſtianis iurare. Nam hoc non intendit docere Apoſtolus, neque etiam Chri-ſtus, vt in cap. 5. Matt. diximus, ſed potius perdi-ditam, & vulgo receptam iurandi tam per Deum, quàm per creaturas conſuetudi-nem, perſtringit, & damnat. Ex ea enim multa naſcuntur incom moda, vt puta periurium, blaſphemia, Dei æterni con-temptus & irreuerentia, atque multa alia reprehen-ſione imprimis digna. Iurare ergo licitum eſſe Chriſtianis, mo-do ſeruent iurandi legi-timas conditiones. Iurandi autem aſſuefactio, quæ multa affert incommo-da, ſummopere fugienda eſt.

EX PRIORI EPISTOLA BEATI Petri.

PRIORIS Epiſtolæ beati Petri ſecundo capite ſcribitur ad hunc modum. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, &c.* Quo loco prauè detorto, & malè intellecto ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt omnes Chriſtianos ſacerdotes ita eſſe, vt vnus non habeat maiorem poteſtatem, & authoritatem, tam in verbo quàm in ſacramento, quàm alius, à qua etiam verbi Dei, & ſacramentorum poteſtate, nec mulieres ipſas repellendas eſſe uolunt. Falluntur autem. Nam hoc loco non eſt inſtituta diſputatio de ſacerdotio, aut regno miniſteriali, quod ad totam electorum communitatem refertur, ſed de perſonali, quo quiſque debet imperare ſuis concupiſcentijs deordinatis, id eſt, rectæ rationi repugnantibus, eaſque ſacrificare domino Deo, ſecundum quod à Dauide ſcriptum eſt his uerbis: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad Petram. Non omnes igitur paſſim, & ſine diſcrimine Chriſtiani Reges, & Sacerdotes ſunt, quod ad rempublicam, & communem hominum conſociationem ſpectat, ſed quod ad ſe attinet, vt uidelicet offerant Deo ſua corpora hoſtiam uiuentem, & rationabile obſequium, ut docet Paulus Rom. 12. Quod enim ad publicum, tam uerbi Dei, quàm ſacramentorum miniſterium ſpectat, uocatio expectanda eſt: & inſtitutio neceſſario per electionem, & manuum impoſitionem habenda eſt ut Heb. 5. cap. & ad Timotheum docet Apoſtolus Paulus. Quòd autem hic locus de ſacrificio concupiſcentiarum, & deprauatorum animi motuum intelligi debeat, docent, quæ præcedunt hæc uerba. Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, &

omnes

Digitized by Google

omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes rationabiles, & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutē, ſi tamen guſtaſtis, quoniam dulcis eſt Dominus: ad quem accedentes lapidē viuum ab hominibus quidem reprobatum à Deo autem electum, & honorificatum: & ipſi tanquàm lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis in Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtū. Sibi igitur non autem Eccleſię & fideliū cōmunitati, omnes pij Chriſtiani ſunt Reges & Sacerdotes.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Chriſtus pertulit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum.* Quo loco abutuntur, qui præſumentes de infinito merito paſſionis Chriſti, de proprijs peccatis dolore, pœnitentiam agere, ſatisfactionem facere, & pro ipſis afflictionem pati nunquam volunt. Nam tantum abeſt, quòd ſcriptura Chriſti paſſionem proponat, vt doceat nihil nobis eſſe patiēdum, quod eo fine ſæpius eam inducit, vt nos ad ſimiliter patiendum animet & exhortetur. Hoc confirmat manifeſtè locus præſens, in quo ita ſcribitur: Si benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum. In hoc enim vocati eſtis, quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. Paulus Coloſſenſibus ſcribens dicebat ſe adimplere in corpore ſuo ea, quę deerant paſſionum Chriſti ad hoc docendum Rom. 8. ita ſcribebat: Sumus filij Dei & hæredes eiuſdem, Chriſtique cohæredes, ſi tamen cum ipſo patimur, vt cum ipſo glorificemur. Idem docebat Chriſtus cum ita dicebat: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Infiniti autem ſunt ſimiles ſcripturæ loci, quibus percelluntur pernicioſa Libertinorum dogmata, qui Chriſti paſſionem ſuæ nequitiæ & carnis voluptatis velamen faciunt. Eſt igitur Chriſto compatiendum, & pro peccatis ſatisfaciendum, ſi per eius meritum ſaluari volumus. Nam conformitas cum eo in ſanctitate & paſſione neceſſaria eſt. Vnde manifeſtiſſimum eſt eos turpiter errare, qui neceſſariæ nobis cum Chriſto conformitatis obliti, ita colligunt: Chriſtus ieiunauit pro me, & paſſus eſt pro me: ergo nec mihi ieiunandum, nec quippiam patiendum. Nam pari ratione concludendum eſſet, Chriſtus pro nobis reſurrexit, pro nobis cœlos conſcendit, ergo neutro illorum nobis opus eſt. Retineatur igitur cum Chriſto conformitas neceſſe eſt, ſi cum illo beari cupimus. Oportet enim omnes in cœlum per tribulationes intrare.

Prioris

Prioris Epiſt.eiuſdem ca.4.ſcribitur in hunc modum. *Si exprobramini in nomine Chriſti,beati eritis,quoniam quod eſt honoris,gloria et virtutis Dei, ſuper vos requieſcit.* Quo loco perperā intellecto & contra Apoſtoli intentionem detorto abutuntur, qui ex eo colligunt honorandos & laudādos eos eſſe,qui propter hæreſes(quas interim verbum Dei vocitare non erubeſcunt) exprobantur& patiuntur. Nam vt falſo de verbo Dei quod non habent , imò illud ipſum apertè oppugnant, exultant : ita profectò malè gloriantur de ſuis tribulationibus , & pœnis ipſis iuſtiſſimè illatis . Non enim pœna , ſed cauſa facit martirem. Sed Satanas, ad cuius voluntatem dicuntur & impelluntur captiui , eos vſque adeo dementauit (Deo iuſtiſſimè idipſum permittente , qui mittit illis operationem erroris , vt credant mendacio & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati, eligentes potius perire in ſeductione iniquitatis quàm charitatis veritatem recipere vt ſalui fiant)vt nihil durum ipſis videatur ſiue bona , ſiue famam , ſiue etiam corpora perdant. Hoc autem mirarer , niſi conſiderarem quam ſit iuſtum eos quælibet ignominioſa & dura patiendo damnari ſatanæ aſſeclas , ſeruos , mancipia miſerrima & miniſtros infeliciſſimos , qui Deo in Eccleſia credendo & obſequendo , facilè cum ſumma delectatione & gloria ſaluari noluerunt. Hoc autem non mirabitur, qui cantharidis infernalis veneno eos imbutos cum Epiphanio conſiderabit. Quum igitur externa omnia tam bonis quam malis æquè euenire poſſint , non iudicemus beatos & glorioſos illos qui extra Eccleſiam poſiti,quidlibet quantacunque etiam animi alacritate & audacia id faciant, patiuntur. Erubeſcendum tamen interim & profectò dolendum nobis eſt, quòd impijs pro mendacio ardentibus , & nihil non facientibus & patientibus, Chriſtiani interim etiam paſtores non mouentur pro veritate , ſed tepeſcunt, aut etiam omnino frigent omnia ſuſque deque ferentes . Hos etiam Deus iudicabit,qui confeſſionem ſui nominis apertam perit. Mirum eſt autem quod hodie propter ſola temporalia ferè mouemur.

Eiuſdem epiſtolę.5.cap. ſcribitur in hunc modum: *Humiliamini ſub potenti manu Dei,vt vos exaltet in tempore viſitationis , omnem ſolicitudinem veſtram proijcientes in eius,quoniā ipſi eſt cura de vbis.* Quo loco abutuntur miſeri ſcripturarum corruptores,qui vt faueant libertinis & carnalibus hominibus , ex eo colligi volunt non eſſe nobis curæ debere bona aliqua facere,aut pro peccatis admiſſis per

bona

Digitized by Google

Nemo ergo glorietur de merito Chriſti, cui peccatum ſuum in quo perſeuerat placet. Oportet namque eum omnem qui vult Chriſti paſſionis particeps eſſe, ſanctitatem ſectari, ſicut Chriſtus ſanctus eſt. Hoc indicat & docet idem Apoſtolus hoc eodem textu, cum ita inquit: Hæc eſt annunciatio quam audiuimus à Chriſto, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux eſt & tenebræ in eo non ſunt vllæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus. Opus eſt igitur diſpoſitione multa ad participationem ſanguinis Chriſti habenda. Hoc eſt enim quare Chriſtus inſtituit baptiſmum, prædicationem verbi Dei, & varia ſacramenta. Sine talibus enim diſpoſitionibus, non participatur Chriſti meritum ex eiuſdem ordinatione.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt neminem etiam regeneratum & adiutum gratia Dei poſſe hic viuere ſine peccato, eoque mortali. Vnde etiam affirmant nos non poſſe vitare peccatum, quin ipſo inficiamur. Falluntur autem nec aſſequuntur Apoſtoli mentem, qui hæc non eo dixit, vt doceret nos non poſſe eſſe ſine peccato, (ſtatim enim ſubiungit ita: Hæc ſcribo vobis vt non peccatis) ſed vt admoneret nos nunquam debere obliuiſci Dei miſericordiam & Chriſti paſſionem, per quam purgati, liberati & iuſtificati ſumus à peccato, in quo nati & concepti ſumus, vt etiam ab ijs quæ poſtea admiſimus. Quod autem hoc velit docere confirmant quæ ad hunc modum ſequuntur eius verba: Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus Deum, & verbum eius in nobis non eſt. Poſſumus igitur & tenemur ſanctè viuere & vitare omne peccatum, à quo ſumus purgati per Chriſti ſanguinem, ſeruando vſque ad finem iuſtitiam in baptiſmo acceptam, & ſi hoc non fit facilè & ſine labore magno: quia caro infirma, aggrauat & deprimit ſpiritum promptum.

Eiuſdem epiſtolæ ca. 2. ſcribitur ita: *Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud patrem Ieſum Chriſtum.* Quo loco abutuntur, qui ex eo colligunt ſanctos qui ſunt in cœlo, non eſſe noſtros aduocatos & intercеſſores. Nam contra colligere oportet, quòd ſi Chriſtus eſt noſter aduocatus, & pro nobis interpellat in cœlo, etiam ſancti ſeſe ipſi conformantes, pro nobis orant & intercedunt: & ſi lon-

ſi longè eſt alia Chriſti interpellatio ab interceſſione ſanctorum, quæ nihil detrahit officio ipſius mediatoris generalis Chriſti Ieſu. Vult ergo docere, quòd per Chriſtum habemus remiſſionem omnium peccatorum, ſiue præcedentium ſiue ſequentium baptiſma. Vbi etiam complectitur ad eam habendam mediorum ordinatorum obſeruationem. Interea autem ſunt ſepè ſanctorum miniſteria, orationes & ſuffragia. Nam oportet ſanctos adlaborare Chriſto pro ſalute fideliũ. hoc docet beatus Paulus Coloſſ. 1. ca. his verbis: Nunc gaudeo in paſſionibus Chriſti, in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia. hoc figuratum fuit in ingreſſu terræ Chanaam, in qua non ſolus Ioſue figura Chriſti introduxit populum pugnando, ſed cum ipſo omnes pugnarunt & etiam Rubenitæ, qui iam obtinuerunt ſuam poſſeſſionem, in quo ſunt figura ſanctorum qui in cœlis degunt. hoc autem modo nihil detrahitur Chriſto, qui eſt communis mediator omnium qui ſunt in cœlo & in terra. Sed ad hunc mediatorem alij mediatoribus eſt opus.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Chriſtus eſt propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Quo loco abutuntur ignoranter & perniciosè, qui ex eo colligunt ſacro ſanctam Miſſam nõ eſſe ſacrificium propiciatorium, vt etiam peccata non expiari per opera ſatisfactoria per indulgentias, aut denique per ignem purgatorij, & ſuffragia Chriſtianorum. Nam hæc omnia ſunt media, per quę ſanguinis Chriſti expiatio nobis applicatur. Quod enim ad Miſſam ſpectat, quum ea ſit ſacrificium Euchariſticum, & recordatiuum paſſionis Chriſti, & in ea ipſemet Chriſtus cum gratiarum actione Deo offeratur, qui per ſanguinis effuſionem ſeipſum obtulit in cruce. Demiror quo pacto negant aliqui eam eſſe ſacrificium expiatorium, & propitiatorium, quo Chriſti meritum applicatur pro tollendis peccatis tum hic viuentium, tum hac vita functorum. Hæc eſt igitur in hoc loco Apoſtoli ſententia: Quòd ſi peccauerimus, habemus aduocatum in cœlo Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris: quare ad eum accedendum, vt peccatorum remiſſionem conſequamur. Hoc autem faciunt fideles & Dei electi, quando Eccleſiam ſequuti Chriſti meritum ſibi applicari ad expiationem ſuorum peccatorum quærunt in ſacrificio Miſſæ potiſſimum, vbi ipſe Chriſtus offertur & communicatur, & etiam in ſacramento pœnitentię, & alijs modis in catholica Eccleſia conſuetis, & pijs Chriſtianis ſatis cognitis.

Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſdem Epiſtolæ cap. 5. ſcribitur ad hunc modum. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra*. Item: *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis quoniam vitam habetis ęternam qui creditis in nomen filij Dei.* Quibus locis perniciosè abutuntur, qui ex illis effici volunt ſolam fidem etiam ſine bonis operibus ſatis eſſe ad ſalutem. Nam hoc loco Apoſtolus nullo pacto loquitur de illa fide, & nuda perſuaſione, de qua tantopere gloriantur, & cur præfidunt neſcio qui uoluptatum amatores, magis quam Dei, ſed de vera fide viua, & ſalutifera, ea videlicet quæ per charitatem operatur, quæ ſola victoriam conſequitur. Hunc autem eſſe Apoſtoli ſenſum, & ſcopum indicant hęc ipſius verba: Omnis qui credit quoniam Ieſus Chriſtus ex Deo natus eſt: & omnis qui diligit eum qui genuit, diligit, & eum qui natus eſt ex eo. In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus. Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt. Quoniam omne quod natum ex Deo eſt, vincit mundum, & hæc eſt uictoria quæ uincit mundum, fides noſtra. Quia igitur fide iam hic concipimus futura atque æterna bona Dei electis præparata. Idcirco animamur ad pugnandum contra mundum, vt ea conſequamur, & ſic per fidem vincimus. Sic Paulus dixit quòd ſancti per fidem vicerunt regna. Fuſius de hac re ſcripſimus in libro qui in ſcribitur Triumphus, & victoria fidei.

Ibidem ita ſcribitur: *Filioli, cuſtodite vos à ſimulachris*. Quo loco perperam expoſito apertè abutuntur, qui ex eo colligunt tam imagines, quam earum cultum, inter Chriſtianos tolerari non debere. Nam manifeſtum conſpicuumque eſt hoc loco beatum Ioannem non de imaginibus, ſed de idolis ſermonem inſtituiſſe. Sequamur igitur Apoſtoli præceptum nos cuſtodiendo ab idolis, ſed interim fugiamus hæreticos, qui imagines ſanctorum damnant, & reijciunt earum vſum ſanctum ab Eccleſia præſcriptum amplexando. Non enim hic damnantur imagines erectæ, religionis gratia, ſed infidelium, & impiorum idola. Plura de ha re diſſerimus in libellis de Imaginibus, & de adoratione.

EX DIVINA BEATI IOANNIS Apocalypſi.

APocalypſis primo capite ſcribitur ad hunc modum, *Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Quo loco, & ſimilibus perniciosè abutuntur, qui inde colligunt nihil præter fidem paſſionis Chriſti pro nobis factæ, ad ſalutem requiri: ſimul etiam Deum non curare quomodo viuamus dummodo fidamus paſſioni Chriſti, vt ipſius iuſtitia nobis etiam omni vitiorum labe aſperſis, imputetur. Nam ideo, & hic, & alibi refert ſcriptura ſacra Chriſtum pro nobis mortuum, & factum nobis eſſe iuſtificationem, redemptionem, & ſanctificationem: vt ad Dei miſericordiam, & ad ipſius Chriſti meritum, noſtram ſalutem referamus, non autem quòd benè operari, ſanctè viuere, peccata vitare, verbum Dei audire, ſacramenta recipere, & reliqua Eccleſiæ catholicæ decreta ſequi nobis neceſſarium non ſit. Ideo enim abluti ſumus, vt poſtea non inquinemus, & Deo qui nos ſanctificauit ſeruiamus, in ſanctificatione, & iuſtitia omnibus vitæ noſtræ diebus Quare omni via, & ratione ſunt nobis fugiendi voluptarij libertini, qui habent paſſionem Chriſti velamen ſuæ nequitiæ, fruſtra gloriando de imputata ſibi iuſtitia, & ſanctificatione, cum peccatis, & ſceleribus onerati, & voluptatibus mundi delibuti turpiſſimè viuant, ſibi interim placendo, & perniciosè adulando in perſuaſione pernicioſiſſima qua putant, aſſerunt, præfidunt, & præſumunt non ſibi imputari, quibus obſtringuntur peccata, quia credunt in Chriſtum. Hos vbique damnat ſcriptura, quæ in Chriſtianis in exiſtentem requirit iuſtitiam, & ſanctificationem, uitato omni peccato per gratiam quam merito Chriſti recipiunt. Eſt .n. uoluntas Dei ſanctificatio noſtra: & qui ſperat in eo, debet ſe ſanctificare, ſicut ille ſanctus eſt. Hæc plenius diſputa-

uimus

Digitized by Google

timus in libello qui inſcribitur. *La maniere de cognoiſtre ſaluairement Ieſus Chriſt.*

Ibidem ſcribitur ad hunc modum. *Chriſtus fecit nos Reges, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* Quo loco ignoranter, & pernicioſe abutuntur, qui ex eo effici, & doceri uolunt, quod in regimine, & gubernatione tam Eccleſię, quam politię, omnes ſunt partes, & ſiue ſint viri ſiue fęminæ eandem habent prorſus omnes poteſtatem, tam in verbo, quam in ſacramentis, atque in omni adminiſtratione politica. Hoc nanque loco non eſt inſtitutus ſermo de regno ſiue Sacerdotio externo, & miniſteriali, ſed de interno, & ſpirituali perſonalique; quo videlicet omnes ſunt per Chriſtum Reges, & Sacerdotes, regno, & ſacerdotio quod ad ſe in ordine tamen ad Deum, non autem ad proximum in communitate, & republica refertur, & ſpectat. Intelliguntur ergo Reges illi, qui Chriſto inſiti in ſeipſis regnant, obediente rectę rationi appetitu, quia adiuuantur gratia Dei, per quam peccatum, mortem, & infernum calcant, quod beatus Paulus vocat non dominari in illis peccatum. Sic etiam illi dicũtur eſſe Sacerdotes, quia apud Deũ per Chriſtũ unicum Dei, & hominũ mediatorem cuius ſunt membra, & ſerui imò ẽt fratres, & amici, acceſſum habent ſecurum, & familiarem, ipſiq; offere poſſunt accepta & grata dona, ſ. prauorum affectuum mortificationem, verũ, & neceſſarium ſingulorum Chriſtianorũ ſacrificium, quod figurabatur in lege veteri, per immolationẽ beſtiarum quę irrationales erant, vt praui, & deordinati concupiſcentię affectus rectę rationi aduerſantur. De tali ſingulorum Chriſtianorũ ſacrificio, loquitur B. Paulus Rom. 12. c. his verbis: Exhibete corpora veſtra hoſtiã uiuẽtem, &c. Et beatus Petrus prioris epiſtolę capite ſecundo, cũ ita inquit: Aedificamini tãquam lapides uiui, domus ſpiritualis in ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. ex verbo igitur Dei edocti, agnoſcamus duplex ſacerdotium, ſicut etiam regnum ſcilicet internum ſeu perſonale, atque externum publicum, & miniſteriale. Chriſtus nos omnes fecit ſacerdotes interno, perſonali, & ſpirituali ſacerdotio, quo ad nos uidelicet, vt offeramus corpora noſtra ſpirituales hoſtias, vt ſcribitur Rom. 12. cap. 1. Petri 2. Eccleſiaſt. 35. Pſalm. 49. & 50. Sacrificium etenim Deo gratum eſt ſpiritus contribulatus, & attendere mandatis Domini. Quòd ſanè ſacrificium debent, & poſſunt facere Deo (qui eidẽ, & nõ ſibi ipſis viuere debẽt) omnes Chriſtiani, cuiuſli-

-bet ſexus,& conditionis ſint,in recognitionem,& atteſtationem ſupremi ipſius dominij. Ab eo autem cum ſit omne bonum, non tantum ſpirituale,& internum,ſed etiam viſibile,& externum,nulla in lege ſolo interno, & ſpirituali contentus fuit ſacrificio, ſed externũ quoque voluit. Vnde quicunque literas ſacras,& aliorum quorũlibet ſcripta diligenter legere volet,is facilè comperiet omni tempore hæc tria,ſ. legem,ſacerdotium,& externum ſacrificium,coniuncta fuiſſe:atque etiam duo poſtrema magis vel minus perfecta, pro ratione legis, cuius tempore fuerunt,extitiſſe videbit. Quare cum lex Euangelica ſit omnium perfectiſſima, oportet quoque eam habere perfectiſſimum ſacerdotium,& perfectiſſimum ſacrificium externum. Hoc autem ita eſſe inde palam atque dilucidum fit, quod Chriſtus ſummus,& æternus Sacerdos pontifexque, noſtrum miniſteriale ſacerdotium inſtituit,& ſeipſum verũ & æternum legis Euãgelicæ ſacrificium,ipſis Euangelicis ſacerdotibus ordinatis,pro tota Eccleſia continuè offerendum in remiſſionem peccatorum, & gratiarum actionem reliquit,quando cœna ritu Iudaico facta, Chriſtianorum communionem in proprio ſuo corpore inſtituens ſolis Apoſtolis (quos etiam tunc ſacerdotes ordinauit)dixit hoc facite in meam commemorationem,loquens de ſui corporis conſecratione, oblatione, & communione, ut ex ipſa litera manifeſtiſſimum efficitur: Non ergo omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes hoc modo, vt etiam clarum eſt ex Epiſtolis Apoſtoli Pauli ad Timotheum, & ad Titum: & ex ordinatione ſacerdotum ab Apoſtolis ſæpius per manuum impoſitionem facta, quæ ſanè opus nequaquam eſſet, ſi omnes ex æquo ſacerdotes eſſent. Errant igitur apertè, & ſacram ſcripturam pernicioſe deprauant ad ſuam, & aliorum perditionem, qui omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes, & eandem tam in verbo Dei quàm in ſacramentis poteſtatem habere affirmantes, ſine ullo diſcrimine uerbi, & ſacramentorum, miniſtros ſibi eligunt prurientes auribus in ſuis cœtibus ſeditioſis, & maximè in ſua abominabili cœnula (quam falſe, & malè Dominicam cœnam eſſe clamitant) facienda. Vbi videant ſi uolunt ſi non apertè idololatriam incurrunt. cum uidelicet ex Chriſti inſtitutione corpus eius non poſſit conſecrari, niſi ab ordinatis miniſtris: tribuunt etiam ſuam ſalutem puræ creaturæ, quod ſine abominabili idololatria, & blaſphemia fieri non poteſt. Notandum eſt autem(vt ad Apoſtolum redeamus)quod artificioſe coniũ-

xit

Digitized by Google

xit hęc duo, ſcilicet Reges & Sacerdotes, vt etiam beatus Petr qui appellauit Chriſtianos regale ſacerdotium. Nam Reges quidem fuerunt omnes qui rectè & conuenienter rationi vixerunt vt Philoſophi, nō autem ſacerdotes fuerunt, quia videlicet eorum opera accepta Deo non erant, eo quod vnico mediatori Chriſto non innitebantur. Sunt autem Reges Chriſtiani qui liberati à tyrannide peccati, poſſunt rectè viuendo illud vitare: Sunt etiam ſacerdotes, quia eorum vita eſt accepta Deo ad vitam æternam. Vbi aduerte: quam apertè Chriſti meritum imminuunt, & verbo Dei aduerſantur, qui dicunt hominem Chriſtianum non poſſe eſſe ſine peccato, nec mandata Dei obſeruare valere, aut facere opera Deo grata, quibus reddat vitam æternam. Hæc enim dicere, eſt negare Chriſtum nos feciſſe Deo & patri Reges, & Sacerdotes. Hoc notabit & diſpiciet qui volet aut etiam per Dei gratiam poterit.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Ego ſum primus, & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis, & inferni.* Quo loco ignoranter & perniciosè abutuntur, qui ex eo colligunt ſacerdotes & prę latos quoſlibet Eccleſię velle rapere claues de manibus Chriſti, cum hominibus peccata remittunt. Sacerdotes enim veri Eccleſiæ miniſtri, illam peccata dimittendi poteſtatem, clauibus ſignificatam, Chriſto cuius ſe miniſtros eſſe omnino profitentur, acceptam referunt. Is enim ſolus per authoritatem vt Deus, & ex illa à patre mundum iudicandi data poteſtate quatenus homo omnes iudicat, peccata dimittendo vel retinendo. Verum expreſſe etiam tradit ſcriptura ſacra ipſum Chriſtum illam poteſtatem ſuis Apoſtolis & reliquis eorum ſucceſſoribus pręlatis Eccleſię commiſiſſe, vt ſcribitur Matth. 16. & Ioan. vigeſimo capite.

Vt autem hęc facilè intelligantur, ſciendum eſt, quòd quia cęlum clauditur & infernus aperitur per peccatum & pœnam peccato debitam, ideo poteſtas remittendi peccata quo ad culpam, vel quo ad pœnam dicitur clauis. Talis autem poteſtas eſt in Deo principaliter & per auctoritatē, Et ideo is ſolus dicitur habere clauē auctoritatis: In chriſto autē homine eſt hæc poteſtas per meritū paſſionis, & ideo dicitur habere clauem excellentiæ. Quia etiam in Sacramentis Eccleſiæ cauſaliter & efficaciter cōmunicatur nobis meritū paſſionis Chriſti, Ideo miniſtri Eccleſiæ ſacerdotes ordinati, legitimi ſacramentorum diſpenſatores, habent poteſtatem remittendi peccatum,

Digitized by Google

aperiendi cœlum, & claudendi infernum, ſed per modum miniſterij, & diſpenſationis; quare talis illorum poteſtas uocatur clauis miniſterialis. Hoc autem faciunt ex Chriſti inſtitutione, & ordinatione, quam omnes ſequi debent: quare non cenſentur in Eccleſia militante, alicui remiſſa eſſe peccata, niſi ſacerdos virtute clauium ipſum abſoluerit. Hoc clarè docetur Matt. 16. & Io. 20. Non ergo eripiunt claues Chriſto domino, ſummo, & vero æternoque Sacerdoti ipſius in Eccleſia militante miniſtri, & vicarij ſacerdotes, cum hominibus pœnitentibus, & peccata ſua ipſis confitentibus, & accuſantibus tamquam conſcientiarum iudicibus, delicta remittuntur, ſed ſequuntur Chriſti inſtitutum, & præceptum, qui acceptam à patre peccati dimittendi poteſtatem, & homines omnes iudicandi facultatem, de qua ſcribitur Ioan. 5. his verbis iam pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, Prælatis ipſius loco Eccleſiam uiſibilem cum ſacramentis viſibilibus, gubernantibus, & adminiſtrantibus dedit, atque communicauit. Hoc ipſum apertè eiuſdem Chriſti hæc quæ ſequuntur verba Ioan. 20. atteſtantur: ſicut miſit me pater, & ego mitto uos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Qui ſanè locus non poteſt intelligi de ſola prædicatione uerbi Dei, quia Apoſtolos iam prædicatum miſerat, & ipſis aperuerat ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, ſed propriè accipi debet de poteſtate remiſſionis peccatorum. Miniſtri autem Eccleſiæ duas habent claues, ſcilicet ſcientiæ, & iuriſdictionis. Clauis ſcientiæ, & poteſtas decernendi, & ſtatuendi in Eccleſia ea dogmata, & præcepta, quę omnes Chriſtiani tenentur obſeruare, niſi velint Deum offendere, & eiuſdem ordinationem cõtemnere. Clauis autem iuriſdictionis, eſt poteſtas puniendi, eos qui à veritate, & rectitudine legis deuiarunt. Hæ autem claues ſunt in ſola Eccleſia catholica, & quidem ijs ſolum paſtoribus traditæ, qui in ea legitimè ſunt ordinati, & tenent caput ex quo totum corpus in Hierarchia Eccleſiæ per iuncturas, & nexus conſtruitur, & adminiſtratur, vt ſcribitur Ephe. 4. cap. & Coloſſ. 2. certo igitur tenendum eſt in ſola Eccleſia catholica haberi poſſe peccatorum remiſſionem, & quidem per media à Chriſto ipſo, qui per ſacerdotes ſacramenta diſpenſantes, & miniſtrantes peccata remittit, ordinata. Quare quicunque in ipſa Eccleſia catholica quæ per ſanctos Apoſtolos fundata eſt, & dicitur vulgò Romana: in qua fides ſincera, &

religio

Digitized by Google

religio vera ſecundum domini Chriſti promiſſionem ſemper perſe-
ueraurit, & uſque in finem perſeuerabit, recta, & ſincera intentione non manet, nulla ratione claues habere poſſunt, id eſt nullam prorſus habent auctoritatem in verbo Dei, aut in Sacramentis. Quicquid etiam dicant, aut faciant, neminem poſſunt, aut in Eccleſiam Chriſti, in qua non ſunt, imò aduerſus eam pugnant, intromittere, aut etiam ab eadem expellere. Spiritus namque viuificantis, abſciſſa membra participia eſſe non valent. Vnde manifeſtum euadit, quòd extra Eccleſiam, accepta ſacramenta ſalutaria non ſunt. Etſi igitur baptiſma aliquando poſſunt conferre hæretici, nunquam tamen gratiam, quæ extra Eccleſiæ Chriſti corpus non datur conferunt. Sunt igitur infœlices, & miſerrimè decepti, qui extra Eccleſiam catholicam Chriſtianam religionem profiteri tentant Deo apertè rebelles. De clauibus tractatum eſt fuſius in ijs, quæ de indulgentijs ſcripſimus.

Apocalyp. 14. cap. ſcribitur in hunc modum. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo enim dicit Spiritus vt requieſcant à laboribus ſuis*, Quo loco abutuntur; qui ex eo concludunt nullum eſſe purgatorium poſt mortem, ſed omnes planè ſtatim, vel ad cœlum conſcendere, uel inferno occludi. Nam hoc loco fit tantum eorum mentio, qui ſanctè vixerunt, & mandata Dei obſeruarunt, pro quibus non eſt purgatorium, ſed pro imperfectis Chriſtianis, qui, & ſi fidem non negarunt, tamen terrenis nimium adhęſerunt. Hunc autem eſſe germanum huius loci ſenſum, indicat textus ipſe qui habet ad hunc modum. Hic eſt patientia ſanctorum, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu Chriſti. Deinde ſequitur ita: Et audiui vocem de cœlo dicentem mihi, Scribe beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis. Opera enim illorum ſequuntur illos. Serua ergo Dei mandata, & nullum patieris poſt mortem purgatorium. Sunt autem tria mortuorum genera, ut docet beatus Paulus primæ ad Corinthios tertio capite: fuſius de hac re egimus in tractatu de purgatorio.

Ibidem ſcribitur ad hunc modum: *Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, hic bibet de uino iræ Dei, quod mixtum eſt merò in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu agni: & fumus tormentorum eius aſcendet in ſecula ſeculorum*. Quo loco ut etiam tot

Digitized by Google

hoc Diuino, & admirabili diſcurſu perniciosè, & malitiosè abutuntur, qui inde colligunt profeſſores religionis antiquę in Eccleſia catholica, quæ pontificem Romanum beati Petri ſucceſſorem,& Chriſti Ieſu in Ecclefia militante vicarium habet,& agnoſcit,eos eſſe quorum interitus acerbiſſimus futurus hic deſcribitur. At toto cœlo à ſatana infaſcinati, & deluſi errant, cæci miſeri, & impudentes. Hic autem non parum profuerit aduertiſſe aſtum ſatanæ,qui vt facilius incautos decipiat,& omnia conturbet,& peruertat, ea ſolet ſibi, & ſuis tribuere quæ Dei ſunt,& Eccleſiæ:contra verò quæ de ipſo, & ipſius factioſa impuraque ſynagoga ſcriptura refert ea veris Chriſtianis,& catholicæ Eccleſiæ affingit. Hinc enim eſt quòd ſimia illa veritatem,& ſinceritatem ſcripturæ atque puritatem Sacramentorum,ſuæ factioni ſoli tribuit: Contra verò Eccleſiam catholicam (quam Babylonem eſſe ſuis perſuaſit) nihil niſi impurum,ignorans, indoctum, idolatricum,& planè impium habere omni oratione vt homines exiſtiment,contendit. Ideo ſiquidem veros Chriſtianos,papiſtas,& idolatras,Papam,id eſt primum Eccleſiæ Chriſti miniſtrum,Antichriſtum:doctrinam chriſtianam,mendacium,humanam inuentionem,& impietatem: Eccleſiam,Babylonem: Chriſtum denique ipſum in hoſtia ſacra,idolum vocat:contra uerò ſuam impiam factionem,& ſynagogam,Dei veram Eccleſiam:ſuum Sardanapaliſmum,libertatem Euangelicam;ſuum mendacium,Euangelium,verbum Dei purum & ſalutarem doctrinam: ſuæ impietatis, & mendacij profeſſores, verè pios Dei filios atque electos,fideleſque eſſe conclamitat,& detonat.Sic enim ſe tranfigurat in angelum lucis ſatanas, & induit ſe ouium veſtimentis lupus iſte rapax,vt palpum leuibus,& incautis,maximè autem carnalibus hominibus,obtrudat, eos ita infaſcinando,vt prætextu Chriſti,Eccleſiæ, & ueri Euangelij omnem impietatem atque impuritatem amplexentur, & miſerrimè conſectentur. Hoc igitur ſumma cautione,& diſpicientia opus eſſe aduertant Chriſtiani, & quidem maximè hoc funeſtiſſimo tempore, quo omnes propemodum homines,vel impietate, vel impuritatè, vel etiam vtroque ſimul obſtrictos,& aſperſos uidemus. Non ſiquidem ita eſt cuibet ſtatim facilè ſatanam tam pulchrè transfiguratum, agnoſcere, & eiuſdem deluſionem uitare. Vſque adeo omnia enim turbata confuſaque habemus, ut ſincerus chriſtianiſmus uix appareat, & tanquam paruula ſcintilla inter abuſum Papiſtarum (quos uocant) & hæreticorum

errores

errores inſanos & impia deliramenta tantillum illuceat. Pluſquam igitur linceis opus eſt oculis, vt diſcernere poſſimus ipſam purã, vt primum eſt inſtituta,& à ſanctis patribus viſitata, religionem chriſtianã. Nã qui religionis antiquæ poſſeſſione ſeſe tuentur, aut parũ aut nihil ſua uocatione dignũ pro officio præſtãt, vt ẽt qui de reformatione tãtopere gloriantur,& ſuperbiũt,nullũ prorſus adhibẽt modũ,abbadoniſtæ,& Appollioniſtæ quã reformatores uerius cenſendi,& dicendi. Euertũt.n. vel etiã nũ euertũt oĩa quæ ſunt religionis pietatis,nullo aũt pacto iuſtæ reformationi ſtudent aut incumbunt. Væ,væ cũ abominatio deſolationis ſedebit in loco iſto. Sed ut undę digreſſa eſt, eo ſeſe noſtra referat oratio, certũ eſt atq; manifeſtum eos nequaquam aſſequi Euangeliſtę noſtri ſenſum,& mentem, qui per Babylonem,& meretricem Eccleſiam Romanam: atque per beſtiam, Pontificẽ Romanũ Papã vulgo honoris gratia nuncupatũ cũ alijs Epiſcopis intelligunt,& exponunt. Hæc aũt vt piè, & uerè cognoſcantur ſic meo iudicio ſunt accipienda, ut ſcriptura de impijs, & ſatanicis hominibus ſolet loqui. Quũ igitur Spiritus ſanctus per ſcripturas ſacras ſæpius doceat oĩa confuſione,& perturbatione plena eſſe, vbi Deus nec verè agnoſcitur nec purè colitur, & piè recognoſcitur,nõ dubito per Babylonẽ intelligendũ eſſe vniuerſam impiorũ multitudinẽ, id eſt ſatanã cũ omni ſua ſynagoga quæ ſemper Deo aduerſatur, & cæca caligine ignorationis obducitur confundi turve:Nõ mitius imò longè magis quã inſolẽs,ſuperba atq; impia illa gigantũ multitudo quæ turrim Babylonicã extruit, quã cœlũ attingere ſua arte, & ueluti expugnare, ſuo Marte tentauit. In hac autem Babylone, magna, id eſt confuſa cunctorum impiorum multitudine ingenti. An non manet, & ſedet deformis illa, & multis tam cornibus quam capitibus prodigioſa beſtia? manet ſanè, & ſedet. Quid enim beſtia aliud eſt quam illorum improuida multitudo qui ad morem beſtiarum viuentes, nec virtutem nec rationem, nec Deum ipſum curant? Gaſtrolatræ igitur voluptuarij, carnales, terreni,& quicunque cœleſtia, & Diuina non ſapiunt, beſtia ſunt, omneſque in Babylone, id eſt in confuſione perturbatione,ignoratione,& impuritate degunt. Impios autem carnales terrenos,& impuros homines beſtia dici tã Diuina q̃ humana teſtãtur eloquia. Hoc nãque ſenſu Chriſtus Dominus precipiebat ſuis Apoſtolis ne darent ſanctum canibus, & ne propijcerent margaritas antę porcos. Hinc in Daniele, corrupti homines etiam reges per beſtias

ſtias deſignantur. Sic Philoſophi, & ſapientes antiqui, in varias belluas homines corruptos fuiſſe mutatos ſcripſerunt. eo ſcilicet fine, vt nos docerent homines deprauatos, & corruptos, beſtias, quarum more viuunt, quam homines melius, & verius dici. Quia autem varia ſunt, & multum differentia vitiorum genera, ideo hoc loco beſtia multis, & cornibus, & capitibus prodigioſa hominum animalium, carnalium, & beſtialium, magis quàm rationalium multitudinem ſignificat refertque. Non caret autem myſterio, quod draco dedit virtutem, & poteſtatem ſuam magnam beſtiæ: Nam Diabolus plus Eccleſiæ Dei, & electis per homines reprobos nocet quàm per ſeipſum. Perſequitur igitur Dei Eccleſiam ſatanas per beſtia, id eſt per homines impuros, carnales, & corruptos, qui vix quieſcunt, & dormiunt niſi prius malefecerint. Habent autem characterem beſtiæ, & adorant beſtiam, coluntque ipſius imaginem quicunque impiè agunt. Nam cultus magis in actione, & operatione quàm in verbo, & perſuaſione collocatus eſſe & conſiſtere iudicari debet. Sunt igitus in Babylone, & beſtiæ characterem habent, eiusque imaginem adorant quicunque Dei omnipotentis mandata negligentes, ſibi viuunt philaſti carnis concupiſcentiã ſequentes, animales, carnales, Spiritum Dei non habentes, nec cęleſtia, & Diuina ſapientes aut quærentes, ſed quæcunque ſuæ impiæ perſuaſioni affectionique aduerſantur, deridentes, contemnentes, & apertè blaſphemantes. Quæ enim ignorant impij blaſphemant.

Sequitur meretrix quæ ſedet ſuper beſtiam, eiuſque myſterium. Tale autem mulieris ſuper beſtiam ſedentis videtur eſſe myſteriũ, vt ipſa ſignificet apertam, violentam, & impudentem impietatis atque impuritatis profeſſionẽ. Vt .n. fidem, & impietatem internã ſequitur externa ſancta confeſſio, ita ſane internam impietatẽ, & corruptionẽ externa ſua profeſſio. Quæq; namque arbor profert fructũ ſuum. Non caret autem arcano, & myſterio, quòd publicam, & externam impietatis impuritatiſque profeſſionem per mulierem meretricem deſignat. Mulier namque fornicaria, quæ frontem perfricuit, nihil eſt petulantius, nihil impudentius, nihil ſagacius, nullum malum præſentius, nihil violentius, nihil obſtinatius, nihil impurius, nihil æquè impium, nihil fallacius, nihil ad omnia bona corrumpenda aptius, nihil ad omnia mala inuehenda, & prouehenda callidius, & ardentius, nihil denique ad omnia perdenda, pertur-

banda & funeſtanda ſatanicum magis, vt contra, vix comperias muliere ſenſata, caſta & pia quippiam religioſius, honeſtius, amabilius, delectabilius, gratius & quandoque magis pium. Mulier autem iſta, ſedet in aquis, & inebriat Reges & Principes terræ de poculo fornicationum ſuarum, quia prauam voluptarie viuendi & iniquè agendi conſuetudinem facilè omnes ſequuntur, tam principes quàm populi: magis autem id faciunt diuites & nobiles ſuperbi, qui ſunt Dei mandatorum ſępius contemptores. Nemo igitur de priuato loco aut de priuata perſona beſtiam meretricem, aut etiam Babylonem exponat. Nam quemadmodum dicitur mulier ſupra ſeptem montes ſediſſe, ita quoque ſupra aquas reſediſſe. Ad Babylonem enim ad beſtiam & ad meretricem ſpectant, quicunque non cuſtodiunt Dei mandata & fidem Ieſu Chriſti. Omnes autem qui ſunt ſemen mulieris ſanctæ, veri Chriſtiani, & non ſpurij, Eccleſiæ catholicæ filij, cuſtodiunt mandata Dei, habent teſtimonium Ieſu, cum quo ambulant ſemper in albis fugientes Babylonem, beſtiam & meretricis illicia pernicioſaque ipſius poculi philtra. Hos tandem liberabit & victores efficiet verbum Dei, quo quicquid eſt impietatis, ignorationis, abuſus atque impietatis, funditus tolletur. Tale eſt igitur Babylonis myſterium ad quam ſpectant cuiuſcunque ſexus, conditionis, & nationis ſint quicunque impiè & impurè agunt, vt in domo Dei, Eccleſia Chriſti ſponſa cuſtodiuntur, quicunque verè credunt, & factis actionibuſque bonis & ſanctis ſuam veram fidem atteſtantur & oſtendunt. Quare nihil ad rem proferunt, qui hæc de ciuitate Romana & pontificia dignitate propriè, & priuatim exponunt: non quod diffiteri velim ex Romanis & ciuibus & pontificibus quoſdam ad Babylonem, ad beſtiam, & ad meretricem fornicariamque illam magnam attinere. Certum eſt enim ſatanam ſemper operari myſterium iniquitatis, tamen oportet vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Væ uæ igitur Eccleſiæ militanti quando abominatio deſolationis ſedebit in loco ſancto. An non autem plures per quos deſolatur (quia non iuuatur) Eccleſia uitam abominabilem degunt? reſipiſcendum ſanè aut prorſum pereundum. Nam niſi aliter Eccleſiæ myniſterio prouideatur, de repu. & regno actum eſſe puto. Pœniteant ergo mundi principes, per quos inutiles ad Eccleſiaſticas dignitates ſunt erecti. quos ſi deponi curent, rem Deo gratam & reipublicæ vtilem vel etiam neceſſariam facient.

Apo-

Apocal. 19. c. ſcribitur ad hunc modum: *Et cecidi ad pedes eius ſcilicet Angeli, vt adorem eum, & dixit mihi. Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora.* Quo loco ignoranter abutuntur, qui ex eo colligunt nullum honorem eſſe ſanctis tribuendum ſicut etiam angelum bonum non eſſe ſingulis Chriſtianis honorandum aut orandum, Nam & ſi per humilitatem omnibus ſanctis, communem, omnem gloriam Deo tribuendam voluit, & id docuit beatum Ioannem Angelus, non tamen ſequitur quòd malè egerit Apoſtolus, qui procidit ante Angelum, honoris, & gratiarum actionis ergo. Nouerat ſiquidem Angelum quem honorare ſeu adorare (nam hæc vocabula ſunt ſynonyma in ſcriptura) volebat, non quidem vt Deum, ſed vt angelum Dei, & magnorum myſteriorum reuelatorem: nouerat etiam alium eſſe honorem Dei, & alium Angelorum. Vterque ergo rectè fecit: Ioannes quidem Angelorum Dei miniſtrum honorando: Angelus etiam honorem omnem ad Deum omnium bonorum largitorem ſuum vtriuſque Dominum referendo. Simile quid faciunt viri probi quotidie qui quum vident ſe honorari, tum referunt apud ſe omnem talem honorem, ad Deum omnis boni fontem & largitorem: aut etiam verbis profitentur & affirmant, non ſibi ſed Deo talem laudem deberi. Si enim quis laudetur quòd caſtè vixerit, quòd hominem ſanarit, quòd benè prædicarit, tum ſolet reſpondere: laus ſit Deo, & non mihi. Idipſum ſanè eſt quod hoc loco reſpondit Angelus: cuius hæc ſunt verba: Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ: quaſi dicat: Non ego ſum tibi auctor harum reuelationum magnarum, ſed Deus ipſe, quare illi gratias agito. Hic etiam notandum quoſdam Angelos quibuſdam hominibus inferiores eſſe. Ideo enim forſan ita ſubiunxit Angelus: Conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.

Apoca. 22. cap. ſcribitur ad hunc modum: *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius: Si quis appoſuerit ad hæc appo-net Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis, libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta: & de ijs quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Quo loco perperam expoſito abutuntur, qui inde colligunt Prælatos Eccleſiæ nihil prorſus in Eccleſia docere & proponere debere, quod non ſit expreſſum in ſcriptura ſacra. Nam hoc loquitur

tan-

Digitized by Google

tãtũ Apoſtolus de additione,aut diminutione libri huius,cuius tãta eſt diuinitas,& perfectio,vt à nemine ipſi demi,aut addi debeat:aut citra iniúriam poſſit. Hunc eſſe præſentis loci ſenſum indicant hęc verba, libro iſto. Ibidem hæc: & verba prophetiæ eius. Non vult ergo prohibere aliquid aliud ſcribi, aut prædicari, quod hoc libro non contineatur, ſed hunc librum planè Diuinum, ita conſeruandum eſſe, vt traditus eſt monet, ne videlicet tantilla etiam additione,aut diminutione deprauetur tanta, & tam Diuina hæc prophetia & reuelatio. Cædo præterea, ſi non multa docuit, ſcripſit & prædicauit Apoſtolus, quæ hoc libro non continentur? Hic igitur locus, & ſimiles admonent non eſſe populi addere, aut demere de doctrina a Deo per Prælatos Eccleſiæ tradita & reuelata, aut etiam eam ſuo ſenſu exponere, ſumere & profiteri, ſed ſequi eos debere, quos dedit illi Dominus prælatos, paſtores & doctores. Cum autem populum dico, more ſcripturæ eos omnes accipi volo, qui non ſunt vocationis Eccleſiaſticæ: hinc enim eſt, quod ſemper tales laici, id eſt homines ad populum pertinentes ſunt appellati. Quare hæretici, qui relicto verbo Dei in Eccleſia catholica, ſequuntur ſpiritum ſuum, & ambulant in ſuis adinuentionibus, hoc loco percelluntur: vt etiam eo, qui ſcribitur Galatarum prımo capite & Deuterouo. dnodecimo. Hi enim ſequentes Core; Dathan, & Abyron, Deo in perſona prælatorum Eccleſiæ ſunt rebelles, & pœna extrema digni, vt illi.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PERORATIO OPERIS.

OBnixe rogatum te velim (Chriſtianè lector) vt ſi præter notatos à nobis hos locos (quos dante Deo in noſtris biblicis, tam Latinis, quàm Gallicis, plureis ſignabimus, & lucidiores efficiemus) in toto ſacrorum Bibliorum ampliſſimo volumine alij comperiantur, vt multi eſſe poſſunt, qui ab hæreticis ſancta quæque deprauantibus, & blaſphemantibus, corrupti aut obſcurati, & contorti, tibi in materia fidei ſcriptum inijciant, aut negotium faceſſant, de ipſis nos commonefacias. Inſtituimus ſiquidem defendere, & per Dei gratiam quibuslibet palàm facere vniuerſam ſcripturam ſacram nulla in re antiquæ, & Catholicæ religionis, & fidei Chriſtianæ profeſſioni aduerſari, ſicut nec nouæ impietati fauere, aut conſentire: idem factum in conciliorum Decretis, & in antiquorum doctorum ſcriptis, ſi aliquot annos hic ſuperuiuere nobis concesſerit Deus omnipotens: vt nihil penitus habeant ſectarij, quo ſua humana commenta prætexant, appareant ſuperbi, ignari, impoſtores, & obſtinati. Nam quod ad abuſus ſpectat, nos non defendendo; ipſos ſuſcipimus, quos omni via, & ratione corrigi cupimus. Vale, & nos apud Deum precibus iuua.

Errata ſic corrigito.

Pagina 2. linea 22. legitur iſte, lege iſtos. 4. 11. ipſos Saracenos, ipſis Saracenis. 19. 24. eam, eum. 22. 14. hæc, nec. 25. 5. alio, alia. 41. 22. ſtimulus, tinulus. 45. 23. veris, viris. 47. 9. fuiſſet, finiſſet. 54. 31. nam, non. 62. 4. ſi, ſit. 62. 28. dicit, dici. 97. 1. age, agere. 97 26. mortus, mortuo. 110. 34. ſua, ſuo, 113. 18. coſuli, conſulit. 123. 35. cultu, cultum. 145. 22. Apoſtoli, Apoſtolis. 167. 24. Iudicio, Iudico. 169. 7. volans, volens. 179. 7. iuſtam, iuſtum. 191. 10. At, Ait. 191. 24. ſunt, ſicut. 191. 35. ſi, ſit. 225. 27. deſerti, deſerri.

Digitized by Google

Digitized by Google